COMMENTARIUS IN ARISTOTELIS LOGICAM

AUTHORE

Magistro PETRO BARBAY Celeberrimo quondam in Academia Parisiensi Philosophiæ Professore.

Iuxta exemplar Parisijs impressum

Sumptibus

Insignis Benefactoris

Ad vsum Seminarij Cracoviensis

REIMPRESSUS,

CRACOVIÆ,

Typis Christophori Domański.

Anno Domini 1709.

INDEX
Tractatuum, Quæstionum, Sectionum, Capitum, Articulorum, & Paragraphorum.

DISPVTATIO PROEMIALIS.
De ipsa Philosophia. pag. 1

DISPVTATIO PROEMIALIS.
De ipsa Logica.

Pars Prima Logicæ.

De Principijs Orationis Logicæ. 68.

Disputatio Posterior.

De singulis speciebus vniuersalis.

Sectio Prima

De Genere.

Sectio

Sectio Secunda

De Specie.

APPENDIX

Sectio Tertia

De Differentia.

Sectio Quarta

De Proprio.

Sectio Vltima

De Accidente Communi.

Tracta-

Tractatus Secundus

De Categoriis.

Disputatio Prima.

De Antepraedicamentis.

Sectio Prima.

Disputatio Secunda.

De Praedicamentis.

Sectio Prima.

De Substantia.

Dissertatio Intercalaris.

De Accidente Praedicamentali.

Caput

INDEX

Sectio

Disputatio Secunda
De Syllogismo Demonstrativo.

Sectio Prima.

Sectio Secunda
De *Demonstratione.*

Sectio Vltima.
De *Scientia.*

Disputatio Vltima.

De Syllogismo Topico.

IN UNIVERSAM ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM COMMENTARII.

Quæ in nostra Introductione Philosophicâ paucis perstricta sunt, ea hic fusè & accurratè evolvemus universa, Architectos imitaturi, qui, quod in exiguæ alicujus tabellæ angustijs primùm descripserunt, illud ipsum postea in liberâ alicujus campi planitie explicant, & absolvunt.

Quia verò naturalis ordo postulat, ut communia priùs tradantur, quàm ad propria descendatur, ut docet Aristoteles 1. Physic. cap. 7. Ideo antequam singulas Philosophiæ partes aggrediamur, ab explicatione Philosophiæ in communi ducimus exordium.

DISPUTATIO PROEMIALIS.

De ipsa Philosophia,

Omnes nostras disputationes quantum materia patietur, dividemus in quatuor capita, quorum primum erit de nomine, notione, & existentia Argumenti tractandi: Secundum de causis ejus: Tertium de proprietatibus: Quartum de divisione seu de speciebus: Quintum caput in hac disputatione addemus de sectis Philosophorum. Capita autem, dum res postulabit, in Articulos partiemur, quos etiam paragraphis, alijsque minutioribus particulis, si opus sit, distinguemus.

CAPUT PRIMUM.

De nomine notione & existentia Philosophiæ.

Nomina Philosophiæ, sicut cujuslibet alterius rei, duplicis sunt generis; alia Periphrastica, quæ circumlo-

cutionibus oratorijs cõſtant. ut cum Philoſophia dicitur dux vitæ, indagatrix veritatis, magiſtra morum, lauda-tarum artium parens, &c. Alia ſimplicia, quæ propria ſunt & unico vocabulo continentur: hæc duntaxat à Phi-loſohis explicantur.

Duo ſunt nomina ſimplicia Philoſophiæ. Unum a-quius, puta Sapientia: alterum recentius, puta Philo-phia: qui enim nunc Philoſophi, olim Sapientes vocab-tur: hinc Thales Mileſius, Solon Salaminius, Chilo Lac-dæmonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prienæus, Cleob-lus Lindius, & Periander Corinthius, ſeptem Græciæ Sa-pientes vulgo nuncupantur.

Sapientia ſecundum vim vocis ſignificat eminente-quandam cognitionem, qua angelico veluti more co-cluſiones in principijs ſimplici intuitu deteguntur, ſed ſ-cundum uſum ſignificat complexionem omnium ſcien-arum naturalium, ſicut & Philophia. Præclarè Sen. Epiſt. 89. Sapiẽtia perfectum bonum eſt mentis huma-Philoſophia ſapiẽtiæ amor eſt & affectatio: hæc oſte-quo illa pervenit. -- Quomodò multum inter ava-& pecuniam intereſt, cum illa cupiat, hæc concupi-tur: ſic inter Philophiam & Sapientiam. Hac enim us effectus & præmium eſt: illa venit, ad hanc itur.

Faſtum ergo redolet ſeipſum vocare ſapientem: olim Pythagoras, teſte Diogene Laertio in ejus vita Leonte Tyranno interrogatus utrum eſſet ſapiens, deſtè reſpondit, ſe non eſſe ſapientem, ſed ſapientiæ a-torem, & hoc poſtea nomen communi omnium uſu-tione approbatum eſt.

Philoſophia ſumitur duobus modis. Primò collec-pro Encyclopædiâ ſcientiarum omnium naturalium, ſenſu retinet nomen Philoſophiæ. Secundò diſtributi-pro unaquaque ſcientia naturali ſigillatim, quomodò-entia potiùs dicenda eſt, quam Philoſophia.

Philoſophia collectivè ſumpta conſiderari pote-duplici ſtatu, ſcilicet ut perfecta, & ut imperfecta.

Ut foret perfecta, deberet esse certa & evidens cognitio rerum planè omnium naturalium per causas.

Ut verò sit imperfecta, sat est quod sit clara cognitio rerum aliquarum naturalium per causas.

Veteres Academici nihil certò comprehendi posse asserebant; sed universam rerum omnium incomprehensibilitatem admittebant. Pyrrhonij de facto solam dubitationem de rebus haberi contendebant, veritatem tamen semper inquirendam esse docebant, unde etiam Sceptici seu Inquisitores dicti sunt, contra quos sit:

I. CONCLUS. Possibilis est aliqua Philosophia.

Probatur. Illud est possibile, quod appetimus naturaliter: appetitus enim naturalis non potest esse frustraneus: nam Deus & natura nihil faciunt frustra, ut ait Philosophus. 1. de cœlo: Atqui appetimus naturaliter Philosophiam. Ergo Philosophia est possibilis.

Probatur minor: Primò authoritate Aristotelis, qui primi Metaphysicorum statim initio sic habet, omnes homines à natura scire desiderant.

Secundò ratione, quia ille appetitus est naturalis, qui reperitur in tota aliqua specie, ut appetitus centri in lapide: Atqui appetitus sciendi reperitur in tota specie humana: Ergo est naturalis homini.

Obijcies primò. Quædam ab hominibus appetuntur impossibilia, ut divinitas à quibusdã: Ergo licet appetamus Philosophiam, non sequitur eam esse possibilem.

Distinguo antecedens: Multa impossibilia appetũtur, appetitu arbitrario & libero, concedo: appetitu naturali, nego: At Philosophiã naturaliter appetimus, ut probatum est.

Instabis: Quædam appetuntur appetitu etiam naturali, quæ sunt impossibilia: nam appetimus naturaliter immortalitatem, quam tamen naturaliter consequi non possumus: Ergo nulla solutio.

Nego antecedens; cujus probationem distinguo: Non possumus naturaliter consequi immortalitatem, quoad

nos totos, concedo: quoad aliquam nostri partem, nego: nam saltem immortales sumus quoad animam. U[t] autem appetitus naturalis non sit irritus, sat est, quo[d] finem suum obtinere possit, saltem quoad aliquam partem: unde etiam fateor appetitum philosophandi hîc n[on] impleri quoad totum, quia non datur Philosophia perfecta, ut mox dicemus: sed contendo impleri saltem quoad partem.

Urgebis: Belluæ appetunt naturaliter immortalitatem: Atqui ille appetitus nequidem impleri potest [ex] parte; Ergo, &c.

Nego majorem, quia belluæ non percipiunt immortalitatem & perennitatem propter finitudinem sui appetitus: appetunt quidem esse quod habent, & remove[re] quantum possunt nocentia, sed non immortalitatis de[si]derio. Et quamvis prætermitterem gratis majorem, po[s]sem dicere belluas perennitatem naturaliter obtine[re] posse, saltem in specie per vim genitivam, ut docet Phi[lo]losophus 2. de anima 3.

Obijcies 2. Mulus appetit naturaliter generare, cu[m] habeat organa ad id destinata, nec tamen generare p[o]test: Ergo appetitus naturalis potest esse irritus.

Transeat antecedens quod tamen falsum est secũd[um] Aristotelem 6. de historia animaliũ cap. 22. & 24. & [se]cundùm Plinium 8. Naturalis histor. cap. 44. Disting[uo] consequens: Appetitus naturalis potest esse irritus, [in] monstro, quod est naturæ erratum, concedo: in e[ff]e[ct]u naturæ legitimo nego. Mirum autem non est nat[uram] falli in effectu erroneo.

II. CONCLUS. Datur aliqua Philosophia.

Probatur. Philosophia est cognitio certa & evid[ens] rerum naturalium per causas: Atqui multas res natu[ra]les certò & evidenter cognoscimus per causas, v. g. [la]pidem descendere, quia gravis est: detractione sang[ui]nis febrim minui posse: quia sanguis potest esse sedes [fe]brilis caloris, &c. Ergo datur aliqua Philosophia.

Const

Constat conclusio ex eo quod multi conscripti sint libri philosophici, & multæ sint in orbe classes Philosophiæ dicatæ.

Objicies, Philosophia est cognitio certa: at nulla datur cognitio certa: nam omnis nostra cognitio nititur testimonio sensuum, secundum illud effatum, nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu, quod videtur fundari in Aristotele 3. Poster. 15. & 3. de anima 8. Sensus autem sunt fallaces: Ergo nulla datur philosophia.

Nego minorem: ad probationem distinguo, Sensus sunt fallaces, ubi non adsunt omnes conditiones requisitæ, concedo: ubi ad sunt, nego.

Tres autem requiruntur ad bonam sensationem conditiones, quæ ubi adsunt, sensus nec fallunt, nec falluntur.

Prima est, ut organum sit bene dispositum, cujus conditionis defectu falluntur, oculi icteri corum.

Secunda est, ut medium sit benè affectum, cujus conditionis defectu errat oculus intuendo per vitrum coloratum.

Tertia est, ut objectum sit in debita distantia & proportione, cujus conditionis defectu errat visus circa solē & atomos.

Instabis: Mendaces lucrantur, ut cum vera dixerint, nunquam illis credatur: (inquiebat Aristoteles teste Diogene Laërtio in ejus vita:) Atqui ex concessis sensus aliquando sunt mendaces: Ergo nunquam est illis credendum.

Distinguo majorem. Mendaces lucrātur, ut cum vera dixerint nunquam illis credatur, quando non sunt regulæ, quibus cognoscatur utrum illis fidendum sit, nec ne, concedo: quando sunt regulæ, nego: at dedimus tres conditiones, quæ sunt regulæ certissimæ detegendi utrū sensus fallant, nec ne.

III. CONCLUS. Non datur Philosophia perfecta.

Probatur 1. Authoritate Ecclesiastis cap. 1. ubi postquam locutus de motu solis, & perenni fluminum in mare ap-

re appulſu, ſic ſubdit : Cunctæ res difficiles , non poteſt eas homo explicare ſermone.

Probatur ſecundò ratione. Ut Philoſophia foret perfecta, deberet eſſe certa cognitio rerum omnium naturalium per cauſas : Atqui non datur ejuſmodi cognitio : nullus enim hactenus invenit genuinam cauſam æſtus maris , febrium , converſionis magnetis ad polum, &c. tum quia pleraque objecta remotiora ſunt à ſenſibus : nihil autem eſt in intellectu , quod prius non fuerit in ſenſu : tum quia (ut ait Hypocrates) ars longa, vita brevis, experientia difficilis. Quæ rationes probant non tantum non dari, ſed ne poſſibilem quidem eſſe Philoſophiam perfectam naturaliter.

Objicies. Appetitus naturalis non poteſt eſſe fruſtraneus : Atqui ſi impoſſibilis foret naturaliter Philoſophia perfecta , appetitus naturalis foret fruſtraneus, Philoſophiam enim perfectam naturaliter appetimus : Ergo Philoſophia perfecta poſſibilis eſt naturaliter.

Nego minorem. Nam ut aliquis appetitus naturalis non ſit fruſtraneus, ſat eſt, quod obtineat finem ſuum ex parte ; ſic appetitus materiæ ad omnes formas . non eſt fruſtraneus nec tamen unquam materia obtinebit omnes formas.

CAPUT SECUNDUM.

De cauſis Philoſophiæ.

PHiloſophica cognitio debet eſſe per cauſas : itaque ut ipſam Philoſophiam philoſophicè cognoſcamus , ejus cauſæ indagandæ ſunt.

Supponendum eſt in pleriſque effectibus, quatuor cauſas reperiri, ſcilicet finalem, efficientem, materialem, formalem : quarum definitiones & diviſiones ex Introductione noſtra repetendæ ſunt.

ART.

ARTICULUS PRIMUS
De causa finali Philosophiæ.

I. CONCLUS. Finis cui Philosophiæ est Homo.

Probatur. Finis cui, est illa persona in cujus commodum vel ornamentum res illa vergit: Atqui Philosophia vergit in commodum & ornamentum hominis: Ergo homo est finis cui Philosophiæ.

II. CONCLUS. Finis cujus gratia Philosophiæ, est cognitio veritatis & actio virtutis.

Probatur. Finis cujus gratia alicujus rei est illud bonũ ad quod res illa inservit: Atqui Philosophia inservit ad cognitionem veritatis & actionem virtutis: quippe omnes Philosophiæ partes inserviunt ad cognitionẽ veritatis: & Moralis insuper ad actionem virtutis: Ergo, &c.

Ex qua probatione seqitur finem Philosophiæ esse beatitudinem naturalem, quæ scilicet, si quæ sit, consistit in cognitione primæ veritatis, & actione præstantissimæ virtutis. Hinc S. August. docet, nullam aliam esse homini philosophandi causam, quam ut sit beatus.

ARTICULUS SECUNDUS,
De causa efficiente Philosophiæ in comuni.

PHilosophia considerari potest in Adamo, in suis reparatoribus, & in nobis.

I. CONCLUS. Deus infudit Philosophiam Adamo.

Probatur 1. Qui dat esse, dat consequentia ad esse. Si hoc effatum verum sit in Physicis, quantò magis in Moralibus? Atquì Deus constituit Adamum ut doctorem totius generis humani: Ergo debuit ei dare omnia ad illud munus ritè obeundum necessaria: unum autem ex illis est Philosophia: Ergo debuit Deus Adamo dare Philosophiam.

Probatur 2. Opera quæ à Deo particulariter operante procedunt, sunt perfecta: Atqui Adam erat opus à Deo particulariter operante procedens: Ergo erat perfectus:

fectus: Ad perfectionem autem hominis, ut pote rationalis, pertinet Philosophia: ergo, &c.

Confirmatur 1. Deus cætera produxit cum omnibus suis ornamentis, v. g arbores cum folijs & fructibus: Ergo produxit quoque hominem cum omnibus suis ornamentis, inter quæ non infimum locũ tenet Philosophia.

Confirmatur 2. Deus Adamo dedit corpus non infantile & infirmum, sed virile & robustum: Ergo à pari ei concessit animum omnibus humanis ornamentis, proindeque virtutibus & scientijs instructum.

Probatur ultimò. Si Adamus primis diebus habebat Philosophiam, illam habebat per infusionem: non satis enim fuerat temporis, ut eam aliâ viâ haberet: Atqui Adam primis diebus habebat philosophiam: nam (ut vulgari fertur effato) Sapientis est imponere nomina rebus, at ex cap. 2. Genes. appellavit Adam nominibus suis cũcta animãtia, universa volatilia cœli & omnes bestias terræ: Ergo Adam habuit Philosophiã per infusionem.

Objicies 1. Vulgare est adagium. Omnis peccans est ignorans: Atqui Adam peccavit: Ergo erat ignorans: nec proinde habebat Philosophiam infusam.

Distinguo majorem. Omnis peccãs est ignorans, actu, hoc est non advertens satis, concedo: omnis peccans est ignorans habitu, hoc est non habens cognitionem habitualem, nego.

Objicies 2. Peccavit Adam appetendo scientiam: Ergo eam non habebat.

Distinguo Antecedens, peccavit Adam Appetendo scientiam similem divinæ, concedo: peccavit Adam appetendo scientiam homini proportionatã, nego: nam dæmon. Gen. 3. Evæ promiserat scientiã divinã his verbis Eritis sicut Dij, scientes, &c.

Objicies 3. Habetur in Genes. cap. citato, quod post peccatum aperti sunt oculi amborum: Ergo antea non habebant scientiam.

Distinguo consequens. Non habebant scientiam experimen-

rimentalem mali, concedo: non habebant scientiam speculativam, nego.

II. CONCLUS. Ad Philosophiæ reparationem inservierunt admiratio, usus & experientia.

Priusquam probetur conclusio, sciendum est quid sint admiratio, usus & experientia.

Admiratio est actio intellectus, orta ex imperfectâ cognitione effectûs insoliti, & ignorantiâ causarum, cum desiderio sciendi. Ex qua definitione patet solam naturam intellectualem, eamque ignorantem, capacem esse admirationis.

Usus est tentativa applicatio causæ ad effectum.

Experientia est multarum rerum singularium similium sensu aut mente deprehensarum observatio. His suppositis.

Probatur primo conclusio authoritate Aristotelis, qui 1. Metaphysic. cap. 2. sic scribit. Propter admirationem homines & nunc, & primò philosophari inceperunt. Et cap. 1. sic habet. Ars & scientia per experientiam hominibus eveniunt.

Probatur 2. ex naturali nostro agendi modo: Nam si quando aliquem effectum insolitum advertimus, statim obstupescimus, qui stupor impellit nos ad quærendas illius effectus causas: si quam autem verisimilem inveniamus, multis experiētijs tentamus, & probamus nunquid sit vera causa, & si advertamꝰ semper ex tali causa sequi talem effectum, nos scire arbitramur v. g. prisci Philosophiæ heroes, ubi viderunt lunam plenam repentê obtenebrescere, obstupuerunt, postea quæsierunt causas tam subiti palloris, nunquid veniret ex quibusdam nubibus; & viderunt ludum esse cœlum; nunquid luna altius recessisset? & viderunt eandem ejus magnitudinem: nunquid forsan luna mutuaretur suum lumen à sole, & terra intercepta hoc luminis commercium impediret: & judicarunt hoc esse probabile, posteaque multoties attenderunt utrum semper ex parentesi terræ deficeret luna? &

 vide-

viderunt ita eſſe, ſtatimque ſcientes ſe in hac materiâ reputarunt, & ita de cæteris.

Obijcies. Cognitio philoſophica debet eſſe univerſalis & certa: Atqui per experientiam non poſſumus habere cognitionem universalem & certam; nam v. g. etſi ſemper expertus eſſem hominem eſſe album, non proinde certus eſſem omnem hominem eſſe album: Ergo per experiẽtiam non poſſumus habere cognitionem philoſophicam.

Diſtinguo minorem. Per experientiam non poſſumus habere cognitionem univerſalem & certam circa accidentia communia, qualis eſt albedo in homine, concedo: circa eſſentialia aut proprietates, nego. Cum enim ea, quæ ſunt neceſſaria, in omnibus individuis ejuſdem ſpeciei ſint ſimilia; qui expertus eſt duo vel tria individua, virtualiter expertus eſt omnia.

Quinam primi fuere Philoſophiæ reparatores, hiſtoriæ potius eſt, quam ſcientiæ. Singulæ nationes id ſibi vendicant; id Galli adſcribunt ſuis Druidis; Græci ſuis Sapientibus; Perſæ ſuis Magis; Indi ſuis Gymnoſophiſtis, Ægyptij ſuis Sacerdotibus; Hebræi Rabinis; Babylonij & Aſſyrij Chaldæis.

Sed miſſis his omnibus controverſijs arbitror Hebræos, Ægyptios, & Babylonios incepiſſe: ab illis didiciſſe Græcos, à Græcis Romanos, & à Romanis cæteros. Hinc Ariſtoteles 2. de cælo 12. Græcos ab Ægyptijs & Babylonijs multa fide digna de ſingulis ſtellis accepiſſe fatetur: quos etiam ibi vocat antiquos obſervatores; & 7. de Republ. 10. dicitur Ægyptios videri omnium mortalium antiquiſſimos; & 1. Metaphyſic 1. dicit Mathematicas diſciplinas in Ægypto incepiſſe. Quidquid ſit, Ariſtoteli multum debet Philoſophia, ut patet ex ſubtiliſſimis quæ nobis reliquit operibus.

III. CONCLUS. Unuſquiſque eſt cauſa efficiens ſuæ Philoſophiæ.

Probatur. Unuſquiſque eſt cauſa efficiens ſuorum natura-

turalium habituum per suos actus: Atqui Philosophia est habitus naturalis: Ergo unusquisque est causa efficiens suæ Philosophiæ per suos actus; ope tamen præceptorum tum vivorum tum mortuorum.

Objicies. Causa efficiens debet continere suum effectum, ut ignis calorem: Atqui initio intellectus non cōtinet Philosophiam: Ergo non potest esse ejus causa efficiens.

Distinguo majorem. Causa efficiens debet continere suum effectum, vel formaliter vel virtualiter, concedo; formaliter necessariò, nego. Causa dicitur continere suū effectum formaliter, quando illius propriam rationem continet, quomodo ignis calorem continet; dicitur verò eum continere virtualiter, quandó licet ipsum in se non habeat, continet tamen virtutem illius productivam: quomodo vinum continet calorem. Hoc posteriore modo intellectus noster initio continet Philosophiam.

COROLLARIUM.

Ex superioribus Conclusionibus patet Philosophiam obtineri posse tribus modis, infusione, inventione, disciplinâ, vel si mavis, duobus, infusione & acquisitione. Sed

Dices: Habitus infusus & acquisitus differunt specie; Ergo Philosophia nō potest haberi per infusionem & acquisitionem.

Distinguo antecedens. Habitus & infusus per se, seu supernaturalis quoad entitatem, differunt specie, concedo: habitus acquisitus & infusus per accipidens seu supernaturalis quoad solum habendi modum, differūt specie, nego. Nam quemadmodum visus semper est ejusdē speciei, sive habeatur à naturâ, sive per miraculum: ita Philosophia sive habeatur naturaliter, ut nostra, sive per infusionem ut Philosophia Adami, non differt specie.

Instabis. Habitus ex se supernaturalis, ut fides, spes, charitas, non potest acquiri: Ergo à pari habitus ex se naturalis, ut Philosophia, non potest infundi.

 Nego

Nego paritatem. Et ratio disparitatis est; quod Deus id omne possit, quod nos possumus, dummodò non arguat imperfectionem, & proinde possit nobis dare & infundere eos habitus, quos possumus acquirere; at non possit homo quicquid potest Deus, & proinde non possit acquirere omnes habitus, quos Deus potest infundere.

ARTICULUS TERTIUS,

De causâ materiali Philosophiæ,

Repete ex Introductione nostra materiæ divisionem in materiam in qua seu subjectum, materiam circa quã seu objectum, & materiam ex qua, quæ retinet nomen materiæ.

I. CONCLUS. Subjectum denominationis Philosophiæ est homo.

Probatur. Subjectum denominationis est suppositum, quod denominatur ab aliqua forma; atqui homo à Philosophia denominatur Philosophus: Ergo homo est subjectum denominationis Philosophiæ.

Obijcies. Deus & Angelus sunt etiam subjecta Philosophiæ: Ergo non solus homo.

Nego antecedens, nam Philosophia propriè dicta est habitus discursivus: At Deus & Angelus non cognoscũt res naturales discursivè & per causas, sed simplici intuitu & in causis; & proinde non sunt proprie Philosophi; sed potius sapientes.

II. CONCLUS, Subjectum inhæsionis quo Philosophiæ, est intellectus humanus.

Probatur. Subjectum inhæsionis quo, seu proximum alicujus habitus, est potentia, in qua residet ille habitus: Atqui Philosophia residet in intellectu humano; nam Philosophia est habitus discurrens de rebus naturalibus: discurrere autem circa res naturales pertinet ad solum intellectum humanum: ergo, &c.

Obijcies. Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu: Atqui Philosophia non fuit in sensu: Ergo non est in intellectu.

Distin-

Distinguo Majorem. Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu, per se vel per aliquid sui, concedo: nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu per se necessariò, nego. At licet Philosophia non fuerit in sensu per se, fuit tamen per sua objecta.

Dixi in conclusione, subjectum inhæsionis quo: nam subjectum inhæsionis quod est ipse homo, cum subjectum inhæsionis quod, semper sit illud suppositum, in quo residet forma, quod semel dictum sit pro omnibus.

III. CONCLUS. Objectum Philosophiæ, est res omnis naturalis, naturaliter cognoscibilis per causas.

Antequam probetur Conclusio; notandum est res esse triplicis generis, scilicet supernaturales, qualia sunt mysteria fidei: arbitrarias, ut cogitationes cordium, & quæ à libertate pendent, ut ædificia, bella, &c. & naturales quæ secundum consuetum naturæ ordinem sunt aut fiũt, ut cœli, sydera, elementa, & mixta, &c. Hoc prænotato.

Probatur 1. Conclusio authoritate Philosophi, qui 4. Metaphysic. 2. dicit Philosophiæ esse, de omnibus posse speculari.

Probatur 2. ratione: Objectum alicujus disciplinæ est illud quod per se tractatur ab illa disciplina, & ad quod referuntur cætera quæ considerantur ab illa disciplina, eamque disciplinam distinguunt à qualibet alia; Atqui res omnis naturalis, naturaliter cognoscibilis per causas, est ejusmodi. Ergo est objectum Philosophiæ.

Obijcies. Nullus Philosophus cognoscit res omnes naturales: Ergo res omnes naturales non sunt objectũ Philosophiæ.

Distinguo consequens: Non sunt objectum Philosophiæ imperfectæ, qualem habemus, concedo: perfectæ & secundum se consideratæ: nego. At quando formas aliquas speculamur, non consideramus eas prout sunt in subjectis, sed secundum se.

Porrò in objecto legitimo duæ sunt partes: Una communior,

munior, quæ dicitur objectum materiale : altera specialior, quæ dicitur objectum formale, v. g. in objecto legitimo Medicæ quod est corpus sanabile, objectum materiale est corpus, quia commune est Medicæ & Physicæ; objectum verò formale est sanabilitas, quia corpus de se multis commune, ad Medicam per sanabilitatem restringitur. Itaque in objecto Philosophiæ supra allato objectum materiale est res omnis naturalis, quia ita spectatur à Philosophiâ, ut etiam ab alio habitu spectetur, puta ab opinione & à sciētia Angelica : Objectū verò formale est cognoscibilitas naturalis per causas, quia per hanc rationē Philosophia à quolibet alio habitu distinguitur.

IV. CONCLUS. Materia eductionis Philosophiæ est intellectus.

Probatur. Subjectum inhæsionis est semper subjectum eductionis : quodlibet accidens educitur e suo subjecto : hoc est ab eo pendet in fieri & conservari : Atqui intellectus est subjectum inhæsionis Philosophiæ, ut dictum est : Ergo & eductionis.

V. CONCLUS. Philosophia non habet materiam cōpositionis propriè dictam.

Probatur. Quod est spiritale non habet materiam propriè dictam : Atqui Philosophia spiritalis est, nam recipitur in subjecto spiritali, putâ in intellectu : at quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur : Ergo Philosophia non habet materiam propriè dictam.

VI. CONCLUS. Materia compositionis Philosophiæ impropriè dicta, sunt partes ejus.

Probatur. Partes alicujus totius possunt impropriè & analogicè vocari materia ex quâ illius totius : Ergo partes Philosophicæ, putâ Logica, Ethica, &c. possunt dici impropriè & analogicè materia ex qua Philosophiæ.

ARTICULUS QUARTUS,
De causa formali Philosophiæ.

FOrma alicujus rei est id, per quod res constituitur in tali esse : sic forma hominis est anima rationalis ; &

forma albi albedo, quia homo per animam rationalem constituitur in esse hominis, & album per albedinem in esse albi.

Duplex autem est forma. Una propria, quæ recipitur in subjecto realiter distincto, ut anima & albedo: altera impropria, quæ non distinguitur realiter ab eo cujus est forma, qualis est definitio rei. Prior dicitur physica, posterior dicitur metaphysica:

Quælibet res habet formam metaphysicam, quia quælibet res propriam habet definitionem: at quælibet res non habet formam physicam: nam ipsæ formæ non habent formas, ne detur processus in infinitum, hinc illud axioma: Non datur forma formæ.

CONCLUSIO. Philosophia non habet formam Physicam.

Probatur. Nulla forma habet formam physicam, ut dictum est: atqui Philosophia est forma, cum recipiatur in subjecto, putâ intellectu: quicquid autem recipitur in subjecto, forma est: Ergo Philosophia non habet formã physicam.

Definitio Philosophiæ.

PHilosophia collectivè sumpta definitur vulgò, Cognitio certa & evidens rerum divinarum, & humanarũ, causarumque quibus hæ res continentur.

Quidam per divina intelligunt spiritalia, : per humana verò corporea, denominatione desumptâ à nobiliori parte, quia inter spiritalia Deus, inter corporea homo primas tenent.

Alij per divina Deum & opera Dei, per humana vero operationes hominis proprias malunt intelligi.

Nobis perinde est, quia in utraque acceptione res divinæ & humanæ entia omnia naturalia complectuntur.

Definitur etiam vulgò, Cognitio rerum omnium ut sunt, hoc est per causas: nam res omnes sunt per causas.

Hæ

Hæ definitiones competunt Philosophiæ collectivè sumptæ, quia ita competunt Encyclopediæ omnium scientiarum naturalium ut singulis seorsim non competant: nam Physica, v. g. non est cognitio rerum omnium naturalium, neque Metaphysica.

Philosophia distributivè sumpta, quæ idem est ac scientia naturalis, definitur, Cognitio vera, certa & evidẽs rerum naturalium per causas, abstrahendo scilicet à differentijs rerum naturalium per causas, non curando utrũ res naturales sint logicæ, vel morales, vel physicæ, vel metaphysicæ, vel mathematicæ.

CAPVT TERTIVM,

De proprietatibus Philosophiæ.

LOco proprietatum Philosophiæ, afferri solent tres celebres ejus descriptiones, quas hic explicabimus.

Prima est: Philosophia est mortis meditatio. Ita Plato in Phædone, cujus mentem ut percipias,

Nota duplicem esse mortem: unam naturalẽ & physicam, quæ est realis separatio animæ à corpore: alterã moralem & philosophicam, quæ est separatio animæ ab affectibus corporeis. Utramque mortem intelligit Plato in hac descriptione: nam

Primo Philosophia est meditatio mortis naturalis, quatenus Philosophus cognitâ per Philosophiam brevi moriendi necessitate, incitatur, ut his terrenis & fluxis neglectis, altiora & æterna sapiat.

2 Philosophia est meditatio mortis philosophicæ, quà scilicet meditatur & ambit, quatenus hominem à corporeis illecebris abducit, & ad sublimia evehit.

Secunda est, quam habet idem Plato. Philosophia est similitudo cum Deo: nam Philosophia reddit hominem aliquo modo Deo similem: non quidem in natura, cũ hoc sit impossibile, sed in operationibus, cognitione scilicet

licet & volitione: docet enim cognitionem veri & amorem boni, in quibus actionibus consistit bene vivere per quod homo ad Deum accedit.

Tertia est quam habet Tullius 3. Tusculan. quæst. Philosophia est animi medicina, quia curat omnes animi morbos, ignorantiam scilicet & malitiam; nam per omnes suas partes medetur ignorantiæ; per Ethicam verò malitiæ.

CAPVT QVARTVM,

De divisione Philosophica.

ANtiqui, teste Tullio 1. de Oratore, dividebant Philosophiam in disserendi subtilitatem, vitam atque mores, & naturæ obscuritatem, hoc est in Logicam, Moralem, & speculativas disciplinas, quas intelligebant per naturæ obscuritatem. Eandem habet divisionem Seneca Epist. 89. & 90.

Dividi etiam potest in habitualem & actualem. Habitualis est qualitas facilitans ad bene ratiocinandum de rebus naturalibus. Actualis vero est rectum ratiociniũ de rebus naturalibus, sed missis cæteris divisionibus, sit

I. CONCLUS. Omnis Philosophia est speculativa vel practica.

Probatur. Omnis Philosophia vel conquiescit in objecti sui cognitione, nec tendit ad opus: vel non conquiescit in objecti sui cognitione, sed tendit ad opus. Si primum, est speculativa; si secundum, practica: Ergo omnis philosophia est speculativa, vel practica. Philosophia speculativa quinque capitibus differt à practica.

1. Subjecto, eo quod speculativa sit intellectu theoretico seu epistomenico; practica vero in practico seu logistico.

2. Objecto, eo quod speculativa habeat objectum ita necessarium, ut vel nunquam fiat, vel non fiat à nobis

liberè

liberè per præcepta operantibus: practica verò habeat objectum producibile â nobis liberè per præcepta operantibus.

3. Officio, quod speculativa habeat unicam facultatē juvandam, puta cognoscentem; practica verò habeat duas, re aut ratione distinctas, scilicet cognoscentē, & exequentem.

4. Fine, eo quod Speculativa pro fine solam habeat cognitionem: Practica verò duplicem habeat finem, cognitionem scilicet, & operationem.

5. Denique, divisione, eo quod speculativa solam habeat cognitionem: practica verò dividatur in duas partes re aut ratione distinctas, doctrinam, & usum.

II. CONCLUS. Philosophia speculativa nobilior est practicâ.

Probatur 1. Illud genus est nobilius altero, in quo est aliqua species nobilior omnibus speciebus alterius: Atqui inter species Philosophiæ speculativæ una nobilior est omnibus speciebus practicæ, purâ Metaphysica, quæ agit de Deo: Ergo philosophia speculativa nobilior est practica. Totum ratiocinium desumitur ex Aristotele 6. Metaph. 1. & major ejus ex S.Dionysio, à quo hoc effatū habemus., Infimum supremi, nobilius est supremo infimi.

Probatur 2. Finis ut sic nobilior est medio: Atqui cognitio speculativa habet rationem finis, cum in ea sistatur: practica verò rationem medij, cum expetatur propter opus: Ergo cognitio speculativa nobilior est practicâ.

Objicies. Cognoscere & operari simul, nobilius est quam cognoscere tantum: nam duæ perfectiones meliores sunt unicâ: Ergo Philosophia practica, quæ cognoscit & operatur, nobilior est speculativâ, quæ cognoscit tantum.

Distinguo antecedens cognoscere & operari nobilius est quam cognoscere tantum practicè, concedo, quam cogno-

cognoscere speculativè, nego. Distinguo probationē, duæ perfectiones meliores sunt unicâ, ejusdem secum rationis, putâ duo obola uno obolo, cōcedo: meliores sunt unicâ superioris rationis, putâ duo obola uno nummo, nego: At cognitio speculativa nobilior est practicâ, cum illa habeat rationem finis, hæc verò solius medij, ut dictū est.

III. CONCLUS. Triplex est Philosophia speculativa, Physica, Metaphysica, & Mathematica.

Probatur vulgò conclusio hac ratione. Totuplex est Philosophia speculativa, quotuplex abstractio à materiâ, nam scientia in tantum est speculativa, in quantum recedit à praxi: praxis autem est circa aliquam materiam. Atqui triplex est abstractio à materia: scilicet à materia singulari tantùm, à materia singulari & sensibili: & ab omni materia, scilicet singulari, sensibili & intelligibili: Ergo triplex est Philosophia speculativa, scilicet Physica, Metaphysica, & Mathematica.

Materia singularis est differentia aliqua numerica, ut Petreitas, Pauleitas, &c.

Materia sensibilis est qualitas unico sensu externo perceptibilis, ut color, odor, sapor, &c.

Meteria intelligibilis est quælibet res ordinem dicens ad materiam unde ipsa etiam anima rationalis hoc sensu materialis est, quia licet sit entitativè spiritalis, est tamē affectivè corporea.

Physica abstrahit à materiâ singulari, quia de singularibus non datur scientia: & non ab alia, quia considerat materiam sensibilem in libris de anima: & intelligibilem secundum se totam.

Mathematica abstrahit à materia singulari & sensibili, quia non considerat colorem, odorem, aut ullum ejusmodi accidens sensibile: non tamen abstrahit à materia intelligibili, quia considerat quid materiale, putâ quantitatem.

Metaphysica abstrahit ab omni materiâ, quia nihil speculatur quod materiam exigat.

Hoc

Hoc ratiocinium discutietur sub fine Logicæ, ubi ex professo agemus de divisione scientiæ. Interim.

Probatur conclusio ratiocinio desumpto ex Aristotele 11. de anima 1. Totuplex est Philosophia speculativa, quotuplex speculabile : scientiæ enim specificantur ab objectis : Atqui triplex est speculabile : unum inseparabile à materiâ, etiam conceptu, quale est corpus naturale, & illud pertinet ad Physicam : aliud, separabile à materiâ conceptu ; etsi non separabile re, qualis est quantitas, & hoc pertinet ad Mathematicam : aliud denique & conceptu & re separabile à materiâ, qualis est Deus, Angelus. &c. & hoc pertinet ad Metaphysicam : Ergo triplex est Philosophia speculativa, Physica, Mathematica, & Metaphysica.

IV. CONCLUS. Duplex est Philosophia, Logica & Moralis.

Probatur. Totuplex est Philosophia practica quotuplex operatio dirigenda homine Philosopho digna : Atqui duplex est tantum operatio dirigenda homine Philosopho digna, scilicet, operatio intellectus quæ dirigitur per Logicam & operatio voluntatis quæ dirigitur per Moralē. Philosophia enim solas operationes spiritales dirigit, & relinquit operationes corporeas puris artibus dirigendas: Ergo duplex est Philosophia practica, Logica, & Moralis.

Quæres 1. Utrum Astrologia sit pars Philosophiæ ?

Respondeo, Astrologiam duplicem esse, unam Physicā quæ proprietates corporum cœlestium probat per causas : alteram judiciariam, quæ futura hominum fata præsagit : priorem esse partem Philosophiæ reducibilem ad Physicam, cum cognoscat corpora quædam naturalia per causas : posteriorem verò non esse partem Philosophiæ, quia illius conclusiones sunt erroneæ, & humano subjacent arbitrio, secundum illud tritum : Sapiens dominabitur astris.

Quæres 2. Utrum Medicina sit pars Philosophiæ.

Respondeo duplicem esse Medicinam, unā Ætiologicam,

cam, quæ morborum causas, remediorumque vires rationibus scrutatur: alteram Empiricam seu Therapeuticã, quæ novit remedia per experientiam: priorem esse partem philosophiæ reducibilem ad Physicam cujus scilicet definitionem participat: posteriorem verò non esse partem Philosophiæ, quia non cognoscit per causas.

Quæres 3. Utrum Magia sit pars philosophiæ.

Respondeo duplicem esse Magiam, unam Albam, quæ mirorum quorundam effectuum naturaliū causas rimatur; alteram Nigram, quæ ope dæmonum explicitè vel implicitè imploratâ, mira quædam præstat: priorem esse partem philosophiæ reducibilem ad Physicam, cujus scilicet essentiam participat: posteriorem verò non esse partem Philosophiæ quia non cognoscit per causas.

Quæres 4. Utrum Jurisprudentia sit pars philosophiæ.

Respondeo duplicem esse jurisprudentiam, unam naturalem, quæ ex legibus naturalibus conclusiones directè deducit: alteram positivam, quæ ex legibus positivis ratiocinatur: priorem esse partem philosophiæ reducibilem ad Moralem, cujus definitionem participat; posteriorem verò non esse partem Philosophiæ, quia versatur circa conclusiones quæ aliter & aliter se habere possent, imò quæ aliter de facto se habent in diversis regionibus, cum pendeant ex arbitrio legislatorum.

Quæres 5. Utrum Theologia sit pars philosophiæ.

Respondeo duplicem esse Theologiam, unam naturalem, quæ aliquid de Deo per rationes naturales demonstrat: alteram Christianam, quæ aliquid de Deo demonstrat per sacras Scripturas: priorem esse partem Philosophiæ reducibilem ad Metaphysicam: posteriorem verò non esse, quia non versatur circa res naturaliter cognoscibiles.

Quæres 6. Utrum Rhetorica sit sit pars Philosophiæ.

Respondeo Rhetoricam esse partem Philosophiæ reducibilem ad Logicam: cum ab ea sua principia mutuetur quæ tantum ornat.

Quæres

Quæres ultimò. Utrum Grammatica & Geographia sint partes Philosophiæ?

Respondeo non esse; quia non versantur circa res necessarias, sed circa contingentes & planè dependentes ab arbitrio hominum: si enim quæras v. g. cur verbum activum regat accusativum, aut cur ita divisus sit mundus terraqueus, hæc unica suppetit responsio. Sic voluere patres.

CAPVT VLTIMVM.

De Sectis Philosophorum.

SEcta est quædam doctrinæ formula sub aliquo duce, quam nonnulli sectantes distinctam ab alijs constituũt disciplinæ classem: unde Secta, dicitur vel à sectando, quia aliquem ducem sectatur, vel à secando, quia per eam alij secantur & separantur ab alijs.

Tot possunt statui Sectæ, quot unquam fuere diversæ opiniones: attamen omnes ad duas generales revocantur, Academicam videlicet & Dogmaticam.

Academica Secta continet Philosophos timidos, qui de ingenio humano ita diffidebant, ut ignorantiam rerũ omnium publicè profiterentur, contra quos egimus capite 1.

Isti autem Philosophi adhuc fuere duplicis generis, alij purè Academici qui jactabant se hoc unum scire quod nihil scirent, imò quod nihil scire possent, & de rebus omnibus ad summum opinionẽ haberi posse dicebant, unde nunquam affirmabant ignem esse calidum, sed calidũ videri:

Alij fuerunt Pyrrhonij, sic dicti à Pyrrhone authore, qui de veritatis assecutione non desperabant, quam dicebant se perpetuò inquirere, unde Inquisitores dicti sunt: dicebant tamen se hactenus nihil scire potuisse,, prioribus in hoc timidiores, quod nequidem asserere auderent quod nihil scirent, neque absolutè dicerent ignem videri calidum,

calidū, ſed ſibi hic & nunc in his circumſtantijs ita videri.

Illorum autem omnium Philoſophorum finis fuit beatitudo, quam in doloris vacuitate collocabant; nam per illam dubitationem credebant omnem poſſe facile dolorem vitari: cur enim doleret homo etiam damnatus ad patibulum, qui nequidem ſciret ſe damnatum eſſe ad patibulum?

Dogmatica ſecta Philoſophos continet audaciores; qui veritatē in pluribus ſe aſſecutos eſſe contendunt, & multa conſtanter dogmata pronuntiant.

Dogmatica ſecta duplex floruit apud Græcos, ſcilicet Pythagorica ſeu Italica, cujus princeps Pythagoras, Pherecydis diſcipulus: qui cùm peragratis multis regionibus in Italiam ſe recepiſſet, ibi ſuam Philoſophiam tradidit: & Ionica ſic dicta, quod Thales Mileſius ejus author ex Ionia fuerit.

Ionica diſtribuitur in tres alias ſectas percelebres, ſcilicet in Stoicam ſic dictam à porticu, quod Zeno Citticus ejus author in porticu eam docebat: In Platonicam, cujus author Plato, qui eam publicè in Academia ſuburbio Athenarum nemoroſo, & amœno profitebatur; unde etiam Platonici dicti ſunt Academici: & Peripateticā, eo quod Ariſtoteles ejus ſectæ Coriphæus in Lycæo cum diſcipulis deambulando philoſopharetur.

Ariſtoteles vulgò cognominatus Stagirites, eó quod patriam habuerit Stagiram Macedoniæ oppidum, auditor Socratis per tres annos, & Platonis per viginti, teſtibus Laërtio & Ammonio in ejus vita. Diſcipulum habuit Alexandrum magnum, cum quo ubi per annos circiter octo commoratus eſt: Athenas reverſus inveniens ſcholā à Xenocrate occupatam, in Lycæo docuit. De morte ejꝰ non conſtat inter authores: Dionyſius Halicarnaſſæus refert eum in Colcide morbo perijſſe anno ætatis ſuæ 63. Alij aſſerunt in Euripū, cujus ſeptenos in dies æſtus cōprehendere non poterat, ſe dediſſe præcipitem, ut ab eo caperetur, quem mente capere non poterat, & morientem

tem sic exclamasse: Nudus veni, dubius vixi, incertus morior, quò vadam nescio, ens entium miserere mei.

Aristoteles tot libros conscripsit ut ad 400. numerum perveniant teste Laërtio.

Ex illis qui ad nos pervenerunt, alij sunt philosophici, alij rhetorici & poetici.

Aristotelis libri philosophici quadruplicis extant generis, scilicet Logici, Ethici, Physici, & Metaphysici. Secũdum quos dividitur vulgò Philosophia in scholis in quatuor partes, Logicam scilicet, Ethicam, Physicam, & Metaphysicam: Mathematicam omitendo, tum quia facilior est, nec proinde eget exercitationibus classicis, tum quia non est necessaria ad tres ad quos litterati vulgo aspirant status, puta Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam, tum quia Aristoteles de Mathesi nihil, aut valde pauca conscripsit, in libro scilicet quæstionum mechanicarum & in libello de lineis insecabilibus. Quosnam autem de quatuor philosophiæ partibus libros nobis reliquerit, dicetur in Prolegomenis singularum partium.

Peripatetici divisi sunt in tres illustrissimas classes.

Prima est Thomistarum, qui ducem sequuntur sanctũ Thomam Aquinatem, patriâ Neapolitanum, professione Dominicanum, Parisijs florentem 65. post duodecimum à Christo nato sæculum anno.

Secunda est Scotistarum, qui Joannem Dunz, natione Scotum, titulo Subtilem, professione Franciscanum, Parisijs florentem in fine decimitertij sæculi & initio sequentis, in Coriphæum habent.

Tertia Nominalium, qui sequuntur Guillelmum Ochamum; natione Anglum, professione Franciscanũ, Scoti discipulum, qui floruit Parisijs anno circiter 1520.

Nos quanquam Authores omnes dogmaticos veneremur, præsertimque Platonem, Aristotelem, & S. Thomã, in nullius tamen verba juramus: quippe amici omnes, magis tamen amica veritas: Philosophi siquidem est, mentem suam ratione potius, quam authoritate confirmare.

COM-

COMMENTARIVS IN ARISTOTELIS ORGANVM.

QUamvis finis ſecundum intentionem media ad ipſum conducentia præcedat: attamen ſecundum executionem media priora ſunt fine. Cum ergo Logica medium ſit ad cæteras ſcientias perutile, hanc ob rem in ſcholis, cæteris Philoſophiæ partibus præmitti & ſolet, & debet.

DISPUTATIO PROÆMIALIS,

De ipſa Logica.

QUia omnis quæ à ratione ſuſcipitur de re aliqua inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id de quo diſputetur (inquit Tullius 1. Offic. nõ longe ab initio,) ideo Logicam ſicut alias Philoſophiæ partes ab explicatione ipſius naturæ, ſeu (ut ajunt) à Prolegomenis auſpicamur.

CAPVT PRIMVM,

De nomine, notione, & exiſtentiâ Logicæ.

TRia ſunt nomina ſimplicia hujus diſciplinæ, ſcilicet, Logica, Dialectica, & Organum.

Primò, dicitur Logica à ratione & ſermone, quia rationem dirigit, & præcepta præſcribit de ſermone, non quidem externo ſeu vocali: ſed interno ſeu mentali, ut dicemus agendo de illius objecto.

Secundò, dicitur Dialectica, quod eſt ac ratione uti ſeu diſſerere. Porro nomen Dialecticæ aliquando ſignificat totam Logicam: aliquando verò eam tantum partẽ, quæ probabilia cõſectatur, quæquèTopica propriè nuncupatur.

Tertiò, dicitur Organum, & sic inscribitur vulgò Aristotelis Logica: eo quod sit omnium scientiarum commune instrumentum, vel potius quod instrumenta sciendi cæteris disciplinis discursivis suppediret.

Duplex est Logica, Naturalis una, Artificialis altera.

Logica naturalis est ipsum rationis lumen omnibus hominibus à natura insitum, quo sine ullis præceptis ratiocinari possunt.

Logica artificiális est disciplina quædam de re quâ habet aptè ad veritatis manifestationem differendi.

Logicæ naturalis existentiam negare nequit, nisi qui amentem se fateri velit. Quæritur autem utrum detur Logica artificialis.

CONCLUSIO. Datur Logica artificialis. Probatur primò. Ubi occurrit error, qui observatione possit emendari: difficultas, quæ possit exercitio amoveri, & facultas indifferens ad benè & malè agendum, ibi locus est habitui, qui errorem emendare possit, difficultatem amovere, & facultatem indifferentem, ad benè agendum determinare: Atqui in definiendo, dividendo, argumentando, & ordinando, occurrit error qui observatione emendari possit: difficultas, quæ possit exercitio amoveri, & facultas indifferens ad benè & malè definiendum, dividendum, argumentandū. Ergo datur habitus qui id præstet: sed talis habitus est Logica artificialis: Ergo datur Logica artificialis.

Confirmari potest experientiâ multorum, qui cum antea ineptè planè differerent, tandem crebrâ actuum repetitione peritiam assecuti sunt rectè differendi.

Probátur secundò, argumento desumpto ex Galeno. Aut ex quavis propositione licet quamlibet colligere, aut non licet; si liceat, infero. Sol lucet. Ergo datur Logica artificialis: si non licet: Ergo datur aliqua disciplina quæ doceat quænam conclusio ex singulis propositionibus sequi possit: illa autem est Logica artificialis: Ergo datur Logica artificialis.

Obiici-

Obijcies. Natura eſt certior arte : Ergo inutilis eſt Logica artificialis. Diſtinguo antecedens. Natura eſt certior arte, in rebus determinatis ad unum agendi modum. v. g. in lapidibus, concedo : in rebus indifferentibus ad multos agendi modos, nego. At intellectus humanus indifferens eſt ad multos ratiocinandi modos.

Quæres, cur tam pauci dicantur Logici ? Reſpondeo rationem eſſe, quia artes, quæ exercentur à pluribus, quales ſunt Grammatica, Rhetorica, Logica : eæ non denominant niſi inſignes : paucis autem in Dialecticâ excellere datum eſt : quia ad id eximia opus eſt mentis ſolertiâ, quæ paucis à naturâ obtigit : imò illi etiam, qui Logicam apprimè callent, vix denominantur Logici, nã denominantur à ſcientiâ, quam habent Logica præeminentem ; v. g. à Theologiâ, Medica, &c. licet enim boni Theologi & Medici, ſint quoque periti Logici ; non tamen ita nuncupãtur: quia ab altioribus, titulos ſemper deſumit hominum faſtus.

CAPVT SECVNDVM,

De cauſis Logicæ,

ARTICULUS PRIMUS,

De fine Logicæ.

NOn hîc agimus de fine artificis, qui varius eſſe poteſt ſecundum arbitrium Logici, putâ divitiæ, honores, &c. ſed de fine artis, quem ſcilicet ex naurâ ſuâ intendit Logica.

Supponendum eſt quod poſtea probabitur, Logicam eſſe diſciplinam planè practicam.

Notandum eſt in quâcunque diſciplinâ practicâ duplicem eſſe facultatem ſive re. ſive ratione diſtinctam, quarum una dicitur dirigens, præcipiens : alia verò obſequens & exequens, ut videre eſt inductione factâ per omnes artes.

Notandum est iterum pro duplici illa facultate duplicem esse finem disciplinæ practicæ : unum proximū, qui est finis facultatis præcipientis, putâ cognitio præceptorum : alterum remotum, qui est finis facultatis exequentis, putâ operatio secundum regulas : sic finis proximus Pictoriæ est cognoscere pingendi regulas : remotus verò est pingere ex regulis,

Præter hos duos fines, admittendus est in plerisque disciplinis practicis tertius finis, qui remotissimus & extrinsecus dici potest, & qui potius est finis operis, quàm artis, qualis est inArchitecturâ cōmoda habitatio, in Frænefactoria commoda equitatio, &c. His positis sit.

I. CONCLUS. Finis proximus Logicæ est cognitio præceptorum conficiendi orationes logicas. Probatur. Finis proximus disciplinæ practicæ est cognitio præceptorum conficiendi operis ab illâ disciplinâ intenti : Atqui opus à Logica intentum est oratio logica, ut dicetur infra : Ergo finis proximus Logicæ est cognitio præceptorum conficiendi orationes logicas, hoc est rectè definiendi, dividendi, argumentandi, & ordinandi.

II. CONCLUS. Finis remotus Logicæ est conficere orationes logicas rectas. Probatur. Finis remotus disciplinæ practicæ est rectè operari ex regulis illius : Atqui rectè operari ex regulis Logicæ, est conficere orationes logicas rectas, putâ rectas definitiones, divisiones, argumētationes & methodos. Ergo finis remotus Logicæ est conficere orationes logicas rectas, hoc est rectè difinire, dividere, argumentari & ordinare.

III. CONCLUS. Finis remotissimus Logicæ est acquisitio scientiarum. Probatur. Finis remotissimus disciplinæ practicæ est finis operis ab ipsa intenti : Atqui finis operis à Logica intenti, putâ orationis Logicæ, definitonis scilicet, divisionis, argumentationis & methodi est acquisitio scientiarum : unde etiam oratio logica vocatur vulgò Instrumentum sciendi : Ergo finis remotissimus Logicæ est acquisitio scientiarum.

Occasi-

Occaſione hujus concluſionis quærimus hîc : quomodo Logica neceſſariâ ſit ad cæteras ſcientias comparandas, quod ut dirimatur.

Notandum eſt 1. Neceſſarium duplex eſſe, abſolutū & hypotheticum.

Neceſſarium abſolutum illud eſt, quod nullâ factâ hypotheſi non poteſt non eſſe, qualis ſolus Deus.

Neceſſarium hypotheticum illud eſt, quod facta aliquâ hypotheſi aliter eſſe non poteſt: quomodò quædam media neceſſaria ſunt ad finem.

Neceſſarium ad finem duplex eſt : unum dicitur ſimpliciter neceſſarium : aliud neceſſarium ſecundum qui , ſeu ad melius eſſe.

Illud eſt neceſſarium ſecundum quid ad finem, ſine quo finis poteſt, obtineri, non tamē ita benè : unde hoc neceſſarium utile potius dicendum eſt, quam neceſſariū: ſic caro neceſſaria eſt ad vitam hominis fovendam.

Illud eſt neceſſarium ſimpliciter ad finem , ſine quo nullomodo finis poteſt obtineri : ſic alimentum neceſſarium eſt ad vitæ conſervationem.

Notandum 2. Scientias duobus modis poſſe conſiderari, ſcilicet in ſtatu perfecto, & in ſtatu imperfecto. Tūc aliquis eſt ſciens in ſtatu perfecto, quando eſt imperturbabilis in ſcientiâ : tunc verò eſt ſciens in ſtatu imperfecto tantum, cum ab aliquo doctiore & ſubtiliore perturbari poteſt.

Certum eſt 1. Logicam non eſſe neceſſariam abſolutè: cum ſolus Deus ſic ſit neceſſarius.

Certum eſt 2. Logicam naturalem eſſe neceſſariā ſimpliciter ad ſcientias in quocunque ſtatu ſpectatas : amens enim omnis ſcientiæ incapax eſt.

Certum eſt 3. Logicam artificialem eſſe ſaltem utilem ad ſcientias in quocunque ſtatu ſpectatas : melius enim beneficio Logicæ, ſcientiæ acquiruntur.

Certum eſt 4. Logicam artificialem non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſcientias in ſtatu imperfecto acquirendas :

das : nam qui à Physicá inciperet studium philosophicũ, aliquid utcunque addisceret.

Cardo igitur difficultatis est utrum Logica artificialis sit necessaria simpliciter ad scientias in statu perfecto cõparandas.

IV. CONCLUS. Logica est simpliciter necessaria ad scientias in statu perfecto comparandas.

Probatur 1. authoritate tum Aristotelis qui Logicam vocavit Organum : tum Divi August. qui Logicam appellat Artem artium, quâ apertâ, cæteræ aperiuntur, & quâ clausâ, cæteræ clauduntur.

Probatur 2. ratione : Sine Loogicâ nemo potest esse perfectè sciens : Ergo ad scientias in st .u perfecto comparãdas Logica est simpliciter necessaria. Probatur Antecedens. Ut aliquis sit sciens perfectè, oportet ut sciat se scire : nisi enim sciat se scire vacillabit ; nec proinde erit imperturbabilis : Atqui non potest scire se scire absq; logica : non potest enim scire se scire, nisi sciat se benè processisse in suâ scientiá : non potest autem scire se bene processisse in sua scientia, nisi noverit quamodo procedẽdum sit : non potest nosse quomodò procedendum sit, nisi noverit quomodò sit definiendum, dividendum, argumentandum & ordinandum : (sic enim procedendum est in scientijs:) hoc autem scire est habere Logicam : Ergo à primo ad ultimum, ut aliquis sit perfectè sciens, necessarium est planè ut habeat Logicam artificialem.

Confirmatur cõclusio paritate. Cæteræ artes sunt simpliciter necessariæ ad sua opera rectè cõficienda, ut saltatoria ad saltandũ ad numeros, Cytharisatoria ad rectè pulsandam cytharam : Ergo à pari Logica est simpliciter necessaria ad suas operationes, definitiones videlicet, divisiones, argumentationes & methodos rectè conficiendas, & proinde ad scientias rectè comparandas.

Obijcies 1. Multi sunt perfecti Mathematici qui Logicam nunquam didicerunt ; Ergo Logica non est simpliciter necessaria ad scientias in statu perfecto comparandas.

Distin-

Distinguo antecedens. Multi sunt perfecti Mathematici Qui Logicam nunquam didicêre seorsim à sua Mathesi concedo: simul cum sua Mathesi nego: nam præceptores Matheseos, Mathematicas disciplinas docendo, data occasione tradunt regulas definiendi, dividendi, argumẽtandi & ordinandi. Si etiam veteres ante Aristotelem, Logicam simul cum alijs scientijs promiscuè tradebant: Aristoteles enim primus fuit, qui Logicæ præcepta à rebus avulserit. teste Ammonio in ejus vitâ.

Obijcies 2. Ars organica non est necessaria ijs, qui utuntur organis; sic opus non est, ut equites sint frenefactorij: Atqui Logica est ars organica respectu aliarum scientiarum; Ergo ad eas non est necessaria.

Distinguo Majorem. Ars organica non est necessaria ijs, qui utuntur organis; si uti organis non sit organa conficere, concedo: secùs nego: At scientias uti definitione, divisione, argumentatione & methodo est conficere definitiones, divisiones, argumentationes & methodos, unde opus est ut scientes sint Logici.

Obijcies 3. Rusticus multa tam constanter scit, ut ne quidem à subtilissimo Sophista à sua mente possit dimoveri, nec tamen habet Logicam artificialem: Ergo ad perfectam scientiam non opus est Logica artificiali.

Distinguo antecedens. Rusticus à sua mente dimoveri non potest propter pertinaciam, vel propter experientiam, concedo: propter scientiam nego: ad hoc enim opus esset, ut redderet rationem negati, quod non potest præstare sine Logica artificiali,

Obijcies 4. Si Logica esset necessaria ad alias scientias, esset quoquè necessaria ad seipsam; Atqui hoc dici non potest, alioqui deberet sciri Logica antequam addisceretur, quod est absurdum. Posset concedi Logicam compẽdiosè tractatam & ruditer intellectam necessariam esse ad Logicam perfectam; & proinde teneri debere ruditer, antequam perfectè possideatur: nec hoc esset absurdum, doctrina enim definiendi rudis v. g. facit ad eandem perfectius addiscendam, nihilominus.

Nego majorem. Nam quamvis aliæ disciplinæ egeant Grammaticâ ut congruè loquantur, non tamen Grammatica ad id eget aliâ grãmatica. Ergo à pari licet aliæ scientiæ egeant Logicâ ut tuto argumententur; Logica tamen ad id non eget aliâ logicâ. Et ratio est quia quod est tale ut quo, non eget alio.

ARTICULUS SECUNDUS.

De causa efficiente Logicæ

DE causâ efficiente Logicæ eodem modo philosophandum est ac de causa efficiente Philosophiæ.

Quæritur hic tantum per quam experientiam reparata fuerit Logica; quod ut intelligas.

Nota duplicem esse experientiam, directam scilicet & reflexam.

Experientia directa est observatio, quæ fit circa res ipsas; ut quando meditamur circa cœlos, morbos, & aliud quodvis objectum, ab operationibus intellectûs nostri distinctum.

Experientia reflexa est observatio, quæ fit circa operationes intellectus nostri, examinando utrum rectæ sint nec-ne; v. g. an bona sit definitio aut argumentatio, & quomodò constructa.

CONCLUS. Logica reparata est per experiẽtiam reflexam. Probatur. Quælibet disciplina reparata est per experientiam circa suum objectum, v. g. Medica per experientiam circa morbos, non circa numeros; Arithmetica per experientiam circa numeros, non circa morbos; Atqui objectum Logicæ sunt quædam mentis operationes artificiosè construendæ, (ut dicemus articulo sequẽte.) Ergo Logica reparata est per experientiam circa mentis operationes. Sed ista experientia est reflexa; Ergo Logica reparata est per experientiam reflexam.

Objicies. Si Logica reparata fuisset per experientiam reflexam non esset necessaria ad alias scientias. Consequens repugnat præcedenti conclusioni; Ergo & antecedens.

dens. Probatur ſequela. Poſterius non eſt neceſſarium ad prius; Atqui logica fuiſſet poſterior alijs ſcientijs, cum experientia reflexa ſupponat aliquam directam: Ergo Logica non fuiſſet neceſſaria ad alias ſcientias.

Diſtinguo Majorem. Logica non eſſet neceſſaria ad alias ſcientias comparandas in ſtatu imperfecto concedo, in ſtatu perfecto nego: Ad probationem.

Diſtinguo Minorem. Logica fuiſſet poſterior cæteris ſcientijs in ſtatu imperfecto conſideratis, concedo: in ſtatu perfecto conſideratis, nego.

ARTICULUS TERTIUS,

De cauſa materiali Logicæ.

DE cauſa materiali in quâ, & ex quâ Logicæ & cæterarum Philoſophiæ partium, eodem planè modo philoſophandum, ac de materia in quâ & ex quâ Philoſophiæ.

Difficultas tantùm eſt de causâ materiali circa quam, ſeu de objecto Logicæ.

Verùm, antequam hæc difficultas dirimatur, ſummæ pretium fuerit operæ; de objecto in genere accuratè diſſerere.

PARAGRAPHUS PRIOR.

De Objecto in genere

TRia ſunt quæ per ſe habent objecta: ſcilicet potentiæ, habitus, & actus.

Nos tamen hîc tantùm agimus ex profeſſo de objectis habituum diſcurſivorum: quæ autem de ijs dicemus, ad qualibet objecta transferri nullo negotio poterunt.

Objectum diſciplinæ eſt id circa quod occupatur diſciplina. Sic dicitur, quia diſciplinæ conſiderandum obijcitur.

Objectum duplex ſtatui poteſt ſcilicet complexum & incomplexum.

Objectum complexum eſt propoſitio integra, quæ cõſidera-

ſideratur à diſciplinâ diſcurſivâ. Et duplex eſt, ſcilicet materiale, putâ concluſio : & formale propter quod, quod motivũ etiam appellatur, puta principia, ex quibus deducitur concluſio : Sic in hac demonſtratione Phyſicâ :

Omne conſtans naturis eſt mobile :
Atqui omne corpus naturale eſt conſtans naturis;
Ergo omne corpus naturale eſt mobile.

Concluſio eſt objectum materiale complexum : præmiſſæ verò ſunt objectum formale complexum.

Objectum incomplexum, quod à quibuſdam ſubjectũ conſiderationis appellatur, eſt res circa quam diſciplina occupatur.

Objectum incomplexum duplex eſt, ſcilicet per ſe, & per accidens.

Objectum per accidens, eſt id, quod conſideratur propter aliud, ad quod ex naturâ ſuâ non pertinet : ſic fallaciæ ſunt objecta per accidens Logicæ, & vitia Ethicæ.

Objectum per ſe illud eſt, quod propter ſe conſideratur, vel ſaltem ex naturâ ſuâ pertinet ad id quod propter ſe conſideratur. Sic corpus naturale, materia & forma, magnitudo, & motus ſunt objecta per ſe Phyſicæ : quia corpus naturale propter ſe conſideratur à Phyſicâ, materia autem, forma, magnitudo & motus ex naturâ ſuâ pertinent ad corpus naturale.

Objectum per ſe duplex eſt : totale, ſcilicet & partiale.

Objectum totale eſt illud, quod ſuo ambitu continet id omne, quòd in aliquâ diſciplinâ conſideratur, ut corpus naturale in Phyſica.

Objectum partiale eſt pars objecti totalis, ut cœlum in eadem Phyſicâ : eſtque vel pars præcipua, & dicitur objectum primarium, ut corpus animatum in Phyſica : vel pars minus præcipua, & dicitur objectũ ſecundariũ, ut corpus inanimatum in eadem phyſicâ.

Objectum totale vel eſt Communitatis, vel Attributi-

Objectum communitatis est illud quod prædicatur in recto de omnibus quæ tractantur in aliquâ disciplinâ: ut ens physicum respectu Physicæ: omnia enim quæ tractãtur in Physicâ, prout in eâ tractantur, dici possunt entia physica.

Objectũ Attributionis est illud quod de omnibus quæ tractantur in aliquâ disciplinâ, ita prædicatur, ut de quibusdam (putâ de inferioribus) prædicetur in recto, de quibusdam (putâ de principijs & affectionibus) in obliquo, quale est corpus naturale respectu Physicæ: dicitur enim, cœlum est corpus naturale, elementum est corpus naturale, materia est corporis naturalis (supple pars,) magnitudo est corporis naturalis (supple proprietas.) Hoc objectum vulgò intelligitur nomine Objecti, constatque duplici parte, scilicet materiali & formali.

Notanda igitur præ cæteris divisio objecti in materiale & formale.

Objectum Materiale est id circa quod aliqua disciplina ita versatur, ut circa idem possit alia quoque versari, ut corpus naturale respectu Physicæ, circa quod etiam Medica occupatur.

Verùm in artibus duplex est objectum materiale: unũ remotum, aliud proximum.

Proximũ (quod solet simpliciter intelligi nomine objecti materialis) est illud, de quo efficiẽdo ars regulas præscribit: sic statua est materia proxima artis statuariæ.

Remotum est id cui applicantur artis præcepta, ut lapides respectu statuariæ.

Objectum formale est illud, quod objectum materiale, de se ad multa indifferens restringit ad unum; ut Naturalitas respectu Physicæ, quæ corpus naturale ex se indifferens ad Physicam & Medicam determinant ad Physicam.

Quidam in habitibus discursivis triplex distinguunt objectum formale, scilicet quod, propter quod, & sub quo.

Objectum formale quod, est prædicatum conclusionis ut mobile in superiori demonstratione. Obie-

Objectum formale propter quod, est medium syllogismi, propter quod scilicet conclusioni præbetur assensus, ut constans naturis in eadem demonstratione.

Objectū formale sub quo, (quod solet intelligi nomine objecti formalis simpliciter) est specialis ratio, sub qua objectum materiale ab aliquâ disciplinâ attingitur, & per quam illa disciplina a quavis alia distinguitur, ut Naturalitas respectu Physicæ.

Objectum autem illud quod conflatur ex objecto materiali simpliciter, & objecto formali sub quo, vocatur objectum adæquatum, objectum simpliciter, objectum attributionis.

Objectum attributionis definitur, id quod propter se consideratur ab aliquâ disciplinâ, & ad quod omnia quæ tractantur in tali disciplina referuntur, ut corpus naturale quatenus naturale, respectu Physicæ.

Porrò objectū attributionis vocari potest objectū specificū materiale verò, genericū : formale autē sub quo; differentiale : quia sicut species constat genere & differētiâ, ita objectum attributionis constat ex objecto materiali & formali sub quo.

Ad objectum adæquatum alicujus disciplinæ quatuor requiruntur conditiones, scilicet Unitas, Commēsuratio, Relatio (seu potius Terminatio,) & Distinctio : quia illæ conditiones ad quodlibet specificativum requiruntur : habitus autem specificantur ab objectis.

Primò, objectum adæquatum debet esse unum aliquâ unitate, vel univocâ, vel analogâ, vel saltem ordinis; quia per respectum ad objectum disciplina constituitur una.

Secundo, debet esse Commensuratum, hoc est nec angustiùs nec latiùs patere quàm disciplina, quia disciplinæ per objecta limitantur.

Tertio, ad objectum omnia quæ tractantur in aliquâ disciplinâ referuntur, vel ut principia, vel ut proprietates, vel ut species; propter quam conditionem singulos cō-

menta-

mentarios nostræ Philosophiæ distribuemus in tres partes; in quarum primâ agemus de Principijs objecti, in secundâ de proprietatibus illius; in tertia & Ultimâ de speciebus.

Quarto, objectum debet distinguere unam disciplinam à qualibet alia; unde differentiæ disciplinarum desumũtur per ordinem ad objecta, hinc illud Axioma; habitus specificantur ab objectis.

Præter has quatuor conditiones omnibus objectis adæquatis communes; ad objectum scientiæ requiritur quinta, scilicet objecti necessitas, hinc illud effatum; De contingentibus non datur scientia.

PARAGRAPHUS SECUNDUS,

Dirimitur quæstio de objecto Logicæ.

VAriæ fuerunt opiniones de objecto materiali Logicæ, quæ Conveniunt omnes in eo quod asserant pro objecto Logicæ definitionem, divisionem, argumentationem & methodum, vel saltem aliquam, ex illis, puta argumentationem solam, aut aliquam argumentationis speciem, syllogismum, videlicet & demonstrationem (ut sentiunt multi Scotistæ) unde tota ferè opinionum diversitas oritur ex varijs acceptionibus definitionis, divisionis, argumentationis, & methodi.

Quatuor ergo illa instrumenta sciendi sumi possunt quinque modis.

Primò Vocaliter, pro definitione vocali, &c.

Secundò Mentaliter formaliter, pro operationibus mentis definientis, &c.

Tertiò Mentaliter terminativè, pro opere seu effectu producto à mente definiente, &c.

Quartò Objectivè, pro ipsis rebus definitis, &c.

Quintò, Secundò intentionaliter pro formis quibusdã fictitiis, quas intellectus fingit advenire rebus ex eo quod fuerint definitæ, &c.

Ex

Ex his quinq; acceptionibus natæ sunt quinq; celebriores de obiecto Logicæ sententiæ.

Prima est Nominalium dicentium obiectum Logicæ esse voces.

Secunda est vulgi Philosophorum arbitrantis obiectũ Logicæ esse operatones mentis.

Tertia est quorundam recentiorum docentium obiectum Logicæ esse opera mentis.

Quarta est quorundam Thomistarum propugnantium obiectum Logicæ esse res omnes.

Quinta denique est plerorumque Thomistarum contendentium obiectum Logicæ esse secundas intentiones, seu entia rationis Logicalia.

Nos nostram mentem sequentibus assertionibus aperiemus.

I. CONCLUS. Oratio Logica est objectum legitimũ Materiale Logicæ. Probatur 1. Illud est Obiectum Materiale alicuius disciplinæ, de quo efficiendo illa disciplina tradit præcepta; atqui Logica tradit præcepta de oratione logicâ efficiendâ: Ergo, &c.

Probatur 2. Obiectum materiale disciplinæ organicæ & alteri subservientis, sunt instrumenta quibus disciplina superior utitur; v. g. obiectum materiale artis frænefactoriæ, quæ subservit equestri, sunt instrumenta ad equitandum. Atqui Logica est disciplina organica subserviens cæteris scientiis, ut dictum est supra: Ergo eius obiectũ sunt instrumenta sciendi, seu (quod idem est) orationes Logicæ.

Obiicies: Instrumenta non sunt obiectum disciplinæ practicæ, v. g. Circinus & amussis non sunt obiectum Architecturæ; Ergo instrumentum sciendi non est obiectum Logicæ.

Distinguo antecedens: Instrumenta non sunt obiectũ disciplinæ practicæ principis & architectonicæ, concedo; organicæ, quæ agit de instrumentis conficiendis, qualis est frænefactoria, nego; At Logica est disciplina organi-

ca,

ca, quæ Proinde nihil aliud habere debet pro obiecto, quam organa seu instrumenta.

Instabis: Instrumenta, quibus utitur ars organica, nõ sunt obiectum illius, ut patet etiam in frænesactoria, atqui ipsa Logica utitur definitione, divisione, argumentatione, & methodo; Ergo illa non sunt obiectũ Logicæ.

Distinguo maiorẽ. Si ars organica non tradat præcepta de conficiendis ijs instrumentis, quibus utitur, concedo; secus, nego. Non mirum est, si frænesactoria nõ habeat sua instrumenta pro objecto, quia de his conficiendis non dat regulas, at fabrilis ferraria v. g. utitur malleo tanquam instrumento, & tamen habet malleum pro objecto, cum de eo conficiendo tradat præcepta; sic Logica licet utatur oratione logicâ tanquam instrumento, eandem tamen habet pro objecto, cum de eâ conficiendâ regulas præscribat.

II. CONCLUS. Nec argumentatio, nec Syllogysmus, nec Demonstratio est objectum adæquatum Logicæ.

Probatur ex eo quod illis orationibus non competat secunda conditio ad objectum adæquatum requisita, putâ Commensuratio; quippe Logica non tantum de illis orationibus tractat, sed etiam de definitione, divisione, & methodo; cum hæ posteriores per se etiam inserviant ad scientias acquirendas.

Obijcies primo. Illud est objectum adæquatum alicujus disciplinæ, ad quod omnia quæ tractantur in illa disciplinâ referuntur; Atqui omnia quæ tractantur in Logicâ, referuntur ad demonstrationem. Ergo Demonstratio est objectum adæquatum Logicæ.

Distinguo majorem. Illud est objectum adæquatum alicujus disciplinæ, ad quod omnia quæ tractãtur in illa disciplinâ referuntur, per se, concedo: per accidens, nego. At cæteræ orationes logicæ per accidens tantum referuntur ad demonstrationem, cum ex naturâ sua id non exigant, ut potè quæ etiam solæ sint manifestatrices veritatis.

Instabis. Pars per se refertur ad totum: Atqui Definitio est pars Demonstrationis. Ergo per se refertur ad ipsam.

Distinguo majorem. Pars per se refertur ad totum, si sit pars per se, hoc est, si exigat essentialiter ingredi cōpositionem totius, concedo: si sit pars per accidens, ut lapis respectu domus, nego. At definitio est tantum pars per accidens Demonstrationis, cum non exigat esse in ipsa.

Objicies secundò. Instrumentum sciendi est objectum adæquatum Logicæ: Atqui sola Demonstratio est instrumentum sciendi, cum sola pariat scientiam: Ergo sola Demonstratio est objectum Logicæ.

Distinguo minorem. Sola Demonstratio est instrumētum sciendi: si sciētia sumatur strictè pro cognitione certa & evidente facta per discursum, concedo: si scientia sumatur latè pro qualibet cognitione veritatis clarâ & indubitatâ, nego. At scientiæ totales, quibus inservit Logica, non tantum intendunt cognitionem discursivā proprietatum de suo objecto quæ habetur per demonstrationem: sed etiam claram apprehensionem ejus essentiæ, quæ habetur per definitionem, cognitionem ejus partiū, quæ habetur per divisionem: & rectum ordinem, qui habetur per methodum.

III. CONCLUS. Omnes operationes mētis non sunt objectum Logicæ.

Probatur. Objectum Logicæ sunt eæ tantùm operationes mentis, quæ scientiis per se inserviunt, cum Logica tota sit organica. & proinde sunt eæ tantum mentis operationes quæ vim habent manifestandæ veritatis: Atqui omnes operationes mentis non sunt ejusmodi, ut patet de illis apprehensionibus & propositionibus, quæ nec sunt definitiones, nec divisiones, nec methodi: Ergo omnes operationes mentis non sunt objectum Logicæ.

Objicies. Illud est objectum alicuius scientiæ, ad cujus divisionem dividitur scientia: Atqui Logica dividitur

tur in tres partes secūdùm tres mentis operationes : Ergo tres mentis operationes ſunt obiectum Logicæ.

Diſtinguo minorem. Logica dividitur in tres partes ſecundùm tres mentis operationes, eo quod quædam ex ſingulis tribus mentis operationibus ſint orationes logicæ, concedo : eo quod ſingulæ ſint de obiecto Logicæ, nego.

Diſtinguo conſequens. Ergo tres mentis operationes ſunt obiectum Logicæ, ſecundùm aliquas ſuas ſpecies, concedo : ſecundum omnes ſuas ſpecies, nego. Adde quod poſſit aliter dividi Logica, & aliter etiam ſit dividenda à nobis, ut inſinuavimus præcedenti paragrapho.

IV. CONCLUS. Nec Voces, nec ſecundæ intentiones ſeu Entia rationis ſunt obiectum Logicæ.

Probatur. Quod ab aliqua diſciplina practica nō ſpectatur propter ſe, ſed propter opus à tali diſciplina intentum, non eſt obiectum legitimum illius diſciplinæ : Atqui voces & ſecundæ intentiones ſeu entia rationis, non ſpectantur propter ſe à Logica, ſed propter orationē logicam conficiendam. Ergo non ſunt obiectum legitimū Logicæ.

Obiiciunt nominales : Logica dicitur ſermocinalis : Ergo habet ſermonem pro obiecto.

Diſtinguo Conſequens ; Ergo Logica habet pro obiecto ſermonem mentalem, concedo : vocalem nego.

Inſtant : Logica etiam agit de ſermone vocali, puta de voce & verbo : Ergo habet ſermonem vocalem pro obiecto.

Diſtinguo antecedens. Agit de ſermone vocali, per accidens & propter orationes logicas mentales, concedo: per ſe & propter ſe, nego Diſtinguo conſequens : Ergo Logica habet ſermonē vocalē pro obiecto per accidens, concedo, pro obiecto per ſe, nego.

Obiiciunt Thomiſtæ. Logica agit de ſecundis intentionibus, v. g. de ſubiecto, attributo, maiori extremo, minori termino, medio, &c. Ergo ſecundæ intētiones ſunt obiectum Logicæ. Diſtin-

Distinguo antecedens. Agit de secundis intentionibus propter orationes logicas, ad quas conficiendas inserviunt concedo: propter se nego.

Instabis. Logica agit propter se de definitione in cõmuni, & de divisione in communi; Atqui definitio & divisio in communi sunt secundæ intentiones; Ergo agit propter se de secundis intentionibus.

Nego minorem.: non enim magis definitio & divisio in communi est secunda intentio, quam domus in cõmuni: At domus in communi non est secunda intentio, alias dicendũ esset artes omnes agere de secundis intentionibus.

V. CONCLUS. Res omnes non sunt obiectum materiale proximum Logicæ.

Probatur. Si res omnes essent materia proxima Logicæ, nullâ opus foret scientiâ aliâ à Logicâ, cum exactè de omnibus Logica dissereret: falsum consequens: Ergo & Antecedens.

Obiicies. Logica agit de rebus omnibus in Categoriis. Ergo res omnes sunt obiectum materiale Logicæ.

Distinguo antecedens. Logica in Categoriis agit de rebus omnibus, summatim & ruditer, concedo: exactè, negn. Alias ut diximus non opus foret aliâ scientiâ. Distinguo consequens: Ergo res omnes sunt obiectum materiale Logicæ: remotum; concedo, proximum nego. Sicut enim obiectum proximum Rhetoricæ est oratio ornata, de qua scilicet dat præcepta: remotum verò est res omnis, de qua fieri potest oratio ornata: ita obiectum proximum Logicæ est oratio veri manifestativa, de qua Canones præscribit: remotum verò res omnis de qua fieri potest talis oratio. Non mirum autem est, cur Logica agat summatim de rebus omnibus, quia omnis artifex habere debet rudem quandam notitiam de suâ materiâ remota, ut statuarius de lapidibus, & faber de metallis; & hinc est quod Aristoteles in Categoriis, rerũ naturas exacte non scrutatus sit, sed plerumque retulerit tantum vulgatas sui temporis sententias.

VI.

VI. CONCLUSIO. Oratio Logica quæ eſt obiectum Logicæ, debet potiùs ſumi pro operatione quam pro opere mentis.

Probatur 1. In diſciplinis practicis quæ non producũt ullum opus ſenſibile, potius operatio ſtatuenda eſt pro objecto, quam opus, ut patet in ſaltatoria & hiſtrionica: Atqui Logica non producit ullum opus ſenſibile: Ergo objectum Logicæ eſt potius oratio Logica, ſumpta pro operatione mentis quam pro ejus opere.

Probatur 2. Omnis artifex vi ſuæ artis cognoſcit exiſtentiam ſui objecti, v. g. Architectusa vi rchitecturæ cognoſcit exiſtentiam domus: Atqui Logicus vi Logicæ neſcit utrum dentur opera quædam mentis, hoc eſt utrũ mens intelligendo producat quoſdam terminos & effectus, ſeu quaſdam ſpecies expreſſas: hæc enim cognitio ad Phyſicam ſpectat: Ergo objectum Logicæ non eſt opus mentis.

Obijcies. In architectura ædificium ſtatuendum potius eſt pro objecto, quam ædificatio; Ergo in diſciplinis practicis ſumendum potius eſt pro objecto opus quam operatio.

Diſtinguo conſequens. In practicis diſciplinis producentibus aliquod opus ſenſibile,, ut in architectura ſtatuendum potius eſt pro objecto opus quàm operatio, concedo: in ijs quæ nullum producunt opus ſenſibile ut in ſaltatoria, nego: At Logica per operationẽ ſuam nullũ opus ſenſibile producit.

VII. CONCLUS. Objectum formale Logicæ eſt artificioſa rectitudo orationis Logicæ.

Probatur. Objectum formale diſciplinæ practicæ eſt forma introducenda ex præceptis: v. g. objectum Grammaticæ, eſt congruitas introducenda in orationẽ ex præceptis Grammaticæ. Ergo objectum formale Logicæ eſt rectitudo artificioſa logicæ: hoc eſt vis manifeſtandi veritatem introducenda in orationem logicam ex præceptis Logicæ.

ULTI-

Ultima CONCLUS. Objectum attributionis Logicæ est oratio logicâ prout facienda ex præceptis Logicæ, veritatis manifestativa.

Sequitur ex dictis, quia objectum attributionis alicujus disciplinæ, illud est, quod conflatur ex objecto materiali & formali talis disciplinæ: Oratio autem logica, prout ex præceptis Logicæ construenda est ejusmodi respectu Logicæ; ergo, &c.

Confirmatur. Oratio Logica, facienda ex præceptis veritatis manifestativa, habet omnes conditiones ad objectum attributionis requisitas.

Primo Enim est una unitate generica. Secundo Commensuratur ipsi Logicæ. Tertio Ad ipsam omnia quæ tractantur in Logica referuntur, vel ut principia, v. g. Universalia, Categoriæ, &c. vel ut proprietates, v. g. Certitudo, evidentia, &c. vel ut species, v. g. definitio, divisio, &c. Quarto Denique, Oratio Logica ut ex præceptis Logicæ construenda, distinguit Logicam à qualibet alia disciplina: Ergo oratio Logica sic spectata est objectum attributionis logicæ.

ARTICULUS QVARTUS.

De Causa formali Logicæ.

CAusa formalis Logicæ non est alia ab ejus definitione, quæ constare debet genere & differentia, sicut aliæ, jam habemus differentiam Logicæ, namque Logica, sicut quilibet alius habitus, differētiam sumit per ordinem ad objectum: quare restat ut illius genus inquiramus.

Certum est apud omnes Logicam esse habitum intellectus, cum sit Philosophiæ pars & discursiva, discurrere autem ad solum intellectum spectet: sed quis & qualis sit habitus acriter controvertitur in scholis. Ut hæc difficultas melius dirimatur, quædam prænotanda sunt de habitibus intellectus apprimè necessaria.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIOR,
De habitibus Intellectus in communi.

NOtandum eſt primo in intellectu habitus eſſe triplicis generis, ſcilicet ſemper veros, qui dicuntur virtutes intellectus: ſemper falſos, qui dicuntur vitia intellectus; & indifferentes ſeu medios, qui dicuntur facultates intellectus.

Virtutes intellectus ſunt habitus qui ſemper mentem inclinant ad ſuum bonum, puta ad verum, ut intelligentia, & ſcientia.

Vitia intellectus ſunt habitus, qui ſemper mentem inclinant ad ſuum malum, puta ad falſum, ut hæreſis, & error.

Facultates intellectus ſunt habitus indifferentes ad verum & falſum, ut opinio, & fides humana.

Notandũ ſecũdo virtutes intellectuales rectè dividi in ſpeculativas ſeu theoreticas, & practicas ſeu operativas: quia omnes, vel conquieſcunt in objecti ſui cognitione: vel non. Si primum, ſunt ſpeculativæ: ſi ſecundum practicæ.

Virtus ſpeculativa eſt ea, quæ conquieſcit in objecti ſui cognitione, nec tendit ad opus.

Virtus practica eſt ea, quæ quæ non conquieſcit in objecti ſui cognitione, ſed tendit ad opus.

Quot modis differant inter ſe virtus ſpeculativa & practica, dictũ eſt diſputatione ſuperiori cap. 4. ad primam concluſionem.

Notandum tertio- Virtutem operativam ſeu practicã benè ſubdividi in activam ſeu practicam ſtrictè & factivã ſeu poeticam: quod ut intelligatur, ſciendum eſt quid & quotuplex praxis.

Praxis generice eſt operatio dirigibilis per præcepta ad aliquem finem laudabilem: & duplex eſt, ſcilicet actio ſeu praxis ſpecificè, & factio, ſeu poeſis: quomodo differant inter ſe actio & factio, non conveniunt authores: nos ita ſentimus. Actio

Actio est operatio moralis: vel operatio volũtatis u sic: vel operatio dirigibilis ad honestatem, & proind propter se expetibilis: vel est operatio capax rectitudini moralis: vel operatio in qua habetur ratio intentionis non industriæ.

Factio est omnis operatio artificiosa: vel operatio in tellectus ut sic: vel operatio dirigibilis ad alium finem quam ad honestatem & proinde non propter se expetibi lis: vel operatio capax rectitudinis ingeniosæ: vel ope ratio in qua non habetur ratio intentionis, sed industriæ.

Probatur hæc differentia ex Aristotele (de cujus men te tantum hic controvertitur) qui 6. Metaphys. cap. 1. sic habet: Faciendorum principiũ est in faciente, vel mens, vel ars, vel aliqua facultas: agendorum verò principium in agente, est electio: Et 6. Ethic. cap 2. Sic habet. A ctionis principium productivum est electio. Et postea di cit, finem factionis esse quid aliud ab ipsa factione: finé actionis esse ipsam bonam actionem, Idem habet cap. 3. ubi probat prudentiam non esse artem: quia prudentia est activa, ars verò factiva. Et dicit quod in arte qui vo lens peccat præferendus sit, in prudentiâ verò, quæ est habitus activus, qui volens peccat sit deterior: quæ sa tis ostendunt actionem ad mores ex mente Philosophi spe ctare.

Confirmatur ex definitione Prudentiæ, quam Aristo teles 6. Ethic. 5. definit habitum verâ cum ratione activũ circa ea quæ sunt homini bona vel mala: & cap. 4. defi nierat artem, habitum verâ cum ratione effectivum, sic dividens adæquatè virtutem operativam in artem seu fa ctivam, & prudentiam seu activam: & inde opponens è diametro factionem actioni morali, quæ ad prudentiam spectat.

Idem docet disertè Plato in Charmide.

Objicies. Aristoteles 1. magnorum Moraliũ cap. ult. vocat illas artes activas, quæ opus post se non relinquũt, qualis est Cytharisatoria. Ergo ex Aristotele omnis actio non est operatio moralis.

Distin-

Diſtinguo antecedens. Vocat eas artes abuſivè & analogicè activas, concedo: propriè, nego: nam ſtatim poſtea concludit Philoſophus: Circa actionem ergo & agibilia verſatur Prudentia, circa factionem verò & factibilia, Ars,. Ex quibus patet artes omnes ſecundum Philoſophum eſſe effectivas. Ratio autem cur illæ artes, quæ non relinquunt opus poſt ſe aliquando vocentur activæ, eſt, quia actio propriè dicta, ut diximus, eſt propter ſe expetibilis: operationes autem illarum artium, vulgi judicio, videntur propter ſe expeti, eo quod nō relinquant opus ad quod referantur, cum tamen revera expetantur propter aliud, putâ cytharïſatio propter aurium oblectationem unde ſtatim poſt textum citatum ſubdit Philoſophus: circa actionem ergo & agibilia occupatur Prudentia: circa factionnem verò & factibilia, Ars.

Actio & effectio differunt tribus: Principio, Fine, Denominatione.

1. Differunt Principio, quia effectio venit ab intellectu: Actio atem à voluntate ex 6. Metaphyſ. 1. Unde in Actione habetur ratio intentionis, non induſtriæ, nec tam quæritur quid agas, quam quo animo agas, & hinc, in actione magis peccat qui conſultò, quam qui inconſultò peccat: in factione verò contra, ex 6. Ethic. 5.

2. Differunt Fine, quia factio refertur ad aliud: Actio verò, utpote honeſta, eſt propter ſe expetibilis, ex 6. Ethic. 2.

3. Differunt Denominatione, quia à rectâ effectione homo denominatur tantum bonus ſecundum quid, & cum addito, puta bonus Rhetor, bonus Pictor: ab Actione verò denominatur bonus ſimpliciter, puta bonus homo.

Ex his colliges virtutem practicam ſumi duobus modis: 1. Genericè prout opponitur ſpeculativæ & abſtrahit ab activa & factiva. 2. ſpecificè & ſtrictè, prout opponitur factivæ, & eadem eſt cum activa.

Notandum quarto, quinque vulgo numerari virtutes intelle-

intellectus, scilicet Intelligentiā, Sapientiā, Scientiā, Artē, & Prudentiā : quæ divisio reperitur ex Aristotele 6. Ethic. cap. 3. & 1. magnorum Moralium cap. ultimo.

Intelligentia definitur à Philosopho 1. magnorū Moralium cap. ultimo. Virtus intellectus, quæ versatur circa principia intelligibilium & entium : Vulgo definitur: Virtus intellectus, quæ versatur circa prima principia: Hoc est, circa popositiones tam claras, ut probatione nō indigeant : quæ definitio ex 6. Ethic. 6. desumitur.

Sapientia aliquando sumitur pro coronide scientiæ, hoc est pro scientia ita consummata, ut per eam unico veluti intuitu conclusiones in principijs penetrentur, quo sensu est aggregatum ex intelligentia & scientia : ex Philosopho 1. magnorum Moralium cap. ultimo : sed hic definitur vulgò : Virtus intellectus quæ versatur circa res altissimas per altissimas causas : quæ definitio colligitur ex 6. Ethic. cap. 7 Ubi ait Philosophus, Sapientiam esse rerum honoratissimarum Scientiam.

Scientia hic prout opponitur Sapientiæ definitur. Virtus intellectus, qaæ versatur circa res inferiores per inferiores causas.

Ars definitur à Philosopho 1. Ethic. cap. 4. Habitus verà cum ratione affectivus.

Prudentia definitur ab eodem 6. Ethic. cap. 5. Habitus vera cum natione activus circa ea quæ sunt homini bona vel mala.

Ex his virtutibus Aristoteles eodem libro cap. 4. duas tantum posteriores reponit in mēte logistica seu bouleutica : proindeque secundum Philsophum tres priores sunt in mente epistemonica, unde cum ex Philosopho ibidem mens epistemonica versetur circa res penitus necessarias, id est, circa ea, aut quæ nunquam fiunt, qualis Deus : aut quæ fiunt à natura per certas & necessarias causas operante, qualia sunt corpora naturalia ; Mens vero logistica circa contingentia, id est, circa ea quæ pendent à nobis liberè per præcepta operantibus, ut fiant ; sequitur

ſententiæ: ſcilicet Platonicorum, Stoicorum, Nominalium, & Peripateticorum.

Platonici pro ſubjecto Univerſalitatis admittunt ſolas Ideas Divinas.

Stoici ſolos conceptus formales, ſeu ſolas conceptiones.

Nominales conceptiones & voces.

Peripatetici plerique, (nam Nominales etiam Peripatetici audiri cupiunt) pro ſubjecto Univerſalitatis ſtatuunt naturas reales; unde etiam Realiſtæ à Nominalibus nuncupantur.

Juxta hanc ſententiarum diverſitatem, Univerſale diviſum eſt in Univerſale ante multa, Univerſale in multus, & Univerſale poſt multa.

Univerſale ante multa eſt Idea communis, omnia individua alicujus naturæ præcedens, ad cujus ſimilitudinem Deus multa produxit ſingularia ſimilia; eſtque Univerſale Platonicum.

Univerſale in multis, eſt Natura in multis individuis ſimilibus exiſtens, eſtque Univerſale Peripateticum.

Univerſale poſt multa, eſt Conceptio vel vox multis ſingularibus ſimilibus communis; quam homines efformarunt poſt multa ſingularia ſimilia producta, eſtque Univerſale Stoicum & Nominale.

Hæc tria Univerſalia in hoc articulo tribus paragraphis expendemus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Univerſali Platonico.

PLato pro Univerſalibus admiſit Ideas divinas à ſingularibus ſeparatas, ad quarum ſimilitudinem Deus condiderit Univerſa. Eas vocabat Naturas ipſas, v. g. ipſum hominem, ipſum equum, quia individua omnia humana vel equina fiunt ex participatione Ideæ quam Deus habet de homine.

Idea est forma, ad cujus similitudinem fit effectus ab agente intellectuali.

Duplex est. Una interna, quæ residet in mente artificis, altera externa, quam artifex extra se positam imitatur.

Deum habere creaturarum omnium ideas internas consentiunt Theologi omnes: quia omnis causa dianoëtica debet habere in mente ideam rei agendæ, alioqui ageret cœco impetu: Atqui Deus est causa dianoëtica omnium creaturarum. Unde eleganter canit Boëtius tertij de Consolatione philosophicâ Metro nono, Deum alloquens: *Tu cuncta superni*
Ducis ab exemplo? pulchrum pulcherimus ipse
Mundum mēte gerens, similiq; in imagine formans.

Deum non indigere Ideis externis, patet ex ejus independentiâ & perfectione: videmus enim inter ipsos homines, solos fere tyrones exemplaribus externis uti.

Utrum verò Deus ex beneplacito uti possit exemplaribus externis, quidam quærunt. Nihil mihi videtur repugnare: sicut enim Deus utitur ex beneplacito causis efficientibus creatis, quidni uti quoque posset exemplaribus externis, ut produceret aliquam creaturam alteri similem? Certè, sicut implicat quidem Deum habere ultimum finem à se distinctum, non implicat tamen habere aliquem finem intermedium alium à se, ut cum produxit mundum propter hominem: ita à pari licet implicet Deum habere ullum exemplar primarium à se diversum, non repugnat tamen eum ex beneplacito aliquam imitari creaturam, tanquam exemplar secundarium.

Quas autem Plato Ideas Deo attribuerit, Internas an Externas: grave est Platonicos & Peripateticos inter dissidium.

Peripatetici plerinque fulti authoritate Aristotelis 1. Metaphys. 4. asserunt Platonem admisisse Ideas externas extra Deum & singularia existentes, ejusdem cum singularibus

laribus speciei, æternas tamen & incorruptibiles: ad quas Deus necessariò respiceret in productione suorum effectuum.

Platonici verò contendunt Platonem solas Ideas internas Deo attribuisse, & Divinum vel ob id vulgò nuncupari, quod tam doctè de Ideis Divinis philosophatus sit.

Arbitror ergo Platonem nunquam admisisse ridiculas illas Ideas externas, quas illi vulgò adscribunt Peripatetici.

Ducor 1. authoritate gravissimorum authorum, Platini, Porphyrij, Iambici, Plutarchi: quibus multi ex sanctis Patribus accesserunt, inter quos Augustinus 1. tract. Mundum intelligibilem Platonis vocat rationem, sempiternam & divinam, quam qui esse negat, inquit, sequitur, ut dicat Deum irrationabiliter fecisse, quæ fecit.

Ducor 2. authoritate ipsius Platonis, qui in Phylebo, in 6. de Republ. in Tymæo, & Parmenide, Ideas manifestè reponit in mente divinâ.

Ducor 3. ratione, quia subtilior erat Plato, quam ut de Deo tam ineptè sentiret.

Dices Platonem in Tymæo & Parmenide præter primariam ideam, quam reposuit in mente divinâ, admisisse ideas secundarias, & proinde admisisse ideas externas.

Nego, sequi: Nam per ideas secundarias, nihil aliud intelligit Plato, quàm creaturas in Deo objectivè existentes. Vult itaque Divinus Philosophus, Deum ab æterno respexisse suam essentiam tanquam primariam Ideam à creaturis participabilē; postea decrevisse creaturas producendas: & illas creaturas decretas vocat, secundaria Exemplaria, eò quod Deus singularia quotidie, prout ab æterno decreta sunt, producat.

Instabis. Plato in Sophista & Politico, disertè ponit Ideas extra Deum, & singularia ipsa: Ergo admisit Idas etiam externas.

Distinguo consequens. Admisit Ideas externas, quæ sint conceptus objectivi rerum in mente scientis existen-

res, concedo: quæ sint naturæ quædam extra Deum, & singularia re vera existentes nego: Nimirum admisit eas Ideas, quas Aristoteles ipse vocat, rationes essentiarum, quæ sint objecta scientiarum, cum de singularibus non detur scientia, non autem portentosas illas naturas, quas aliqui injustè ei imponunt. Hæc solutio clarè colligitur ex Epist. 7. Platonis, quæ est ad Dionis propinquos & amicos, ubi quinque requirit Plato ad scientiam perfectã; scilicet 1. Nomen: 2. nominis significationem: 3. Idolum, seu speciem impressam; 4. Conceptum formalem, seu ipsam scientiam: 5. Verum conceptum objectivum rei scibilis, qui in se unus est, & impermixtus, nec refertus ijs imperfectionibus, quæ aut in singularibus, aut in idolis existunt, quod doctissimè probat exemplo circuli.

Sed quidquid sit de hac lite, quæ Logicam non spectat, jam videamus, quod refert, utrum ideæ Divinæ Platonis quæcunque tandem sint, Universales sint, nec ne.

Certum est Ideam divinam realiter sumptam esse universalem in Causando, & Repræsentando: quia Idea divina nihil aliud est, quam ipsa essentia divina, secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis à creaturis: ex S. Thoma 2. part. qu. 15. art. 2. Essentia autem divina sic sumpta causat & repræsentat multa, sicut idea, quam habet Architectus de domo, causat & repræsentat multas ædes similes.

Si verò Ideæ divinæ sumantur prout in Deo sunt virtualiter multæ, existimo illas Ideas divinas ne quidem universales esse in causando & repræsentando: puto enim singulas hoc sensu sumptas unici individui esse productivas & repræsentativas: Deumque tot habere virtualiter Ideas quot producit individua, ut innuit S. Thom. quæst. cit. art. 3. ad 4. ex eo quod divina Providentia nõ solùm se extendit ad species, sed & ad singularia.

Quæritur hîc, utrùm Ideæ quas Plato attribuit Deo, sive internæ sint, sive externæ, sint illud Universale quod quærunt Philosophi.

CONCLUSIO. Ideæ Platonis non sunt verè universales.

Hæc conclusio est Philosophi 13. Metaph. cap. 5. unde desumpsimus duas priores hasce probationes.

Probatur 1. Vera Universalia sunt objecta scientiarũ: Atqui Ideæ Platonis non sunt objecta scientiarum: nam quando scientiæ agunt de corporibus, de figuris, de intelligentijs, non agunt de Ideis divinis: cum de illis ne quidem cogitent, sed de rebus ipsis: Ergo, &c.

Probatur 2. Pleraque Universalia sunt essentialia singularibus, ut patet de generibus, speciebus, & differentijs. Atqui Ideæ Platonis non sunt essentiales singularibus: nã omne essentiale debet esse intrinsecum ei cui est essentiale: at fatentur Platonici Ideas esse extra singularia: Ergo, &c.

Probatur 3. Illud est verum Universale, quod prædicatur de multis: Atqui Ideæ divinæ non prædicantur de multis: dum enim dicitur, Petrus est homo, Paulus est homo: sensus non est, quod Petrus sit Idea divina, Paulus sit Idea divina: alioqui falsissimæ essent illæ propositiones: Ergo Ideæ divinæ non sunt verè universales.

Objicies. Universalia debent esse æterna & immutabilia: Atqui solæ Ideæ divinæ sunt ejusmodi: nam res omnes creatæ temporaneæ sunt, & defectibiles. Ergo solæ Ideæ divinæ sunt universales.

Nego Minorem. Cujus probationem dist. Res creatæ temporaneæ sunt & defectibiles, secundum existentiam, & entitatem, concedo: secundùm essentiam & veritatẽ propositionis, nego: at posteriori tantùm modo spectantur à scientijs.

PARAGRAPHUS SECUNDUS,

De Universali Stoico, & Nominalium.

STtoici post suum principem Zenonem, pro subjecto universalitatis admittebant solos conceptus formales, id est cognitiones nostras naturaliter & indiscriminatim re-

præsentantes multa singularia similia, v. g. cognitionem quam habemus de equo, leone, &c.

Nominales post Ochamum admittunt pro subjecto universalitatis conceptus formales, ut Stoici: & insuper nomina univocê & indiscriminatim significantia multa singularia similia: & inde Nominales dicti sunt, quod tantum tribuant nominibus. Conceptus vocant Universalia naturalia, quia ex naturâ suá repræsentant quidquid repræsentant: unde ijdem sunt apud omnes gentes: nomina verò vocant Universalia arbitraria, quia ex hominum arbitrio suam habent significationem, unde variæ sunt in varijs terræ plagis.

Certum est quosdam conceptus esse universales in repræsentando, quia conceptus, quem habemus de equo v. g. omnes equos nobis exhibet mediatè, vel imediatè.

Certum est quoque voces quasdam esse universales in significãdo: nã vox, Equus, v. g. omnes equos significat. Fatentur etiam Stoici & Nominales, conceptiones & voces non esse universales in essendo.

Tota ergo difficultas inter eos, & cæteros Philosophos eò recidit, utrùm Universalia in prædicando sint termini, (id est conceptiones & voces,) vel res terminis expressæ.

CONCLUSIO. Termini non sunt univesales in prædicando.

Piobatur 1. Universale in prædicando est illud, quod prædicatur de multis. Atqui termini non prædicantur de multis: dum enim dico. Petrus est homo, Paulus est homo, sensus non est, quod Petrus, aut Paulus sit terminus, homo, ergo termini non sunt universales in prædicando.

Probatur 2. Illud est Universale in prædicando, quod in propositionibus affirmativis identificatur cum multis subjectis: (ad veritatem enim propositionis affirmantis requiritur identitas prædicati cum subjecto.) Atqui conceptiones & voces in propositionibus affirmativis non idedtificãtur cum subjectis, ut patet in superioribus propositio-

positionibus, in quibus terminus, homo, non identificatur cum Petro & Paulo. Ergo, &c.

Probatur 3. Universalia sunt objecta scientiarum : Atqui Termini non sunt objecta scientiarum : scientiæ enim non agunt de Terminis, sed de rebus : Ergo, &c.

Respondent adversarij, distinguendo minorem. Termini non prædicantur de multis, non identificantur cum subjectis, non sunt objecta scientiarum : si Termini sumātur materialiter, seu in suppositione materiali, concedūt : si verò sumantur formaliter & personaliter, seu in suppositione formali & personali, negant.

Sed hac distinctione vim argumentorum nostrorū non eludunt : siquiden voces sumptas formaliter & personaliter, non autem materialiter prædicari, identificari, esse objecta scinntiarum, est, voces hæc omnia habere, prout sumuntur poo relus significatis, non pro ipsis sonis articulatis : At voce sic sumptas prædicari identificari, esse objecta scientiarun, non est voces ipsas propriè prædicari, &c. sed res per voces significatas. Ergo stat semper voces non esse propriè universales in prædicando.

Confirmatur ex Philosopho docente 1. Elench. cap. 1. eodem modo nos in propositionibus loco rerum, quo modo in comparationibus utimur calculis loco monetarum : sicut enim utimur calculis, eo quòd monetas non semper habeamus præ manibus : ita utimur vocibus, eo quòd res non semper habeamus præsentes. Atqui melius loqueretur ille qui diceret homines numerantes, & ludentes, utentes calculis loco nummorū, v. g. nummos & deponere, quàm qui diceret eos calculos numerare & deponere : Ergo à pari melius loquuntur veri Patetici, qui dicunt res ipsas iu propositionibus prædicari, quā Nominales, qui asserunt solos Terminos prædicari.

Mitto authoritatem S. Anselmi, qui libro de incarnatione Verbi, cap. 2. sic scribit : Cautissimè ad sacræ paginæ quæstiones accedant sunt monendi illi Dialectici, imo Dialecticæ hæretici, qui quidem non nisi flatum vocis

putant esse universales substantias: Qui enim non intelligit quomodo plures homines in specie sint unus homo, qualiter in illa secretissimâ & altissimâ naturâ comprehendet, quomodo plures personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sint unus Deus?

Objicies 1. Ex Aristotele cap. de substantiâ, Substantiæ secundæ seu universales significant quale quid: Atqui significare pertinet ad voces: Ergo substantiæ universales sunt voces.

Distinguo majorem. Ex Aristotele substantiæ secundæ, grammaticaliter sumptæ significant, concedo: realiter sumptæ, nego: Loquitur enim Philosophus ibi de nominibus substantiarum, non autem de substantijs ipsis, alioqui sequeretur substãtias etiam primas seu singulares esse voces, quia Aristoteles statim post verba citata subdit, substantias primas significare hoc aliquid.

Objicies 2. Illud est Universale in prædicando, quod prædicatur de multis: Atqui conceptus & Voces prædicantur de multis: Ergo sunt uniuersales in prædicando.

Distinguo majorem. Illud est Universale in prædicãdo quod de multis prædicatur, ut quod, cõcedo de multis prædicatur, ut quo, nego: Conceptus autẽ & vox prædicatur tantum ut quo, non autem ut quod.

Instabis. In propositionibus solæ conceptiones & voces ponuntur loco prædicatorum: Ergo solæ prædicantur.

Distinguo antecedens. Solæ conceptiones & voces sumptæ formaliter, & ratione rei significatæ ponuntur loco prædicatorum, concedo: materialiter sumptæ & pro se ipsis, nego: Conceptiones autem & voces formaliter sumptas prædicari, nõ voces prædicari, sed res ipsas, ut diximus.

Urgent. Res non prædicantur nisi mediantibus conceptionibus aut vocibus: Ergo potius conceptiones & voces prædicantur, quam res.

Præclara consequentia! Pictor non pingit nisi mediãte peni-

te penicillo : Ergo penicillus potius pingit quam Pictor : sequitur ne ? quippe dum id quod mediat, vicarium est rei remotioris, potius factio tribuitur rei mediatæ, quàm immediatæ.

Objicies 3. In omni propositione solæ conceptiones & voces sunt prædicata : Ergo solæ sunt universales in prædicando : Probatur antecedens. Omnis propositio vel est mentalis, vel vocalis, vel scripta : Atqui in propositione mentali solæ conceptiones sunt prædicata, in vocali & scripta solæ voces : Ergo in omni propositione solæ conceptiones & voces sunt prædicata.

Nego antecedens. Ad cujus probationem respondeo, utramque præmissam falsam esse, Priorem quidem, quia præter has tres propositionis species, datur insuper propositio objectiva, quæ illis tribus correspōdet, sicut significatum suis signis : vulgò enim apud Philosophos conceptus dividitur in formalem, & objectivum, & proinde propositio eodem modo dividi potest. Posteriorem verò, quia quod propriè prædicatur in propositione mentali, vocali. aut scriptâ, est res, non terminus : cum ex Adversarijs termini materialiter sumpti non prædicentur, sed tantùm in suppositione formali & personali, quod est res ipsas prædicari potiùs quàm terminos, ut jam toties diximus.

Objicies 4. Universale debet prædicari univocè, id est, eodem sensu : Atqui soli termini habent sensum, nō res ipsæ : Ergo soli termini sunt universales, non verò Res.

Distinguo majorem. Universale debet prædicari codē sensu passivo, concedo : activo, nego. Distinguo majorē. Soli Termini, non res, habent sensum activum, concedo : passivum nego. Uno verbo si termini significant, res significantur, & proinde possunt dici prædicari eadem significatione.

Objicies ultimò. Universale debet prædicari divisim, id est, de uno in singulari, & de pluribus in plurali : At-

qui soli termini habent singulare & plurale : Ergo soli termini sunt universales.

Distingo minorem. Soli termini habent singulare & plurale. Grammaticale, concedo : reale nego. At pluralitas realis prior est, quàm gramaticalis, cum hæc illam præsupponat : ideo enim Deus v. g. propriè non habet plurale grammaticale, quia à parte rei non habet pluralitatem realem ; & hinc est quod apud Grammaticos nomina propria plurali careant.

PARAGRAPHUS TERTIUS,

De Universali Peripatetico.

PEripatetici statuunt pro subjecto Universalitatis, naturas quas afferunt universales esse non in essendo tantū, sed & in prædicādo, v. g. contendunt naturam humanā esse universalem metaphysicè, quiâ est in Petro & Paulo : & logicè, quia de illis effertur.

Utrum Naturæ sint universales à parte rei nec-ne, nōdum discutimus : sed quærimus tantum an sint universales.

I. CONCLUS. Naturæ sunt universales in essendo. Probatur 1. ex Aristotele, qui lib. de Interp. cap. 7. dicit, rerum alias esse universales, alias singulares : & 1. de partibus animalium cap. 4. sic scribit. Universalia dicimus quæ pluribus insunt : Aristoteli consentiunt Thomistæ & & Scotistæ omnes.

Probatur 2. ratione. Illud est universale in essendo, quod est unum in multis : Atqui Naturæ creatæ sunt ejusmodi : nam v. g. Natura humana eadem est specie in Petro, Paulo, Carolo : Ergo Naturæ creatæ sunt universales in essendo.

Confirmatur. Magis conveniunt in naturâ, Petrus & Paulus, quam Petrus & Bucephalus : Atqui non magis convenirent, nisi eadem specie natura esset in illis : Ergo eadem specie natura est in illis : unde etiam communi usu loquendi receptum est ut Petrus & Paulus dicantur ejusdem

ejuſdem naturæ, ejuſdem ſpeciei: Petrus autem & Bucephalus diverſæ nnturæ, diverſæ ſpeciei.

Objicies 1. ex Ariſtotele 1. de animâ 1. Univerſale eſt poſterius rebus: Ergo res non ſunt univerſales.

Diſtinguo conſequens. Res non ſunt univerſales à parte rei, concedo: hoc enim probabimus articulo ſequẽti: Res non ſunt univerſales per mentem. nego.

Objicies 2. Univerſalia debent eſſe immutabilia, ut ſint objecta ſcientiarum: Atqui Naturæ non ſunt immutabiles - Ergo non ſunt Univerſales.

Diſtinguo majorem. Univerſalia debent eſſe immutabilia, immutabilitate propoſitionis, concedo: immutabilitate entitatis, nego: aliàs de ſolo Deo daretur ſcientia: at naturæ omnes immutabiles ſunt immutabilitate propoſitionis, quia de illis fieri poſſunt propoſitiones immutabiles, & (ut aiunt) ſempiternæ veritatis: ut patet inductione.

II. CONCLUS. Naturæ ſunt univerſales in prædicãdo. Probatur. Prædicari ſequitur eſſe: ex eo enim quod aliquid ſit in aliquo, optimè ſequitur poſſe dici de ipſo: Atqui ex præcedenti concluſione naturæ ſunt univerſales in eſſendo: Ergo in prædicando.

Objicies. Dici non poteſt, Petrus eſt natura humana, Paulus eſt humanitas, &c. Ergo naturæ non ſunt univerſales in prædicando.

Diſtinguo conſequens. Ergo naturæ non ſunt univerſales in prædicando, ſi ſumantur in abſtracto, concedo: ſi ſumantur in concreto, nego.

COROLLARIUM.

HÆc ſententia Paripatetica ſequitur ex dictis. Nam probavimus cap. 1. dari quædam univerſalia: Probavimus duobus præcedentibus pagraphis unverſalia neque eſſe Ideas neque Conceptiones, neque Voces: Ergo reſtat eſſe Naturas; nihil enim aliud excogitari poteſt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De formâ Universalis.

PRæcedenti articulo probavimus materiam seu subjectum universalitatis esse Res seu Naturas: Hoc articulo de causâ formali universalis, id est, de ipsa universalitate, vtrum scilicet conveniat Naturis à parte rei, nec ne.

Ut hæc quæstio facilius solvatur, habenda est prius universalis definitio, ut cognoscantur conditiones ad universalitatem requisitæ. Deinde sciendum est quænam distinctio intercedat inter Gradus Metaphysicos namque ex distinctione Graduum Metaphysicorum pendet solutio propositæ difficultatis: si enim Gradus Metaphysici distinguuntur actu à parte rei. Natura distinguitur actu à parte rei à singularitatibus, & proinde erit actu à parte rei universalis; quæ est sententia Scotistarum: si verò Gradus Metaphysici non distinguantur actu à parte rei, sed per mentem intrinsecùs, Natura non distinguetur actu à parte rei, sed per mentem intrinsecùs à singularitatibus, & proinde non erit à parte rei, sed per mentem intrinsecus universalis, & hæc est mens Thomistarum: si autem gradus metaphysici nec realiter, nec mentaliter intrinsecûs distinguantur, Natura nullatenus distinguetur realiter aut mentaliter intriusecùs à singularitatibus, & proinde nullatenus erit universalis, nec à parte rei, nec per mentem, saltem intrinsecùs: & hæc est mens Nominalium.

Quare hujus articuli quatuor erunt Paragraphi, quorum primo definietur Universale: Secundo agetur de omnibus Distinctionum speciebus: Tertio dirimetur quæstio de distinctione Graduum Metaphysicorum: Quarto deniq; solvetur cardinalis difficultas hujus articuli: utrũ Natura sit universalis à parte rei, nec ne.

PARAGRAPHUS PRIMUS,

De definitione Universalis.

VNiversale metaphysicum definitur à Philosopho 1. de partibus animaliũ cap. 4. Id quod est in multis : vulgo : Unum aptum esse in multis univocè & divisim : Universale verò logicum definitur ab eodem lib. de Interpr. cap. 7. Quòd de pluribus aptum natum est prædicari : vulgò : unum aptum prædicari de multis univocè & divisim.

1. Dicitur unum : quia Universale habere debet unitatem quadam, non quidem numericam, sed multis cõmunicabilem.

2. Dicitur aptum esse in multis & prædicari de multis : quia de ratione Universalis non est, ut sit actu in multis, aut de multis actu prædicetur : sed ut possit esse in multis, & de multis prædicari : unde natura Solis est universalis.

3. Dicitur univocè, id est eodem modo & eodem sensu, unde Æquivoca & Analoga non sunt Universalia.

Additur denique, divisim, hoc est, cum sui divisione & multiplicatione, ita ut Universale in multis multiplicetur, & de multis dicatur in plurali : unde Natura divina non est universalis, quia licet sit in multis personis, in ijs tamen non est divisim, sed indivisim, hoc est sine ullâ sui multiplicatione, & absque eo quod de illis efferri possit in plurali. Hæc conditio addita fuit à Philosophis Christianis : quia Ethnici Mysterium Trinitatis ignorabant.

Ex quibus patet ad Universalitatem quatuor requiri conditiones, scilicet Unitatem, Aptitudinem essendi in multis aut prædicari de multis seu Communicabilitatem, Univocationem & Divisionem seu Multiplicationem.

Illæ definitiones optimæ sunt : quia tunc definitur optimè concretum accidentale, quando ponitur subjectum loco generis, & forma loco differentiæ. Sic bene defini-

tur Simum, nasus curvus, ex S. Thoma, 1. 2. qu. 53. cap. 2. ad 3. Atqui Universale est concretum accidentale, & in allatis definitionibus ponitur subjectum loco generis: Unum enim idem est ac res una, seu una natura, poniturque forma loco differentiæ, putâ, Universalitas, quæ designatur per quatuor conditiones in definitionibus contentas: Ergo optimæ sunt illæ conditiones.

Ex hac probatione patet superiores definitiones convenire naturæ, ut ei quod definitur: Universalitas verô, ut ei quo definitur concretum accidentale, subjectum definitur ut quod, & forma ut quo: sic dum definitur simum, nasus curvus, nasus est id quod curvum est, simitas verò est id quo nasus curvus est. Ita à pari Natura est id quod est unum aptum est unum aptum, &c. Universalitas verò est id quo Natura est una apta, &c,

In superioribus ergo definitionibus non definitur sola Natura: non enim sunt hæ definitiones, Naturæ humanæ v. g. ut satis patet: neq; etiam definitur Universalitas: Universalitas enim ut sic, nō tā est id quod potest prædicari, quam id à quo naturæ habent ut possint prædicari. Definitur ergo Universale in concreto, hoc est Natura prout affecta Universalitate.

Quod hîc diximus de definitione Universalis in communi, intelligendum erit Disputatione sequenti de definitionibus singulorum Universalium in specie.

PARAGRAPHUS SECUNDUS,

De omnibus Distinctionum generibus.

DIstinctio non est confundenda cum separatione, aut diversitate: nam quædam distinguuntur quæ non sunt separata, ut corpus & anima ejusdem viventis: quippe Distinctio dicit tantùm negationem identitatis: Separatio verò negationē unionis. Quædam etiam distinguuntur quæ non sunt diversa: siquidem Diversitas dicit quâdam heterogeneitatem naturæ saltem specificam, quam non exigit Distinctio: unde Petrus & Paulum distinguū-

tur,

tur, non tamen propriè sunt diversi Distinctio ergo est negatio idẽtitatis: proindeq; distingui,est non esse idem.

Distinctio universim duplex est: mentalis & realis.

Distinctio Mentalis, est ea qua res à parte rei indistinctæ, per mentem distinguuntur, qualis reperitur inter virtutem indurativam & liquefactivam ignis: & duplex est, scilicet Distinctio rationis ratiocinantis, & Distinctio rationis ratiocinatæ.

Distinctio rationis ratiocinantis est ea, quâ res à parte rei indistinctæ, à mente distinguuntur sine ullo fundamẽto, qualis est inter vestimentum & indumentum.

Distinctio rationis ratiocinatæ est ea, quâ res â parte rei indistinctæ à mente cum fundamento aliquo distinguũtur, qualis inter potentiam indurativam & liquefactivam ignis, quæ licet à parte rei sint eadem realiter entitas, putâ calor: jure tamen ab intellectu distinguuntur ob diversos effectus ab eodem calore producentes: & hæc Distinctio vel est præcisiva, vel non.

Distinctio non præcisiva est ea quæ intercedit inter illa quorum neutrũ concipi potest sine altero; qualis est inter definitum & definitionem, v. g. inter hominem & animal rationale.

Distinctio præcisiva est ea, quæ intercedit inter illa, quorum unum concipi potest sine altero, saltem distinctè incluso, & duplex, perfecta & imperfecta.

Distinctio perfectè præcisiva est ea, quæ intercedit inter duo, quorum neutrum includit illud in conceptu, qualis est inter Justitiam & Misericordiam Divinam.

Distinctio imperfectè præcisiva est ea, quæ intercedit inter duo, quorum unum non potest concipi sine altero, saltem confusè incluso, licet neutrum propriè sit pars aut definitio alterius, qualis est inter Divinitatem & ejus Infinitatem.

Distinctio realis est ea, quæ ẽst nemine cogitante, qualis est inter Petrum & Paulum; & duplex est, Actualis & Virtualis.

Distin-

Distinctio Actualis (quæ sola vulgò intelligitur nomine Distinctionis realis) est ea, quæ intercedit inter duo, quorum unum revera non est aliud : & secundùm quosdam duplex est, Major & Minor.

Distinctio Realis Major est ea, quæ intercedit inter duo vel mutuò separata , vel mutuò separabilia, vel saltem quorum unum est principium reale alterius, qualis est inter Petrum & Paulum, inter corpus & animam ejusdem Petri, inter Personas sacrosanctæ Trinitatis.

Distinctio Realis Minor seu Modalis, est ea quæ intercedit inter duo , quorum unum quidem potest esse sine alio, sed non contrà : licet neutrum sit pars alterius, qualis est (inquiunt) inter digitū & inflexionem digiti.

Hanc Distinctionem nullam esse patebit ex disceptatióne , quam instituemus tractatu sequenti de modis, ubi entitates omnes modales ex universâ Philosophiâ procul amandabimus.

Distinctio virtualis est ea , quæ intercedit inter duo , quæ licet sint unica realiter entitas, pluribus tamen æquivalent : seu est unicæ realiter entitatis pluribus æquivalentia , qualis est inter Misericordiam & Justitiam Divinam , quæ licet sint realiter unica res , putâ Deus ipse, idem tamen præstant ac si realiter distinguerentur.

Porro Distinctio Virtualis est quidem à parte rei ; quæ tamen distinguuntur virtualiter à parte rei , non distinguuntur à parte rei : sicut enim quod est calidum virtualiter , est quidem virtualiter calidum à parte rei : non tamen est calidum à parte rei , sed tantum virtutem habet producendi calorem , ut patet in Sole , vino, &c. sic quæ sunt distincta virtualiter, sunt quidem distincta virtualiter à parte rei , non tamen sunt simpliciter distincta à parte rei : sed tantum virtutem habent fundandi Distinctionem rationis ratiocinatæ in mente, & proinde Distinctio virtualis non tam est Distinctio, quam fundamentum Distinctionis.

Præter superiores Distinctiones reales , Scotistæ aliam admit-

admittunt, quam appellant formam, & ex naturâ rei; quæ intercedit (inquiunt) inter ea, quæ licet non sint alia, & alia realitas; sunt tamen alia & formalitas.

Verùm illa Distinctio Scotistica inexcogitabilis est, nisi ad aliquam ex superioribus reducatur: nam vel illa Distinctio est per mentem, vel nemine cogitante. Si est per mentem, vel est cum fundamento, vel sine fundamēto: si primum est Distinctio rationis ratiocinatæ: si secundum est Distinctio rationis ratiocinantis: Si est nemine cogitante, vel est actu in ipsis rebus, vel virtute tantùm: si primum, est Distinctio realis major aut minor: si secundum, est Distinctio virtualis: Ergo Distinctio formalis non est alia à superioribus.

Nos ergo in toto nostro Cursu per Distinctionem formalem intelligemus Distinctionem virtualem aut rationis ratiocinatæ: cum enim ea quæ virtualiter aut ratione ratiocinatâ distinguuntur diversis conceptibus formalibus concipiantur, dici possunt distingui formaliter.

Præterea omnis Distinctio est adæquata: vel inadæquata.

Distinctio inadæquata, seu includentis & inclusi, est ea, quæ intercedit inter totum & partem, v. g. inter hominem & animam, inter hominem & animal.

Distinctio adæquata est ea, quâ res secundùm se totas ab invicem distinguuntur: qualis est inter Petrum & Paulum, & triplex est, Numerica, Specifica, & Generica.

Distinctio Numerica, est inter individua etiam ejusdē naturæ: qualis est inter Petrum & Paulum.

Distinctio Specifica est ea, quæ intercedit inter res, quæ licet sint sub eodem genere, naturâ tamē discrepant, qualis est inter Petrum & Bucephalum.

Distinctio Generica est ea, quæ intercedit inter res nō tantum specie, sed genere differentes: qualis est inter Petrum & Laurum.

Juvandæ memoriæ causâ, brevi perstringemus omnes hasce Distinctiones, ut uno veluti intuitu percipiantur.

Omnis

Omnis itaque Distinctio, 1. dividitur in Distinctionem Realem, & Distinctionem Rationis.

Distinctio Realis duplex, actualis videlicet, & virtualis.

Distinctio Rationis quoque duplex est: Una rationis ratiocinantis, altera verò rationis ratiocinatæ: quæ etiã duplex est, præcisiva nimirum, & non præcisiva. Præcisiva duplex, scilicet perfectè præcisiva, & imperfectè præcisiva.

Distinctio iterum dividitur in adæquatam, quæ est inter totum & partes.

Distinctio adæquata triplex est, Generica, Specifica, & Numerica.

Mitto divisionem Distinctionis in Positivam, quæ est distinctio entis ab ente: & Negativam, quæ est distinctio entis à non ente, vel non entis ab Ente: qualis est inter cæcitatem & visum: vel inter cæcitatem, & non visum.

PARAGRAPHUS TERTIUS,

Dirimitur quæstio de distinctione Graduum Metaphysicorum.

GRadus Metaphysici sunt prædicata seu attributa cuilibet rei essentialia: Sic quæcunque sunt in directâ lineâ & lineâ laterali dextrâ scalæ Porphyrianæ, sunt Gradus Metaphysici uniuscujusque nostrûm.

Dicuntur Gradus: quia alij sunt superiores, alij inferiores, & per eos ab individuis gradatim ascendimus ad supremum genus, aut à supremo genere descendimus ad individua, ut patet in eadem figurâ Porphyrianâ.

Gradus Superior est ille, qui est de essentiâ alterius quo latius patet, sic homo est gradus superior respectu Petri.

Gradus inferior ille est, qui in suâ essentiâ, suoque cõceptu alium includit latiꝰ patentem, ut Petrus respectu hominis. Dicun-

Dicuntur Metaphyſici, quia competunt non ſolùm rebus corporeis & phyſicis : ſed etiam ſpiritualibus & metaphyſicis, putâ Deo & Angelis : Gabriel enim v. g. ſuos habet Gradus Metaphyſicos, ſcilicet quod ſit Gabriel, Archangelus, Angelus genericè, ſpiritus, ſubſtantia, ens.

Agitur hoc paragrapho de diſtinctione quæ intercedit inter illos Gradus.

Certum eſt Gradus Metaphyſicos diverſorum individuorum diſtingui realiter, v. g. rationalitatem hominis diſtingui realiter ab animalitate bruti ; & rationalitatem Petri ab animalitate Pauli : quia in creatis quæcunq; ſunt in diſtinctis realiter individuis, diſtinguuntur realiter.

Cardo ergo difficultatis eſt, quomodo Gradus metaphyſici diſtinguantur inter ſe in eodem individuo v. g. in Petro : de quâ quæſtione tres celebres ſententiæ.

Prima eſt Scotiſtarum, qui contendunt Gradus Metaphyſicos in eodem individuo diſtingui actualiter à parte rei.

Secunda eſt Ochamiſtarum ſeu Nominalium, qui defendunt Gradus Metaphyſicos ejuſdem individui nullatenus intrinſecùs diſtingui, nequidem per mentem, ita ut nullatenus poſſit unus concipi, quin alter concipiatur.

Tertia inter utramque media eſt Thomiſtarum, qui cōſentiunt cum Ochamiſtis ſeu Nominalibus Gradus Metaphyſicos ejuſdem rei non diſtingui à parte rei actualiter : & cum Scotiſtis eos intrinſecùs diſtingui per mentem, ita ut unus concipi poſſit abſque alio. Dicunt ergo Gradus Metaphyſicos ejuſdem rei inter ſe diſtingui virtualiter, ita ut licèt ſint una actualiter entitas, æquivaleant tamen pluribus diſtinctis, ex eo quod eorum unus cognoſci poſſit ab intellectu, abſque eo quod alius ullatenus attingatur : Quam ſententiam ſequentibus Aſſertionibus propugnabimus.

I. CONCLUS. Gradus Metaphyſici ejuſdem rei non diſtinguuntur actualiter à parte rei.

Hæc

Hæc assertio est Thomistarum & Ochamistarum seu Nominalium omnium contra Scotistas.

Probatur 1. Illa non distinguuntur actualiter à parte rei, quorum unum non potest esse sine alio, nec unum est principium alterius: Atqui Gradus Metaphysici ejusdem rei sunt ejusmodi: Ergo non distinguuntur actualiter à parte rei. Major certa est: nam dum sunt duo actù distincta, vel unum pendet ab alio: vel non pendet. Si unum pendet ab alio, unum est principium alterius: si non pendet, potest esse sine illo. Minor est probāda quoad utramque sui partem, scilicet quod unus Gradus Metaphysicus ejusdem individui non possit esse sine alio, & quod unus non sit principium alterius.

Probatur prima pars minoris: scilicet quod unus Gradus Metaphysicus non possit esse sine alio. In Petro v. g. nec animalitas potest esse sine rationalitate, nec rationalitas sine animalitate. Non primum: quia non potest dari genus quod nullius sit speciei, v. g. non potest dari numerus, qui neque sit par neque impar: at si animalitas Petri posset esse sine rationalitate, daretur genus quod nullius esset speciei, nempe animal, quod neque esset homo, neque equs, &c. Non etiam secundum: nam rationalitas definitur principium ratiocinandi dependenter à sensibus: at hoc non potest esse sine animalitate, cum sensus ab animalitate fluant: Ergo unus gradus non potest esse sine alio in eodem individuo.

Probatur secunda pars ejusdem minoris, scilicet quod unus Gradus Metaphysicus non sit principium alterius: nam animalitas non est principium rationalitatis, aliàs ubicunque foret animalitas, foret quoq; rationalitas, quod falsum esse patet in bruto: non etiā rationalitas est principium animalitatis: nam rationalitas supponit & sequitur secundum modum nostrum concipiendi animalitatē, ut ejus quidam actus determinativus: Atqui principium non debet supponere principatū, sed potius præcedere: Ergo rationalitas non est principium animalitatis.

Proba-

Probatur 2. Non ſunt multiplicandæ actualitates ſine neceſſitate: fruſtrà enim fit per plura quod æquè benè fieri poteſt per pauciora: Atqui non eſt neceſſitas diſtinguendi actualiter Gradus Metaphyſicos in eodem individuo, cum omnia, quæ ad Gradus Metaphyſicos ſpectant, explicari poſſint per diſtinctionem virtualem, aut rationis ratiocinatæ, ut patebit ex ſolutione objectionum: Ergo Gradus Metaphyſici non ſunt actualiter à parte rei diſtinguendi in eodem individuo.

Obijcies 1. Illa diſtinguuntur actualiter, quorum unũ poteſt eſſe ſine alio: Atqui unus Gradus Metaphyſicus poteſt eſſe ſine alio, v. g. animalitas ſine rationalitate: Ergo Gradus Metaphyſici diſtinguuntur actualiter.

Prætermiſſa majore, diſtinguo minorem: unus Gradus Metaphyſicus poteſt eſſe ſine alio, in diverſis individuis, concedo: in eodem, nego: ſic animalitas bruti poteſt quidem eſſe ſine rationalitate, à quâ proinde realiter diſtinguitur: at animalitas hominis non poteſt eſſe ſine rationalitate: neque rationalitas hominis ſine animalitate.

Inſtabis. Rationalitas poteſt eſſe ſine animalitate, ut patet in anima ſeparatâ: Ergo unus Gradus Metaphyſicus poteſt eſſe ſine alio etiam in eodem individuo.

Diſtinguo antecedens. Rationalitas impropriè dicta, hoc eſt, intellectualitas independens à ſenſibus, poteſt eſſe ſine animalitate, concedo: Rationalitas propriè ſumpta pro principio ratiocinandi dependenter à ſenſibus, poteſt eſſe ſine animalitate, nego: At Intellectualitas independens à ſenſibus non eſt Gradus Metaphyſicus hominis, ſed animæ: Differentia enim hominis eſt Rationalitas diſcurſiva dependenter à ſenſibus, quæ ſine animalitate ſtare non poteſt.

Obijcies 2. Illa diſtinguuntur actualiter, quæ ſunt principia diverſarum proprietatum & operationum: Atqui Animalitas & Rationalitas in Petro ſunt principia diverſarum proprietatum & operationum: Ergo diſtinguuntur actualiter.

Nego

Nego abſolutè majorem ; Ad hoc enim ſufficit diſtinctio virtualis aut rationis ratiocinatæ : ſic potentia indurativa & liquefactiva ignis ſunt principia diverſarū operationum, & tamē ſunt eadem actualiter res, puta calor.

Inſtabis. Poteſt dici de Rationalitate Petri, quod ſit principium ratiocinandi : idem autem dici non poteſt de animalitate Petri : hæc enim propoſitio falſa eſt : Petrus ut animal, rationalis eſt : Ergo animalitas & rationalitas in eodem Petro diſtinguuntur formaliter.

Diſtinguo ſecundam partem antecedētis. Non poteſt dici de animalitate Petri, ſumptâ formaliter ſecundùm conceptum animalitatis quod ſit principium rationandi, concedo : non poteſt autem hoc dici de Animalitate Petri, ſumptâ entitativè, identicè, realiter, & actualiter, nego. Sic juſtitia divina ſumpta ſecundùm conceptum juſtitiæ, non miſeretur : attamen eadem ſumpta actualiter & entitativè miſeretur : ſic potentia indurativa ignis ut ſic concepta, non liquefacit, ſumpta tamen actualiter ſecundùm entitatem caloris, liquefacit. Diſtinguo conſequens : Ergo animalitas & rationalitas in eodē Petro diſtinguuntur formaliter virtualiter, concedo : formaliter actualiter, nego. Nego igitur Gradus Metaphyſicos diſtingui ſimpliciter in eodem individuo : ſed contendo diſtingui tantum virtualiter, & beneficio illius diſtinctionis idem poſſe præſtare, ac ſi diſtinguerentur actualiter : hæc enim eſt natura diſtinctionis virtualis.

Objicies 3. Illa diſtinguuntur actualiter, quæ diverſas habent definitiones : Atqui Gradus metaphyſici diverſas habent definitiones : Ergo diſtinguuntur actualiter.

Nego majorem. Ad diverſitatem enim definitionum, ſufficit diſtinctio virtualis & rationis ratiocinatæ, ut patet in exemplis toties citatis.

Inſtabis. Illa diſtinguuntur actualiter, quæ habent diverſas naturas. Atqui quæ habent diverſas definitiones, habent diverſas naturas : Ergo diſtinguuntur actualiter.

Diſtinguo majorem. Illa diſtinguuntur actualiter quæ

habent

habent diverſas naturas : hoc eſt , quæ habent diverſas entitates, concedo : hoc eſt, quæ habent diverſos conceptus formales aut objectivos , nego. Quæ habent diverſas definitiones, habent quidem diverſos conceptus formales, aut objectivos : unde definitio vocatur ab Ariſtotele: Ratio eſſentiæ : Quæ autem habent diverſas definitiones, non habent ſemper diverſas entitates : ut patet in Juſtitia & Miſericordia Dei , potentiâ indurativâ & liquefactivâ ignis.

Objicies ultimò. Partes ejuſdem totius diſtinguuntur actualiter : Atqui Genus & Differentia (quæ ſunt Grad9 Metaphyſici) ſunt partes ejuſdem totius, putâ ſpeciei: Ergo diſtinguuntur actualiter.

Diſtinguo majorem. Si ſint partes phyſicæ, concedo: partes metaphyſicæ, nego : At genus & differentia ſunt partes metaphyſicæ.

Inſtabis. Actus & Potentia diſtinguuntur actualiter : atqui Genus & Differentia ſe habent ut actus & potentiâ : Ergo diſtinguuntur actualiter.

Diſtinguo majorem. Actus & Potentia diſtinguuntur actualiter , in phyſicis, concedo : in metaphyſicis nego : Res enim metaphyſicæ ſimpliciores ſunt phyſicis : at genus eſt tantùm potentia metaphyſica & differentia actus metaphyſicus.

II. CONCLUS. Gradus Metaphyſici ejuſdem individui intrinſecùs ſaltem mentaliter diſtinguuntur.

Hæc concluſio eſt Thomiſtarum & Scotiſtarum omnium , contra Ochamiſtas ſeu Nominales contendentes Gradus Metaphyſicos ejuſdem rei extrinſecùs tantùm diſtingui, in quantum poſſunt concipi varijs conceptionibus formalibus , quarum aliæ alijs ſint clariores & diſtinctiores : quæ tamen omnes univerſos Gradus metaphyſicos ejuſdem individui attingant.

Probatur 1, Illa diſtinguuntur intrinſecùs ſaltem mentaliter, quorum unum concipi poteſt, altero nullo modo ce[illegible]to, ut ipſi fatentur Adverſarij : Atqui unus Grad9 ſe ſu[illegible]

Meta-

Metaphysicus concipi potest altero nullo modo concepto: v.g. Animalitas Petri concipi potest nullatenus cōceptâ ejus rationalitate: Ergo, &c.

Probatur minor Dum video Petrum eminùs moveri, concipio Petrum esse Animal, & tamen nullo modo concipio ejus Rationalitatem: Ergo Animalitas Petri cōcipi potest nullâtenus conceptâ ejus Rationalitate. Probatur antecedens. Dum video eminùs Petrum Philosophum moveri, non magis cogito de ejus Rationalitate, quam de ejus philosophiâ, ut potest unusquisque satis advertere: nam hîc non est credendum, examinandi sunt interni conceptus nostri, & videndum quid exhibeant: Atqui fatētur adversarij me in hypothesi allatâ nullo modo concipere Philosophiam Petri: Ergo fateantur necesse est, me quoque tunc nullò modo concipere Rationalitatem Petri.

Respondent, disparitatem esse in eo quod Philosophia Petri distinguatur intrinsecus à Petro, & proinde Petrus concipi possit sine ipsa: Rationalitas verò Petri non distinguatur intrinsecùs ab ejus Animalitate: & proinde animalitas Petri non possit concipi sine ejus rationalitate.

Sed profectò hoc est afferre quæstionem pro solutione: quæritur enim utrum Animalitas & Rationalitas Petri distinguantur intrinsecùs: Adversarij autem pro solutione paritatis allatæ respondent illos Gradus non distingui intrinsecùs.

Nos longè sincerius procedimus: nam remittimus Adversarios ad suos conceptus, & rogamus ut mēte ab omnibus præjudicijs liberâ, eos seriò intueantur, polliceemurque eos visuros se in hypothesi allata non magis concipere Rationalitatem Petri, quam ejus philosophiam.

Respondent se tunc quidem videre quoque Rationalitatem Petri, sed tam confusè, ut vi illius conceptûs asserere non possint objectum visum esse rationale.

Sed contendo, illos tunc nullo modo concipere Rationalitatem Petri: quod videbunt, si tantisper voluerint ... ten... aber...

tendere ad id, quod depingitur & repræsentatur in conceptu, quem tunc formant.

Probatur 2. Animalitas & Rationalitas Petri non sunt idem planè objectum intrinsecùs. Ergo distinguuntur intrinsecùs. Probatur antecedens. Non potest idem planè objectum simul cognosci clarè & non cognosci clarè: Atqui dum eminùs video Petrum moveri, cognosco clarè ejus animalitatem, cum possim asserere vi mei conceptûs, objectum visum esse animal: non cognosco autem clarè ejus rationalitatem, cum vi mei conceptûs, non possim asserere objectum visum esse rationale: Ergo Animalitas & Rationalitas Petri non sunt idem objectum intrinsecûs. Minor admittitur ab Adversarijs. Probatur major. Idem intrinsecùs objectum non potest simul cognosci & non cognosci, ex ipsis Adversarijs: Ergo à pari non potest simul cognosci clarè, & non cognosci clarè: non enim minor est contradictio in uno, quam in alio.

Obijcies 1. Unus Gradus Metaphysicus non potest produci aut corrumpi sine altero: Ergo nec concipi: & proinde Gradus Metaphysici non distinguuntur intrisecùs.

Nego paritatem. Ratio disparitatis est, quod productio & corruptio terminentur ad existentiam, quæ unica est pro omnibus Gradibus Metaphysicis, scilicet existentia individui, per quàm existunt omnes Gradus illius individui: at verò cognitio terminetur ad veritatem, quæ varia est in varijs Gradibus.

Obijcies 2. Homo non potest concipi sine Animali: Ergo unus Gradus Metaphysicus concipi non potest sine altero.

Distinguo consequens: Ergo unus Gradus Metaphysicus non potest concipi sine altero, qui sit pars ejus, concedo: qui non sit pars, nego. Fateor ergo speciem non posse concipi sine genere & differentia, quia species est totum constans genere & differentia: totum autem concipi non potest sine partibus: At contendo genus concipi posse sine differentia, & differentiam sine genere, v. g.

Animalitatem sine Rationalitate, & Rationalitatem sine Animalitate.

Instabis. Rationalitas est principium ratiocinandi dependenter à sensibus: Atqui principium ratiocinandi dependenter à sensibus non potest concipi sine Animalitate, cum sensus ab Animalitate profluant: Ergo Rationalitas non potest concipi sine Animalitate.

Distinguo minorem. Rationalitas non potest concipi sine Animalitate, connotata concedo: Rationalitas non potest concipi sine Animalitate, inclusâ, nego. Sic scientia non potest concipi sine objecto; proindeque objecto non identificatur: sic etiam contendimus Gradus Metaphysicos sibi invicem in conceptu non identificari.

Urgebis. Animal Petri non potest concipi sine Rationalitate inclusa, nam Animal significat habens Animalitatem: Habens autem animalitatem Petrus est, & proinde rationalis: Ergo genus non potest concipi sine differentia inclusa.

Distinguo consequens: Ergo genus in concreto non potest concipi sine differentia inclusa, transeat: Ergo genus in abstracto non potest concipi sine differentia inclusa, nego. Nam licet Animal Petri non posset concipi sine Rationali, posset tamen Animalitas concipi sine Rationalitate, sicut licet album nō possit concipi sine aliquo subjecto, potest tamen albedo concipi sine subjecto.

Dixi transeat, ad illam propositionem, Genus in concreto non potest concipi sine differētia inclusa: quia probat tantum objectio animal non posse concipi sine aliquo singulari animali: non autem sine rationalitate. Quemadmodum ergo dum video eminus Petrum magnum, cōcipio magnitudinem esse in aliquo individuo forsan Philosopho, non tamen concipio Philosophiā Petri: ita dum video eminus Petrum ut animal, concipio Animalitatem esse in aliquo individuo forsan Rationali: non tamen cōcipio ejus Rationalitatem: quippe licet concreta non abstrahant a subjectis, abstrahunt tamen à formis comitibus.

Subsu-

Subſumes. Ergo ſaltem Gradus metaphyſici in concreto non diſtinguuntur intrinſecus.

Diſtinguo ſubſumptum: Ergo Gradus Metaphyſici in concreto non diſtinguuntur intrinſecus à Gradu individuali confusè ſumpto, concedo: à cæteris Gradibus differētialibus vel genericis, nego: Fateor animal non abſtrahere, & proinde non diſtingui intrinſecus ab aliquo individuo cōfusè ſumpto, quia Animal dicit habens animalitatem: contendo tamen Animal abſtrahere à Rationalitate, quia (ut jam dixi) licet concreta non abſtrahant à ſubjectis, abſtrahunt tamen à formis comitibus.

Objicies 3. Si Gradus Metaphyſici poſſent concipi ſine ſe invicem, non poſſet fieri ulla propoſitio eſſentialis falſum conſequens. Ergo & antecedens. Probatur major. Ad propoſitionem eſſentialem requiritur, ut prædicatum ſit de conceptu ſubjecti: Atqui ſi Gradus Metaphyſici poſſent concipi ſine ſe invicem, non poſſet fieri ulla propoſitio in qua prædicatum eſſet de conceptu ſubjecti: quandoquidem unus Gradus concipi poſſet ſine altero: Ergo non poſſet fieri ulla propoſitio eſſentialis.

Diſtinguo majorem. Si Gradus Metaphyſicus habens rationem totius poſſet concipi ſine Gradu habente rationem partis, nulla eſſet propoſitio eſſentialis, concedo: ſi Gradus Metaphyſicus habens rationem partis, poſſet concipi ſine altero habente rationem comparτis, nulla eſſet propoſitio eſſentialis, nego. Tunc ergo tantū fiunt propoſitiones eſſentiales, quando partes metaphyſicæ (puta genus & differentia, ſpecies & ſingularitas) prædicantur de ſuis totis: unde fateor ſpeciem non poſſe præſcindi à genere & differentia; nec individuum a ſpecie & ſingularitate: at contendo genus & differentiam à ſe mutuò mentaliter abſtrahi poſſe, ſicut ſpecie & ſingularitatem.

Objicies 3. Intellectus non poteſt diſtinguere intrinſecus quæ non diſtinguūtur à parte rei; intellectus enim ut pote agens immanenter; non immutat objecta; Atqui Gradus Metaphyſici non diſtinguuntur à parte rei:

Ergo non potest intellectus eos intrinsecus distinguere.

Distinguo majorem. Intellectus non potest distinguere intrinsecus, quæ non distinguuntur à parte rei, vel actualiter, vel virtualiter, concedo: quæ non distinguuntur actualiter, nego: Nam sicut, quæ distinguuntur virtualiter, proinde producunt diversos effectus, ac si actualiter distinguerentur, ut patet in potentiâ liquefactiva & indurativa ignis: ita quæ distinguuntur virtualiter perinde terminant diversos conceptus, ac si distinguerentur realiter: at Gradus Metaphysici, (ut sequenti conclusione dicemus) distinguuntur virtualiter. Ad probationem fateor intellectum non immutare objecta: contendo tamē inde non sequi illum non posse diversis conceptibus ea cōcipere quæ diversas non habent entitates. Sicut enim licet visus non immutet objecta, non desinit tamen habere in se similitudinem coloris pomi sine specie odoris. Ita à pari, licet intellectus non immutet objecta, potest tamen habere speciem repræsentativam naturæ universalis, sine specie repræsentativa principiorum individualium, ut ratiocinatur S. Thom. 1. part. qu. 85. art. 2. ad 2.

CONSECTARIUM.

Ex hac conclusione sequitur Gradus Metaphysicos ejusdē rei posse mente præscindi & abstrahi à se invicē: quia mente præscindere & abstrahere, est unum concipere, nullo modo concepto altero, cum quo conjunctum est: Atqui Gradus Metaphysici ejusdem rei sine se invicem possunt concipi, ut probavimus superiori conclusione: Ergo Gradus Metaphysici possunt mente præscindi.

Gradus autem Metaphysici sic mente præcisi vocantur, Præcisiones objectivæ: actiones vero quibus præscinduntur, Præcisiones formales Nos itaque admittimus præcisiones objectivas Graduum Metaphysicorum, quas non admittunt Nominales.

Dices. Si intellectus præscinderet & abstraheret Gradꝰ Metaphysicos ejusdem rei, erraret: Ergo non debet præ-

scindere.

ſcindere. Probatur antecedens. Dum Intellectus ſeparat quæ revera ſerarari non pon poſſunt, errat, ut ſi ſeparaŕet miſericordiam à Deo: Atqui Gradus Metaphyſici ejuſdem rei revera ſeparari non poſſunt. Ergo ſi intellectus eos ſepararet, erraret.

Nego antecedens, ad cujus probationem diſtinguo majorem. Errat Intellectus dum inſeparabilia ſeparat, negã do & judicativè, concedo: præſcindendo & apprehenſivè tantum, nego. Solutio colligitur ex S. Thoma, 1. part. qu. 85. art. 1. ad 1. ubi ſic ſcribit. Abſtrahere contingit dupliciter: uno modo per modum compoſitionis & diviſionis, ſicut cum intelligimus aliquid non eſſe in alio, vel eſſe ſeparatum ab eo: alio modo per modum ſimplicitatis, ſicut cum concipimus unum, nihil conſiderando de alio. Abſtrahere igitur per intellectum ea quæ ſecundum rem non ſunt abſtracta ſecũdum primum modum abſtrahendi, non eſt abſque falſitate: ſed ſecundo modo abſtrahere per intellectum quæ non ſunt abſtracta ſecundum rem, non habẽt falſitatem, ut in ſenſibus manifeſtè apparet. Si enim intelligamus vel dicamus colorem non ineſſe corpori colorato, vel eſſe ſeparatum ab eo, erit falſitas vel in opinione vel in oratione: ſi verò conſideremus colorem & proprietatem ejus nihil conſiderantes de pomo colorato vel quod ſic intelligimus, voce exprimamus, erit abſque falſitate opinionis & orationis: pomum enim non eſt de ratione coloris: & ideo nihil prohibet colorem intelligi, nihil intelligendo de pomo. Similiter dico, quod ea quæ pertinent ad rationem ſpeciei cujuſlibet rei naturalis, puta lapidis aut hominis, aut equi, poſſunt conſiderari ſine principijs individualibus, quæ non ſunt de ratione ſpeciei: & hoc eſt abſtrahere Univerſale à particulari, vel ſpeciem intelligibilem à phantaſmatibꝰ conſiderare ſcilicet naturam ſpeciei abſque conſideratione individualium principiorum, quæ per phantaſmata repræſentantur. Unde vulgatiſſimum eſt axioma deſumptũ ex 2. Metaph. 2. Abſtrahentiũ non eſt mẽdacium. Quod

axioma diligenter est observandum in doctrina Peripatetica.

III. CONCLUS. Gradus Metaphysici ejusdem rei distinguuntur virtualiter.

Hæc conclusio est omnium Thomistarum contra Ochamistas seu Nominales.

Probatur. Illa distinguuntur virtualiter, quæ licet sint unica entitas, æquivalent tamen pluribus realiter distinctis: Atqui Gradus Metaphysici ejusdem individui sunt ejusmodi: tum quia sunt principia diversarum proprietatum & operationum: tum quia diversas habent definitiones, diversosque conceptus objectivos: tum quia unus est principium conveniendi, alter disconveniendi. Ergo distinguuntur virtualiter.

Unde sequitur Gradus Metaphysicos ejusdem rei distingui etiam ratione ratiocinata: quia distinctio virtualis sufficiens est fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ, etiam intrinsecæ.

Objicies primo, ut aliqua distinguuantur virtualiter in aliquo, oportet ut alibi distinguantur realiter. (Sic misericordia & justitia distinguũtur virtualiter in Deo, quia in hominibus distinguuntur realiter.) Atqui gradus Metaphysici nullibi distinguũtur realiter. Ergo in eadem re non distinguuntur virtualiter.

Nego majorem. Ut enim quædam distinguantur virtualiter, satis est quod æque diversas exerceãt operationes, terminentque æquè diversos conceptus, ac si distinguerentur realiter: sic anima vegetativa, sensitiva & rationalis in homine distinguũtur virtualiter, quia tot diversas functiones exercent, & tam diversas terminant cõceptiones, ac si distinguerentur realiter.

Objicies 2. Si Gradus Metaphysici distinguerentur virtualiter, etiam in Deo distinguerentur virtualiter: Atqui non distinguuntur virtualiter in Deo: aliàs Deus non esset simplicissimus. Ergo Gradus Metaphysici non distinguuntur virtualiter.

Prætermissa majore, nego minorem & probationem ejus: Distinctio enim virtualis non obest simplicitati: nam sicut esse calidum virtualiter, non est esse calidum, sed habere virtutem producendi calorem: sic distingui virtualiter, non est distingui, sed habere virtutem concurrendi ad distinctionem mentalem intrinsecam & objectivam: Itaque distinctio virtualis non invehit multiplicitatem, nec proinde repugnat simplicitati: unde licet attributa divina distinguantur virtualiter à Divinitate, non important tamen compositionem realem in Deo, & proinde non impediunt quominus Deus sit simplicissimus actu.

PARAGRAPHUS IV.

Utrùm natura sit Universalis à parte rei.

EX quatuor conditionibus ad Universalitatem requisitis, dubium tantum est de unitate Universalis: nam

Constat primo, Naturam creatam esse in multis divisim: etenim multiplex est in multis: siquidem Petrus & Paulus sunt multi homines.

Consta secundo, Naturam à parte rei convenire multis univocè, hoc est eodem modo, ut patet de natura humana.

Constat tertio, Naturam esse realiter aptam ut sit in multis, ab actu enim ad posse valet cōsequētia, inquit Philosophus lib. de Interpret. Atqui natura de facto est in multis, v. g. natura humana in Petro, Paulo, &c. Ergo de facto est apta essendi in multis.

Tota itaque difficultas est, utrum natura creata sit una in multis à parte rei, vel independenter à mente.

CONCLUSIO. Natura à parte rei nō est una in multis, nec proinde Universalis.

probatur 1. authoritate Philosophi qui docet 1. Phys. cap. idem esse, esse unum specie, & ratione: & 1. de Anima cap. 1. Universale esse posterius rebus, & secundo de anima cap. 3. Universalia esse quodammodo in anima.

Probatur 2. authoritate S. Thomæ 1. part. qu. 85, art. 2. ad 2. ubi sic scribit: Cum dicitur Universale abstractū, duo intelliguntur scilicet ipsa natura rei, & abstractio seu universalitas. Ipsa igitur natura, cui accidit vel intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis non est nisi in singularibus: sed hoc ipsum quod est vel intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis, est in intellectu.

Probatur 3. ex præcedenti Paragrapho. Gradus Metaphysici ejusdem rei non distinguuntur realiter. Ergo Natura non distinguitur realiter à singularitate: Ergo non est realiter Universalis.

Probatur 4. ratione. Natura est multiplex in multis à parte rei, cum Petrus & Paulus v.g. sint multi homines. Ergo Natura non est una in multis à parte rei: unum enim & multa opponuntur.

Distinguunt Scotistæ antecedens: Natura à parte rei est multplex, numero, concedo: specie, nego. Natura enim humana (inquiunt) licet sit multiplex numero in Petro & Paulo, est tamen in ijs una specie.

Refelluntur. In Petro & Paulo Natura humana specifica & numerica nō sunt duæ naturæ, sed unica realiter: (frustranea quippè foret natura specifica realiter distincta à numerica, cum per solam naturam numericam satis intelligatur Petrum esse hominem cæteris similem) Atqui ex Adversarijs natura numerica Petri realiter distinguitur à natura numerica Pauli. Ergo & natura specifica Petri distinguitur realiter à natura specifica Pauli & proinde non est una specie natura in ipsis à parte rei.

Probatur 5. ex refutatione modorum, quibus Universalitas posset competere naturæ à parte rei. Si Universalitas à parte competeret naturæ: vel ei competeret essentialiter, vel tanquam proprietas, vel tanquam accidens commune: Atqui nullum potest dici: non quidem quod Universalitas competat naturæ essentialiter, aut tanquàm proprietas: quod enim alicui naturæ competit essentialiter, aut tanquam proprietas, competit omnibus ejus singula-

gularibus, ut patet de rationalitate, & de vi ridendi hominis: quia enim rationalitas est de essentia hominis & vis ridendi ejus proprietas, ideo omnes homines sunt rationales & risivi: Atqui Universalitas non competit singularibus, ut clarum est. Ergo non competit naturæ essentialiter aut tanquam proprietas: non etiam dici potest quod universalitas competat naturæ ut accidens cõmune: nam accidens commune competit prius singularibus quàm naturæ, & hoc est unum discrimen inter proprietates & accidentia communia, quod proprietates prius competant naturis, quàm singularibus: accidentia verò communia prius singularibus conveniant quàm naturis, ut patet inductione. Atqui Universalitas non competit ulli singulari: alias singulare non esset singulare. Ergo Universale non est accidens commune respectu naturæ.

Probatur ultimò ex absurdis quæ sequerentur ex reali naturæ universalitate.

Primo enim si natura creata esset una in multis à parte rei, jam mysterium Trinitatis non esset ineffabile: totum enim mysterium in eo situm est, quod unica natura sit in tribus personis distinctis: At verò in creatis unica natura non tantùm esset in tribus, sed in infinitis ferè suppositis.

2. Quia esset eadem realiter natura in Christo & in Iscariote, & proinde eadem natura esset Deo grata & displicens, salvata & damnata.

3. Quia natura nostra fuisset tota producta in Adamo, & proinde nullæ naturæ jam producerentur, sed tantum singularitates: imò moriente Adamo, mortua esset omnium hominum natura, sicut eo producto producta esset: quæ omnia sane videntur absurda.

Obijcies 1. ex Aristotele cap. 1. lib. de Interpr. 7. Rerum aliæ sunt universales, aliæ singulares. Ergo dantur res universales.

Distinguo rerum aliæ sunt universales per mentem,

aliæ ſunt ſingulares, concedo: aliæ ſunt univerſales à parte rei, ſubdiſtinguo, ſunt univerſales, fundamentaliter, concedo: formaliter, nego: nam Philoſophus 1. de animâ cap. 5. opponit univerſalia ſingularibus, quod univerſalia ſint quodammodo in animâ.

Inſtabis. Ariſtoteles ibidem dicit Univerſale ex naturâ aptum eſſe prædicari de multis. Ergo vult illud eſſe à parte rei.

Diſtinguo antecedens. Ariſtoteles dicit quod univerſale ex natura ſua prædicari aptum ſit remotè & fundamẽtaliter, concedo: proximè & formaliter, nego.

Diſtinguo conſequens. Ergo Ariſtoteles vult univerſale eſſe à parte rei fundamentaliter concedo, formaliter nego.

Objicies 2. Datur ſpecies à parte rei, cum Petrus & Paulus ſint ejuſdem ſpeciei à parte rei: Atqui Species eſt unum Univerſale. Ergo datur Univerſale à parte rei.

Diſtinguo majorem. Datur ſpecies fundamẽtalis à parte rei, concedo: ſpecies formalis, nego: Dantur enim naturæ, quæ propter ſui ſimilitudinem ſpeciem præbent intellectui legitimum fundamentum ſpeciem efficiendi: unde Petrus & Paulus à parte rei non ſunt ejuſdem ſpeciei niſi fundamentaliter, in quantùm habent naturas ita ſimiles, ut mens eas concipiat inſtar unius ſpeciei.

Inſtabis. Petrus & Paulus vel ſunt ejuſdem formaliter ſpeciei à parte rei, vel diverſæ. Non ſunt diverſæ: Ergo ſunt ejuſdem.

Nego majorem. Valet ne hæc propoſitio: Angeli vel ſunt ejuſdem coloris, vel diverſi: Prius probandum eſſet dari colorem in Angelis: Ita à pari prius Adverſarijs probandum incumbit dari ſpeciem formaliter à parte rei, quàm dicere poſſint, Petrus & Paulus à parte rei vel ſunt ejuſdem formaliter ſpeciei, vel diverſæ.

Objicies 3. Illud eſt unum, quod eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio: Atqui Natura humana v. g. à parte rei eſt indiviſa in ſe, & diviſa à qualibet aliâ naturâ. Erg

rā. Ergo eſt una à parte rei. Quod Natura humana à parte rei diviſa ſit à qualibet aliâ natura, patet: eſt enim diviſa à naturâ equinâ, leoninâ, & ſimilibus: Quod verò ſit indiviſa in ſe, probatur. Illud eſt indiviſum, quod non includit principia dividentia: Atqui Natura humana non includit ſua principia dividentia: ſcilicet Petreitatem, Pauleitatem, &c. alias omnes homines eſſent Petri: quod enim Natura includit, illud competit omnibus ejus individuis.

Nego Naturam à parte rei in multis individuis eſſe indiviſam. Ad probationem diſtinguo minorem: Natura non includit ſua principia dividentia, formaliter & in cōceptu, concedo: realiter & identicè, nego. Confirmationem, ſimiliter diſtinguo. Quod Natura includit formaliter & in conceptu, competit omnibus ejus individuis, concedo: quod natura includit realiter & identicè competit omnibus ejus individuis, nego.

Inſtabis quod competit ſuperiori, competit omnibus ejus inferioribus. Ergo ſi natura hnmana includeret Petreitatem, omnes homines forent Petri.

Reſpondeo 1. hoc argumentum ſupponere quæſtionē: ſupponit enim naturam à parte rei eſſe ſuperius, & proinde eſſe Univerſalem quod negamus. 2. Diſtinguo Antecedens eòdem modo. Quod competit ſuperiori formaliter, competit omnibus inferioribus, concedo: quod ei competit identicè tantum, nego: At Natura humana Petreitatem identicè tantùm includit, idque in ſolo Petro.

Objicies. Petrus & Paulus ſunt ſimiles in naturâ: Ergo habent unicam naturam.

Nego conſequentiam: imò ex eo quod Petrus & Paulus ſint ſimiles in natura, colligo: Ergo non habent eandem naturam, ſed aliam & aliam: Negant enim vulgò Theologi poſt Magiſtrum 1. ſent. diſt. 31. perſonas SSmæ Trinitatis eſſe proprie ſimiles in naturâ, quia habent eādem naturam: fundamenta quippe relationum realium debent eſſe realiter diſtincta: quanquàm ad ant. reſponderi

deri posset Petrum & Paulum non esse similes in naturâ, sed in naturis.

Instabis. Ex Arist. 5. Metaph. cap. 15. similitudo fundatur in unitate: Atqui Petrus & Paulus sunt similes essentialiter: Ergo unicam habent essentiam.

Distinguo majorem. Similitudo fundatur in unitate fundamentali & convenientiæ, concedo: formali & identitatis, seu potius identificationis, nego. Fateor ergo essentias Petri & Pauli, ex eo quòd sint radices similium proprietatum & operationum, posse dici unam essentiam seu naturam: sed fundamentaliter tantùm, non formaliter.

Obijcies ultimò. Objectum scientiæ est reale: Atqui Universale est objectum scientiæ: Ergo est reale.

Distinguo minorem. Universale materiale & fundamentale est objectum scientiæ, concedo: universale formale, nego. Objectum quippe scientiæ non est Universalitas: sed natura quæ est subjectum Universalitatis.

Instabis. Universale fundamētale nihil aliud est, quàm multa singularia similia: Atqui singularia non sunt objectum scientiæ. Ergo Universale, quod est objectum sciētiæ non tantùm est Universale fundamentale: sed & formale.

Distinguo majorem. Universale fundamentale nihil aliud est quam multa singularia similia spectata secundū naturas, concedo: spectata secundum singularitates, nego. Distinguo minorem. Singularia non sunt objectum scientiæ, si spectentur secundùm singularitates, concedo: si secundum naturas, nego: Unde nego consequentiam: objecta enim scientiarum sunt ipsæ naturæ singularium, non habita ratione ullius singularitatis; quomodo spectatæ sunt quidem Universales, ut mox explicabimus, sed sunt tantùm hoc modo per mentem, cum à parte rei idētificentur cum singularitatibus, ut superiori Paragrapho probatum est.

ARTI-

ARTICULUS TERTIUS,

De causa efficiente Universalis.

CUm articulo primo docuerimus naturas eſſe Univerſales, & articulo 2. Univerſalitatem ipſis non competere à parte rei: manifeſtè ſequitur cauſam efficientem Univerſalitatis eſſe intellectum.

Dices. Si naturæ non ſunt Univerſales à parte rei, & ſint per mentem, mens errabit: quia concipere res aliter quàm ſint, eſt errare: Atqui mens concipiet res aliter quàm ſint: concipiet enim naturas Univerſales, quæ tamen non ſunt Univerſales: Ergo errabit.

Nego ſequelam. Ad probationem diſtinguo majorem. Concipere res aliter quàm ſint eſt errare, ſi ille alius modus affingatur objecto, concedo: ſi verò ſe tantùm teneat à parte noſtri concipiendi modi, nego: Sic cum concipio lapidem ſpiritali modo, non erro, quia ſpiritalitatē non affingo lapidi. Cum ergo dicitur (inquit S. Thomas 1. part. qu. 85. art. 1. ad 1.) quod Intellectus ſit falſus, qui intelligit rem aliter, quàm ſit, verum eſt, ſi ly aliter, referatur ad rem intellectam; tunc enim intellectus eſt falſus, quando intelligit rem eſſe aliter quàm ſit: unde falſus eſſet intellectus, ſi ſic abſtraheret ſpeciem lapidis à materiâ, ut intelligeret eam non eſſe in materiâ, ut Plato poſuit: non eſt autem verum quod proponitur, ſi ly aliter accipiatur ex parte intelligentis: eſt enim abſque falſitate, ut alius ſit modus intelligentis in intelligendo, quàm modus rei in eſſendo, quia intellectum eſt in intelligente immaterialiter per modum intellectûs: non autem materialiter per modum rei materialis.

Inſtabis: Atqui affingitis Univerſalitatem naturæ: dicitis enim naturā eſſe Univerſalem: Ergo erratis.

Diſtinguo ſubſumptum: Affingimus Univerſalitatem naturæ exiſtenti in intellectu, concedo: exiſtenti à parte rei, nego: proindeque nego conſequentiam: ſicut enim qui diceret Angelum prout eſt in intellectu noſtro eſſe indutum

dutum involucris corporeis, non erraret, sed tantum ille, qui diceret talem esse à parte rei. Ita à pari, cum dicimus naturam esse Universalem per mentem, non erramus: quia de facto talis per mentem: sed errant Scotistæ, dum putant naturam esse universalem revera à parte rei.

Difficultas ergo tantùm est, per quam mentis operationem fiat Universale. Et quidem conveniunt omnes fieri per aliquam apprehensionem: sed per qualem? disputatur, quæ lis ut dissolvatur:

Observa triplicem hîc esse distinguendam apprehensionem mentis, scilicet abstractivam, comparativam, & confusivam.

Apprehensio abstractiva est ea, quâ concipitur objectũ non concipiendo aliud cum quo conjunctum est, ut cum concipitur pomum non concepto sapore, cum quo tamẽ conjunctum est.

Apprehensio comparativa est ea, quâ cõfertur aliquod objectum cum alio, ut cum examinatur utrum aliquod attributum competat alicui subjecto, nec-ne?

Apprehensio confusiva est ea, quâ multa singularia ita confusè concipiuntur, ut videatur unum quid concipi.

Thomistæ omnes asserunt Universale fieri per abstractionem, cui aliqui ex illis addunt comparationem: quidam Seminominales contra contendunt fieri per confusionem; nobis verò videtur aliter philosophandum esse de Universali metaphysico, seu in essendo, quam de Universali logico seu in prædicando: quare de utroque seorsim agemus.

PARAGRAPHUS PRIOR.

Quomodo fiat Universale metaphysicum.

DUm quærimus causas Universalis, non quærimus causas Universalis materialiter & primò intentionaliter sumpti: pura naturæ quæ Universalis est: hæc enim cõsideratio pertinet ad alias scientias; sed quærimus causas

Univer-

Universalis formaliter & secundò intentionaliter sumpti, id est Universalitatis vel Naturæ prout Universalis est, quod in toto hoc Tractatu diligenter est observandum.

I. CONCLUS. Ut natura fiat Universalis in essendo, requiritur abstractio mentis.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ 1. part. quæst. 85. art. 2. ad 2. ubi sic habet. Quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus (quod est ipsam abstrahi) ad quod sequitur intentio Universalitatis, accidit humanitati secundùm quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturæ speciei & non individualium principiorum.

Probatur 2. ratione. Ut Natura fiat universalis in essendo, requiritur ea mentis actio, quæ correspondeat nomini, quo significatur: tales enim sunt conceptus in repræsentãdo, quales voces in significando, cùm voces sint signa conceptuum, ex 1. cap. de Intepr. Atqui sola abstractio ex actionibus intellectûs correspondet nomini, quo significatur Universale in essendo, hoc enim Universale significatur per nomen abstractum: dicitur enim humanitas esse in Petro, Paulo, &c. nomen autem abstractum significat naturam sine singularibus, & formam sine subiectis: unde etiam dicitur Abstractum, quia significat naturas abstractas à particularibus: Ergo ut natura fiat universalis in essendo, requiritur abstractio mentis.

II. CONCLUS. Per abstractionem mentis fit una.

Probatur. Tunc natura fit una, cum avellitur à principijs multiplicantibus, putâ ab inferioribus, & subjectis, in quibus multiplicatur, sicuti ferè plura vina homogenea fierent unicum vinum, si separarentur à pluribus vasis, in quibus priùs recepta multiplicabantur: Atqui per mẽtis abstractionem, natura avellitur à principijs multiplicantibus, puta à suis differentijs & principijs individualibus, sine quibus concipitur: ex S. Thoma. Ergo per abstractionem mentis Natura fit una.

Objicies. Quando intellectus abstrahit naturam ab inferiori-

ferioribus, v. g. naturam humanam à Petro: & Paulo: vel ab illis abstrahit humanitatem, vel humanitates: non humanitatem, aliàs priùs fuisset tantum humanitas in Petro, & Paulo, & proinde natura fuisset in Petro & Paulo una à parte rei, quod tamen supra negatum est: si humanitates: Ergo natura post abstractionem est adhuc multiplex.

Respondeo. Intellectum abstrahere practicè naturam unam, id est abstrahendo facere, ut natura, quæ antea erat multiplex, in singularibus, sit una in mente.

Instabis. Si hoc esset, erraret intellectus: quia conciperet humanitatem ut unam aptam esse in multis, cum tamen talis non sit à parte rei.

Nego sequi, Nam (ut ajunt Peripatetici post suum principem 2. Physic. 2.) abstrahentium non est mendacium: sicut enim dum concipio Deum, non cogitando de ejus justitiâ, non erro, quia non nego Deum esse justum: ita dum concipio humanitatem, non cogitando de ejus singularitatibus, non erro, quia non nego eam à parte rei conjunctam esse cum singularitatibus.

III. CONCLUS. Natura per abstractionem fit apta esse in multis.

Probatur 1. Natura per abstractionem fit talis in suo conceptu, qualis foret à parte rei, in sentētia eorum, qui admittunt naturas ab æterno ante omnia singularia: Atqui in eorum sententiâ Natura ab æterno erat apta essendi in multis: Ergo & Natura per mentem abstracta.

Probatur 2. Natura per mentem abstracta nihil habet, per quod ad unū potiùs individuum determinetur, quàm ad aliud, cum sit sine omni singularitate: Ergo ut sic, est apta essendi in multis.

Probatur 3. Quæ perfectio abstracta est ab aliquo, manet apta essendi in illo: sic anima rationalis per mortem avulsa à corpore, semper manet apta realiter essendi in corpore: Atqui natura per abstractionē mentaliter avellitur à multis: Ergo post abstractionem manet mentaliter apta, ut sit in multis.

Obiicies.

Obijcies. Si quis viderit unicum Elephantem, & concipiat naturam ejus, non cogitando de ejus singularitate, natura erit metaliter abstracta : Atqui non erit apta essendi in multis, quia forma abstracta habet tantùm aptitudinem essendi in eo, à quo abstracta est : Atqui natura Elephantis in tali hypothesi fuerit tantum abstracta ab unico individuo , non à multis : Ergo non erit apta essendi in multis : Ergo natura per abstractionem non fit apta essendi in multis.

Nego minorem. Ad cujus probationem , nego etiam minorem. : cum enim tunc natura elephantina concipiatur sine omni prorsùs singularitate], abstrahitur ab omnibus singularibus.

Instabis. In tali hypothesi erit eadem natura in mente, quæ est in Elephante visio : Atqui in Elephante visio non est natura apta essendi in multis : Ergo nec in mente.

Distinguo majorem. Erit eadem natura in mente, sed diverso modo , concedo : erit eodem modo , nego : nam à parte rei natura Elephantis identificata est tali singulari : at in mente nihil habet, quo determinetur ad unum potius Elephantem, quam ad alium : sicque est indifferens ad omnes, & proinde apta ut sit in multis.

IV. CONCLUS. Ad fabricam Universalis metaphysici non requiritur Comparatio abstractionem subsequens.

Quia hæc conclusio est ferè contra omnes Thomistas, ideo

Probatur 1 authoritate S. Thomæ qui 1. part. qu. 85. artic. 1. ad 1. sic habet : Ea, quæ pertinent ad rationem speciei rei cujuslibet materialis, puta lapidis, aut hominis, aut equi , possunt considerari sine principijs individualibus , quæ non sint de ratione speciei : & hoc est abstrahere Universale à patticulari. Et art. 2. ad 2. Abstractionem confundit cum Universalitate, & 5. ad 1. dicit Universalitatem provenire ex Abstractione.

Probatur 2. ratione. Natura per mentem abstracta habet omnes conditiones requisitas ut sit Universalis in essen-

essendo, ut patet ex duabus superioribus conclusionibus, in quibus probavimus naturam per abstractionem mentis fieri unam, & aptam esse in multis: Ergo ad Universale in essendo non requiritur Comparatio abstractionem subsequens.

Obijcies, Divum Thomam passim ad intentiones logicas, qualia sunt Universalia, requirere comparationem rerum quæ sunt in intellectu, ad res quæ sunt extra animam.

Distinguo. Sanctus Thomas requirit comparationem ad intentones logicas, ut intellectus propria ijs imponat nomina, concedo ut eas faciat nego. Vult ergo tantùm S. Doctor quòd intellectus nomina ejusmodi intentionum logicalium inveniat, comparando res intellectas, ad ea quæ sunt extra animam: sic enim scribit opusculo 48. cap. 2. Quia intellectus reflectitur supra seipsum & supra ea, quæ in eo sunt, sive subjectivè, sive objectivè; considerat iterum hominem sic à se intellectum sine conditionibus materiæ, & videt quod talis natura cum tali Universitate seu abstractione intellecta (quod est comparare) potest attribui huic & illi individuo: & ideo format secundam intentionem de tali naturâ, & hanc vocat Universale seu prædicabile. Quibus verbis patet S. Thoma velle Universalitatem esse ante comparationem, & per comparationem cognosci.

Obijcies 2. Ut natura fiat Universalis, comparanda sunt multa inferiora illius naturæ inter se, & videndum in quibus conveniant, & in quibus differant, ut postea concipi possit illud, in quo conveniunt, non conceptis differentijs per quas differunt: Atqui hoc est comparare: Ergo ad Universalitatē requiritur comparatio.

Concedo majorem. Continet enim vulgarem methodum naturas reddendi Universales: distinguo minorem hoc est comparare individua inter se, concedo: hoc est comparare naturam abstractam cum individuis, nego.

Distinguo consequens. Ergo ad Universalitatem requiritur

ritur comparatio inferiorum inter se, ut probat objectio, concedo: requiritur comparatio naturæ abstractæ cum inferioribus, quæ sit examinando utrum natura abstracta conveniat inferioribus nec-ne, ut contendunt Adversarij, nego.

Obijcies 3. Omnis relatio rationis fit per comparationem: Atqui Universalitas est relatio rationis: Ergo fit per comparationem.

Distinguo minorem. Universalitas est relatio rationis fundamentaliter, concedo: formaliter, nego. Universalitas enim est quidem fundamentum cur putem naturæ abstractæ convenire relationem ad particularia: non tamen est ipsa relatio; sicuti duæ cæcitates sunt fundamentum, cur existimem reperiri similitudinem in duobus cæcis, cum tamen revera nulla sit in ijs similitudo.

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

Quomodo fiat Universale Logicum.

I. CONCLUSIO.

Universale logicum non fit per mentis abstractionem. Probatur 1. authoritate S. Thomæ, qui 1. part. qu. 13. art. 12. sic habet. Secundum est quod in qualibet propositione affirmativâ verâ oportet quod prædicatum & subjectum significent idem secundùm rem aliquomodo, & diversum secùmdum rationem: & hoc patet tam in propositionibus, quæ sunt de prædicato accidentali, quàm in illis, quæ sunt de prædicato substantiali. Manifestum est enim quòd homo & albus sunt idem subjecto, & differunt ratione: alia enim est ratio hominis & alia ratio albi, & similiter cum dico, Homo est animal: illud enim ipsum, quod est homo, verè animal est, in eodem enim supposito est & natura sensibilis, à quâ dicitur animal, & rationalis à quâ dicitur homo, unde & hîc etiam prædicatorum & subjectum sunt idem supposito. Ergo ex divo Thoma Universale in prædicando non abstrahit à subjectis & suppositis; sicque non fit per abstractionem ab illis.

Proba-

Probatur 2. ratione. Universale in prædicando nõn potest abstrahi à singularibus: Ergo non fit per abstractionem. Probatur Antecedens. Nullum concretum potest abstrahi à singularibus: Atqui Universale in prædicando est concretum, ut patet attendenti: Ergo Universale in prædicando non potest abstrahi à singularibus. Probatur major. Nullum concretum potest abstrahi à subjectis: in hoc enim differt concretum ab abstracto, quòd abstractum significet solam formam: concretum verò formam & subjecta confusè: album enim v. g. significat albedinẽ distinctè, confusè verò & vagè subjecta habentia albedinem: Atqui subjecta habentia formas sunt singularia: Ergo nullum concretum potest abstrahi à singularibus.

Objicies 1. Quod potest esse in multis, potest prædicari de multis: Atqui Natura humana abstracta potest esse in multis: Ergo potest prædicari de multis.

Possem absolutè negare majorem. Quod enim potest esse in multis, non propterea potest prædicari de multis: sed tantum id quod est in multis: id enim quod potest esse in me, non potest dici de me: sed tantum id quod est actu in me: unde natura non potest dici de multis, nisi sit actu in multis, & proinde prout à multis abstracta, non est Universalis in prædicando. Nihilominus,

Distinguo majorem. Quod potest esse in multis, potest prædicari de multis, in concreto, concedo: in abstracto, nego: Albedo enim in abstracto non potest prædicari de nive, lacte, &c. sed tantum in concreto: concreta autem (ut diximus) non abstrahunt à singularibus.

Objicies 2. Accidentia sunt universalia in prædicando respectu inferiorum, v. g. color respectu albedinis, nigredinis, &c. Atqui tunc sunt abstracta: Ergo quædam Universalia in prædicando sunt abstracta, & proinde fiunt per abstractionem.

Distinguo minorem. Accidentia ut prædicabilia de inferioribus sunt abstracta, à subjectis, concedo: ab inferioribus, nego: Color enim est quidem abstractum physicum,

cum, & à suis subjectis: non autem metaphysicum, & à singularitatibus suorum inferiorum: idem enim est color, ac habens coloreitatem, seu essentiam coloris: unde non bene dicitur, quôd color sit in albedine, sed quòd natura coloris sit in albedine.

II. CONCLUS. Ad Universale logicum requiritur Apprehensio confusiva.

Probatur. Ut Natura fiat universalis in prædicando, requiritur ea mentis actio, quæ correspondeat nomini, quo significatur: Atqui sola Apprehensio confusiva ex actionibus mentis correspondet nomini, quo significetur Universale in prædicando: Universale enim in prædicādo significatur per nomen concretum, ut patet in his propositionibus: Petrus est homo, Paulus est homo, &c. Concretum autem significat distinctè formam, & subjecta confusè: Ergo ut Natura fiat universalis in prædicando, requiritur Apprehensio confusiva.

III. CONCLUS. Ad Universale in prædicando non requiritur Comparatio.

Probàtur, Universale in prædicando expressum nomine concreto, prorsus aptum est, ut vocaliter prædicetur, nec alia opus est actione: Ergo etiam conceptum apprehensione confusivâ quæ nomini concreto respondet, prorsus aptum est ut mentaliter prædicetur, quia ita se habet cognitio confusiva multorum singularium ad proposionē mentalem, ac vox concreta ad vocalem.

Objicies. Intellectus non potest prædicare naturam de inferioribus; nisi eam compararit cum inferioribus, examinaritque utrum illis cōveniát, nec-ne: Ergo ad Universale in prædicando requiritur comparatio.

Distinguo consequens. Ad Universale in prædicando requiritur comparatio, ut actu prædicetur, concedo: ut sit prædicabile, nego: Fateor itaque intellectum non posse prædicare naturā de inferioribus, nisi prius eam cū illis compararit: concedo tamen naturam ex se prædicabilem esse ante illam comparationem: sicut licet oculus

non

non sit aptus ad videndum sine conversione ad colores; colores tamen ex se sunt visibiles ante illam conversionem.

COROLLARIA.

Ex hoc Articulo multa sequuntur. Primum est Universale in essendo materialiter sumptum esse naturam; formaliter verò esse unitatem, quam per abstractionem sortitur in se natura concepta.

Secundum est; Universalitatem metaphysicam esse intriinsecam naturæ, non quidem à parte rei existenti, sed per mentem conceptæ: quia sic concepta, est indivisa in se, cum nulla principia dividentia includat.

Tertium est, Universalitatem metaphysicam non esse ens rationis: sicut enim Deus per mentem præcisus à justitia, non est ens rationis: ita nec natura præcisa à suis singularitatibus: Abstrahentium enim non est mendacium.

Quartum est, Universale logicum materialiter sumptum esse singularia similia: formaliter verò esse conceptum confusum, quo ita promiscuè illa singularia concipiuntur, ut videatur unum quid concipi.

Quintum est, Universalitatem in prædicando esse extrinsecam Uiversali materiali: nam universale in prædicando naturaliter sumptum, sunt ipsa singularia; ejus autem Universalitas, est unitas conceptionis confusæ, vel potius confundentis illa singularia similia; conceptio autem illa extrinseca est singularibus, sicut cognitio omnis suo objecto.

Sextum est, Universalitem logicam non esse ens rationis, quia est denominatio extrinseca petita à conceptu confuso: at denominationes externæ non sunt entia rationis, ut patet in denominatione visi, intellecti, &c.

ARTICULUS QUARTUS,

De causa finali Universalis

Finis Porphyrij conscribentis hanc Isagogem fuit facilior intelli-

intelligelligentia Categoriarum Aristotelis. Cum enim Categoria sit series Generum, Specierum & Individuorū, necesse est intelligere Universalia, antequam Categoriæ comprehendantur, ut innuit ipse Porphyrius statim initio huius operis.

Finis hujus tractatus seorsim considerati, est Scientia; cum enim de singularibus non detur scientia (ut ait Aristoteles 2. de anima 5. & probavimus cap. 1. hujus disputationis) cognosci debent Universalia à Philosophis.

Finis verò Logici hunc tractatum explicantis, est facilior confectio orationum logicarum; nam ad confectionem definitionum divisionum, argumentationum, & methodorum, cognoscenda sunt quinque Universalia, ut monet ipse Porphyrius in præfatione. Et certè Definitio explicat speciem per genus & differentiam, vel proprietatem, vel accidentium congeriem: Divisio partitur genus in species per differentias, aut proprietates: Argumentationes proprietates demonstrat de speciebus & generibus: Methodus procedit à genere ad species, & hinc est quod in scholis Universalia Porphyria præmittantur omnibus operib9 logicis Aristotelis.

CAPVT TERTIVM,

De Proprietatibus Universalium.

PRoprietates Universalium septem vulgò recensentur: scilicet, Æternitas & Ubiquitas, Ingenerabilitas & Incorruptibilitas, Prioritas, Immaterialites vel materialitas, Totalitas, & Prædicabilitas, quas sequentibus quæstionibus explicabimus.

Quæres 1. an Universa sint æterna? Respondeo, Aristotelem, qui putabat mundnm esse ab æterno, putasse quoque Universalia esse æterna positivè: revera tamen talia non esse, sed dici posse æterna negativè: tum quia de Universalibus fieri possunt propositiones, quas appel-

lamus

lamus sempiternæ veritatis, cum nunquam possit esse diversitas aut distinctio inter earum subjectum & prædicatum: tum quia Universalia nullis temporum angustijs adstricta sunt, sicut adstringuntur Singularia, ut patet in naturâ huma.

Hoc posteriori sensu Universalia sunt ubique seu immēsa negativè, in quantum nulli loco addicta sunt. Hoc præclarè explicat S. Thomas, 1. part. qu. 16. art 7. ad 2. his verbis. Dicendum quod aliquid esse semper & ubiq;, potest intelligi dupliciter: Uno modo, quia habet in se unde se extendat ad omne tempus, & ad omnem locum, sicut Deo competit esse ubiquè & semper: Alio modo, quia non habet in se quo determinetur ad aliquem locū vel tempus, & per hunc modum quodlibet Universale dicitur esse ubique & semper, in quantum Universalia abstrahunt ab hic & nunc.

Quæres 2. Utrùm Universalia sunt ingenerabilia, & incorruptibilia, ut dixit Philosophus 1. Poster. 21.

Respondeo. Sicut Universalia non existunt per se, sed per singularia: ita per se nec generari nec corrumpi, sed per singularia: & proinde per se dici posse utcunque ingenerabilia & incorruptibilia.

Quæres 3. Utrum Universalia sint priorá singularib9, nec-ne.

Respondeo Universalia esse priora singularibus secundum essentiam & proprietates: singularia verò esse ipsis priora secundum existentiam, & accidentia communia. Ratio est, quia quod dat alteri, priùs est eo, cui dat secundum id quod dat: Atqui Universalia dant singularibus essentiam, & proprietates; singularia verò rependunt Universalibus existentiam, & accidentia communia: sic Humanitas v. g. dat Petro ut sit Homo, & risivus: Petrus verò dat humanitati ut existat, & sit sciens: Ergo Universalia sunt priora singularibus quoad essentiam & proproprietates: singularia verò sunt ipsis priora quoad existentiam, & accidentia communia.

Quæres

Quæres 4. Utrum Universalia, materialia sint, vel immaterialia.

Respondeo 1. Illa Universalia metaphysica, quorum omnia inferiora corporea sunt, esse corporea: Illa vero, quorũ omnia inferiora spiritalia sunt, esse spiritalia: quia quod competit omnibus inferioribus, competit superiori: illa verò, quorum aliqua inferiora corporea sunt, alia spiritalia, esse neutra, quia talia Universalia abstrahunt ab inferioribus: omnis autem Materialitas vel spiritalitas cõpetit illis ratione inferiorum. Sicut ergo animalitas ex se nec rationalis est, nec irrationalis, quia abstrahit ab homine & bruto: ita ratio substantiæ in communi v. g. ex se nec spiritalis est, nec corporea, quia abstrahit à spiritu & corpore.

Respondeo 2. Cvm Universalia logica nihil aliud sint, quam multa singularia similia, à quibus scilicet non abstrahunt (ut probatum est cap. superiori Paragrapho poster. Artic. 3.) illa Universalia logica esse materialia, quorum omnia singularia sunt materialia: sic equus, color, &c. sunt Universalia materialia: Illa verò esse spiritalia, quorum omnia singularia sunt spiritalia, unde Angelus, scientia, &c. sunt universalia spiritalia: Illa verò quorũ aliqua singularia sunt spiritalia, alia materialia, esse mixta, ut patet de substantia & accidente.

Quæres 5. Utrum Universale sit totum vel pars respectu inferiorum.

Respondeo Universale metaphysicum esse totum potentiale, quia sub se continet sua inferiora, à quibus scilicet abstrahit: Universale verò Logicum esse totum actuale, quia actu continet singularia, à quibus scilicet non abstrahit, ut probatum est cap. superiori.

Quæres 6. An Universale metaphysicum totum sit in singulis inferioribus.

Respondeo Universale metaphysicum esse totum essentialiter in singulis, quia omnes ejus gradus & perfectiones essentiales in unoquoq; inferiorum cõtinentur: sic omnes

gradus essentiales hominis & animalis continentur in Petro : non tamen in singulis esse totum entitativè, quia extra unum habet aliquid entitatis in alio. Alij respondent naturam universalem esse totam in unoquoque inferiorū, sed non totaliter, quæ responsio cum primâ coincidit.

Quæres 7. Quid & quotuplex prædicabilitas & prædicatio.

Respondeo primo, Prædicabilitatem esse aptitudinem, quam habet res, ut de aliquo dicatur; & duplicem esse: Unām singularem, quā res habet ut de unico dici possit: aliam communem, qua res habet ut de multis dici possit. Communem duplicem esse : unam cum indivisione, qualis competit naturæ divinæ : alteram cum divisione, quæ si sit univoca, propria est Universalis logici.

Respondeo secundo, Prædicationem propriè sumptā, esse affirmationem unius de alio : unde negari, non est propriè prædicari.

Prædicationes omnes universalíum vel sunt in quid, quales sunt prædicationes Generum & specierum : vel in quale, puta prædicationes Accidentium tum propriorum, tum communium: vel in quale quid, puta prædicationes differentiarum.

Item vel sunt formales, quando prædicatum est de essentia subjecti, quales sunt prædicationes trium priorum Universalium : vel identicæ tantùm, quando scilicet prædicatum non est de conceptu subjecti, quales sunt prædicationes duorum posteriorum Universalium.

Item vel sunt immediatæ, qualis est prædicatio speciei de individuis : vel mediatæ, quales sunt prædicationes generis, differentiæ, & proprietatis de individuis.

Item vel sunt necessariæ, quales sunt prædicationes quatuor priorum Universalium vel contingentes, quales sunt prædicationes quinti Universalis.

Item vel sunt directæ, quādo scilicet vel superiora prædicantur de inferioribus, vel formæ de subjectis : vel indirectæ, quæ oppositâ viâ procedunt.

Quæres

Quæres 8. Utrum Universale logicum, dum prædicatur de aliquo inferiori, suâ excidat Universalitate.

Concludo affirmativè.

PRobatur 1. Universale logicum ut sic includit confusè multa singularia similia : v. g. Homo omnes homines : Atqui Universale logicum in actuali prædicatione de aliquo inferiori non amplius includit multa singularia similia, v. g, in hac propositione, Petrus est homo, ly homo non significat multos homines, alioqui sensus esset, Petrum esse multos homines. Ergo Universale logicum in actuali prædicatione suâ excidit Universalitate.

Probatur 2. Cuilibet termino Universali præfigi potest particula, omnis : Atqui in illâ propositione v. g. Petrus est homo, ly omnis, præfigi non potest homini : falsa enim esset illa propositio, Petrus est omnis homo, ergo ly homo, in illâ propositione non est terminus universalis, proindeque Universale logicum suam amittit Universalitatē, dum de aliquo inferiori prædicatur.

Probatur 3. Non alia afferri potest ratio, cur in secunda figura ex puris affirmantibus nihil sequatur, nisi quia medium quod in illa figura bis prædicatur, in neutra præmissa sumeretur universaliter. Ergo Universale in actuali prædicatione sua excidit Universalitate.

Objicies 1. Si in hac propositione, Petrus est homo, homo non retineret suam Universalitatem, significaret solum Petrum ; Atqui hoc dici non potest, aliàs illa propositio esset nugatoria : tunc enim propositio est nugatoria, quando idem prædicatur de se ipso : Ergo, &c.

Nego minorē & probationem ejus, cujus confirmationem distinguo. Propositio est nugatoria, quando idem eodem modo conceptum prædicatur de se ipso, concedo : quando idem diverso modo conceptum prædicatur de se ipso, nego : alias omnes propositiones affirmantes essent nugatoriæ, quia in omnibus prædicatum debet esse idem realiter cum subjecto, ut docet S. Thomas 1. part. qu. 13. art. 12. supra citato.

Objicies 2. In hac propositione, Omne rationale est homo, ly homo non amittit Universalitatem: Ergo Universale in actuali prædicatione retinet Universalitatem.

Transeat antecedẽs quod falsum est: Universale enim ut sic, debet esse superius, homo verò in allata ptopositione non est superior, sed æqualis. Distinguo consequens: Ergo Universale in prædicatione retinet Universalitatem, dum prædicatur de æquali, transeat: dum dicitur de inferiori, nego. Conclusio nostra procedit de Universali, dum prædicatur de inferioribus.

CAPUT ULTIMUM,

De divisione Universalis.

QUinque hic afferuntur Universalia à Porphyrio, scilicet, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens: quæ divisio hoc capite examinanda est.

I. CONCLUS. Hæc Porphyrij divisio adæquata est.

Probatur 1. de Universali metaphysico. Tot sunt Universalia metaphysica quot sunt modi essendi in multis; Atqui quinque sunt modi essendi in multis: nam quidquid est in multis, vel est in illis essentialiter, vel accidẽtaliter: si essentialiter vel est tanquã tota essentia, & est Species: vel est tanquam pars essentiæ generalior, & est Genus: vel tanquã pars essentiæ specialior & distinctiva & est Differentia. Si sit in multis accidentaliter, vel est necessariò, & est Propriũ: vel contingenter, & est Accidens commune.

Probatur 2. de Universali logico. Tot sunt Universalia logica, qnot sunt modi prædicandi de multis: Atqui quinque sunt modi prædicandi de multis: nam quidquid prædicatur de multis, vel prædicatur in quid, vel in quale. Si prædicetur in quid, vel de multis specie differentibus, & est Genus: vel de multis solo numero differentibꝰ, & est Species: si in quale quid est Differentia; si in quale, vel in quale necessario, & est Proprium, vel in quale contingenter, & est accidens commune. Obii-

Obijcies 1. Ex Ariſtotele 1. Top. 3. ſunt tãtùm quatuor prædicabilia, ſcilicet Genus, Definitio, Proprium & Accidens, Ergo malè Porphyrius attulit quinque.

Reſpondeo Philoſophum eò loci non agere de prædicabilibus noſtris, ex eo quòd afferat definitionem, quæ tamen eſt univerſale complexum, cùm hic ſermo tantùm ſit de incomplexo. Agit ergo ibi de prædicatis propoſitionũ Philoſophicarum, & proinde non debuit afferre ſpeciem; nam ſpecies prædicatur tantùm de ſingularibus; ſcientiæ autem non deſcendunt uſque ad ſingularia.

Obijcies 2. Tot tantùm ſunt Univerſalia, quot ſunt unitates Univerſales & cõmunicabiles; Atqui duæ tantùm ſunt unitates Univerſales, ſcilicet Generica & Specifica: nam triplex tantùm eſt unitas, generica, ſpecifica & numerica: numerica autem non eſt Univerſalis, ut ſatis patet: Ergo duo tantùm ſunt Univerſalia, ſcilicet Genus & Species.

Nego majorem. Univerſale enim non conſtituitur per ſolam unitatem, ſed per aptitudinem & modum quo unitas illa poteſt eſſe in multis: unitas autem Univerſalis poteſt eſſe in multis quinque modis à nobis aſſignatis.

Obijcies 3. Tria poſteriora Univerſalia ſunt genera vel ſpecies: nam color & albedo v. g. ſunt accidentia: Atqui color genus eſt reſpectu albedinis & nigredinis: albedo veró ſpecies reſpectu hujus & illius albedinis. Idem dicendum eſt de differentia & proprio: Ergo omnia Univerſalia ſunt genera vel ſpecies: proindeque duo tantum ſunt Univerſalia.

Diſtinguo majorem. Tria poſteriora Univerſalia ſunt genera vel ſpecies, ſi comparentur cum ſuis inferioribus, concedo; ſi comparentur cum ſuis ſubjectis, nego: ſic color comparatus cum albedine & nigredine eſt genus, ſed non comparatus cum Æthiope & corvo. Eodem modo albedo eſt quidem ſpecies reſpectu hujus & illius albedinis; non autem reſpectu lactis aut ſachari.

Obijcies 4. Differentia generica & ſpecifica conſtituũt

duo Universalia, ; quia Differentia generica prædicatur de multis specie differentibus : Differentia verò specifica de multis solo numero differentibus. Idem dic de Proprio generico & specifico : & de Accidente generico & specifico. Ergo plura sunt quàm quinque universalia.

Distinguo antecedens. Differentia generica & specifica constituunt duo Universalia, reducibilia ad unicum, putâ ad Differentiam in communi, concedo : non reducibilia ad unum, nego : Sicut ergo hoc argumentum non valet, Arbor & herbæ sunt viventia specie distincta : Ergo vivens non bene dividitur in animal & plantam. Ita à pari non valet argumentum ab Adversarijs propositũ : quia sicut arbor & herba reducuntur ad plantam in communi : ita Differentia generica & specifica reducuntur ad Differentiam in communi.

Instabis. Ideo Genus & Species constituunt duo Universalia distincta, quia Genus prædicatur de multis specie differentibus : Species verò de multis solo numero differentibus : Atqui pariter Differentia generica prædicatur de multis specie differentibus, v. g. sensitivum de homine & bruto : Differentia verò specifica de multis solo numero differẽtibus, v. g. rationale de Petro, Paulo, &c. Ergo par utrobique ratio.

Distinguo majorem. Ideo Genus & Species constituũt duo Universalia, quia Genus prædicatur de multis specie differentibus ut attributum denotans tantum partem essentiæ : species verò de multis solo numero differentibus, ut attributum denotans totam essentiam, concedo : quia Genus prædicatur de multis specie differentibus, species verò de multis solo numero differẽtibus simpliciter, nego : At differentia omnis sive generica, sive specifica prædicatur eodem modo de ijs, de quibus prædicatur, scilicet ut pars essentiæ specialior respectu gradus à se cõstituti : scilicet differẽtia generica respectu generis, differentia verò specifica respectu speciei : in quo magna est disparitas.

Obiici-

Objicies 5. Tot sunt Universalia, quot sunt modi prædicandi de multis : Atqui decem sunt modi prædicandi de multis : scilicet quot sunt Categoriæ. Quidquid enim prædicatur de multis, vel prædicatur in quid, vel in quātum, vel in quale, vel in ubi, vel in quando, &c. Ergo decem sunt Universalia, sicut decem Categoriæ.

Distinguo majorem. Tot sunt Universalia, quot sunt modi prædicandi de multis, diversi secundùm formam prædicationis, concedo : diversi secundùm entitatem, aut virtualitatem, nego : Distinguo minorem. Decem sunt modi prædicandi diversi secundùm entitatem aut virtualitatem, concedo : diversi secundùm formam prædicationis, nego : nam licet decem categoriæ secundum entitatem spectatæ actualiter aut virtualiter differant : eodem tamē planè modo prædicantur de suis inferioribus, scilicet ut genera de speciebus.

II. CONCLUS. Superior divisio non est immediata. Probatur. Ea divisio non est immediata, quâ potest dari immediatior : Atqui potest dari immediatior divisio Universalis : potest enim Universale dividi in essentiale & accidentale : & postea utrumque subdividi : Essentiale quidem in Genus, Speciem, & Differentiam : Accidentale verò in Proprium & Accidens commune : Ergo superior divisio non est immediata.

III. CONCLUS. Superior divisio non est infima. Probatur. Ea divisio non est infima, cujus aliqua membra subdividi possunt: : Atqui aliqua membra superioris divisionis subdividi possunt, scilicet Differentia in genericam & specificam : Proprium in genericum & specificū, &c. Ergo superior divisio non est infima.

Ex duabus superioribus divisionibus patet divisionem Universalis facilè institui posse in plura & pauciora membra pro arbitrio dividentium.

IV. CONCLUS. Superior divisio est univoca. Probatur. Tunc divisio est univoca quando definitio divisi cōvenit eodem modo omnibus dividentibus : Atqui defini-

tio Universalis convenit eodem modo quinque Universalibus, ut patet attendenti: Ergo est univoca.

Ultima CONCLUS. Porphyriana Universalis divisio est generis in species.

Probatur. Tunc divisio est generis in species, quando dividitur aliquod univocum in plura heterogenea, de quibus prædicatur essentialiter: Atqui in superiori divisione dividitur Universale, quod est univocum (ut diximus assertione præcedenti) in plura heterogenea; quinque enim universalia differunt in ratione Universalis: & de illis quinque, Universale prædicatur essentialiter: nam Genus est essentialiter Universale, Species essentialiter est Universale: Ergo divisio est generis in species.

Obijcies 1. Si Universale esset genus, genus esset species Universalis: Atqui hoc dici non potest: quia species non potest prædicari de suo genere: Atqui species prædicaretur de suo genere: diceretur enim, Universale est Genus: Ergo Universale non est genus.

Nego minorem. Ad probationem, distinguo majorē. Species non prædicatur de genere sumpto in suppositione distributivâ, tum pro se, tum pro inferioribus, concedo: Species non prædicatur de genere, sumpto in suppositione simplici, hoc est pro se tantùm (maximè dum sermo est de secundis intentionibus,) nego: At quando dicimꝰ, Universale est Genus, ly genus non prædicatur de Universali sumpto in suppositione distributivâ pro omnibus Universalibus: non enim sensus est, omne Universale est Genus, sed ly genus prædicatur tantū de Universali sumpto in suppositione simplici, hoc est, pro se ipso. Sic apud Grammaticos, vox dividitur in nomen, verbum, &c. & tamen nomen prædicatur de voce hoc modo, vox est nomen, non quidē de voce distributivè, sed tantum simpliciter sumptâ.

Obijcies 2. Una species non potest prædicari de altera: Atqui si Universale esset genus, una species prædicaretur de alterâ: nam species prædicarētur de cæteris universa-

verſalibus hoc modo, Genus eſt ſpecies univetſalis, diff-rentia eſt ſpecies universalis, &c. Ergo univerſale non eſt genus.

Diſtinguo eodem modo majorem. Una ſpecies non prædicatur de alterâ ſumptâ diſtributivè, concedo: ſumptã ſimpliciter, (maximè ſi agatur de ſecuudis intentionibus, hoc eſt de prædicatis quibuſdam logicalibus aut grammaticalibus,) nego: Sic in ſuperiore exemplo nomen & verbum ſunt ſpecies vocis, & tamen ly Nomen, prædicatur de verbo, non quidem diſtributivè, ſed ſimpliciter ſumpto hoc modo, Verbum eſt nomen. Ita à pari ſpecies prædicari poteſt de cæteris Univerſalibus ſimpliciter ſumptis.

Obijcies 3. Omne Genus debet habere ſub ſe individua, de quibus prædicetur: Atqui Univerſale non habet individua de quibus prædicetur: Ergo non eſt genus.

Nego minorẽ. Univerſalitas enim prædicatur de hac & illa genereitate, v.g. de genereitate animalis, degenereitate arboris, &c. quæ ſunt Univerſalitates numericæ.

Inſtabis. Genereitas animalis eſt univerſalis: Ergo nõ eſt individua.

Diſtinguo antecedens. Genereitas animalis eſt univerſalis, ut quo, concedo: ut qnod, nego: hoc eſt genereitas animalis eſt quidem id, quo animal eſt univerſale, ſed ipſa non eſt univerſalis, quia non poteſt prædicari de multis.

Obijcies ultimò. Si Univerſale eſſet genus, daretur aliquod genus ſuperius quolibet genere categorico, ſicque daretur genus ſuperius ſupremo. Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem. Daretur aliquod genus quolibet genere ſuperius, ſecundò intentionaliter, concedo primo intentionaliter nego: Nihil autem abſurdi eſt mentem fingere aliquod accidens ſecundæ intentionis, quod de quolibet genere categorico prædicetur: Nam in ſecundis intentionibus dari poteſt proceſſus in infinitum ſyncategorematicè.

 DISPU-

DISPUTATIO POSTERIOR;

De singulis speciebus Universalis.

QUinque Universalis species quinque sectionibus explicabimus.

SECTIO PRIMA.

De Genere.

CAPUT PRIMUM;

De nomine, notione, & existentia Generis.

POrphyrius cap. de Genere, & Aristoteles 5. Metaph. 28. varia Generis significata prius recẽsent, quàm Genus prout universale est, explicent: nec immeritò: omne enim ambiguum prius est dividendum quàm definiẽdum.

Tres itaque generis acceptiones refert Porphyrius.

1. Dicit Genus sumi pro familiâ multorum, qui ab eodem sumunt originem, ut cum dicitur Genus Heraclidarum, Genus Cecropidarũ, eò quòd Heraclidæ ab Hercule, & Cecropidæ à Cecrope oriantur.

2. Pro principio activo generationis unius cujusque: quomodo dicimus Pindarum esse genere Thebanum, Platonem esse genere Atheniensem: etenim patria principiũ est generationis, sicut & Pater (inquit Porphyrius.)

3. Denique pro principio veluti materiali multorum, & maximè pro eo, cui multæ species subjiciuntur immediatè: & hoc forsan propter aliquam analogiam ad priores significatus: nam multitudo specierum alicujus generis est veluti familia multarum rerum; quæ ab eodem, scilicet à genere, ortum quodam modo ducunt: Et Genus, principium quoddam est earum, quæ sub ipso sunt specierum: addit idem Author. De Genere hoc tertio modo hîc agitur.

Notio generis hæc est: Omne substantivum prædicabile

bile de multis naturâ discrepantibus est Genus logicum, ut animal, color, &c. Illius vero abstractum, ut animalitas. coloreitas, est genus metaphysicum.

Dari genera patet, quia dantur substantiva de multis specie differentibus prædicabilia, ut avis, piscis, color, scientia.

CAPUT SECVNDUM.

De definitione Generis.

DE causis singulorum Universalium Philosophandum est per proportionem ad ea, quæ superiori Disputatione dicta sunt de causis Universalis in communi: quapropter secundis capitibus sectionum hujus disputationis afferemus tantùm definitiones singulorũ Universalium.

Genus definitur 1. à Porphyrio, Id, cui subjiciuntur species. Supple directè & immediatè: sic animal est genus, quia illi species multæ directè & proximè subjiciuntur.

Genus logicum definitur ab eodem Porphyrio, & ab Aristotele 1. Top. 4. Id quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid.

Genus metaphysicum definiri solet, Universale quod potest esse in multis specie differentibus, ut pars essentiæ respondens materiæ. Ut duas ultimas particulas intelligas.

Nota quòd sicut in toto physico, hoc est in corpore naturali duæ sunt partes physicæ, scilicet materia & forma: quarum materia de se indifferens est ad plura corpora naturalia, puta ad hominem, cadaver, vermes, cineres, &c. forma verò ita determinata est ad certam speciem corporis naturalis, ut nequidem divinitùs cõponere possit aliam: ut patet in animâ rationali: sic in toto metaphysico, hoc est in specie, duæ sunt partes metaphysicæ, scilicet Genus & Differentia; ex quibus Genus de se indifferens est ad multas species, v. g. Animal ad hominem, equum,

equum, leonem, &c. Differentia verò determinata est ad certam speciem: v. g. rationale ad hominem,: & hinc est quod Peripatetici omnes post Porphyrium cap. 7. Isagoges, dicant Genus correspondere materiæ: Differentiam verò formæ. Propter quam analogiam generis cum materiâ, & differentiæ cum formâ.

Quærunt hic Logici utrùm Genus desumatur à solâ materiâ, & differentia à solâ formâ.

Respondeo negativè, 1. quia reperitur Genus in rebus spiritualibus, v. g. in Angelis, in quibus tamen nulla reperitur materia. 2. quia etiam in rebus materialibus genus non desumitur à solâ materiâ: nam in nobis v. g. solum corpus non est animal. 3. quia si Genus desumeretur à solâ materiâ, differentia veró à solâ formâ, Genus & Differentia distinguerentur realiter, sicut materia & forma, sicque Gradus metaphysici ejusdem individui distinguerētur realiter: falsum consequens: Ergo & antecedens.

Genus ergo & Differentia desumuntur à totâ entitate rei: sed diversimodè consideratâ. Genus enim sumitur ab entitate rei: prout est principium proprietatum & operationum communiorum; differentia verò ab eadem entitate: prout est principium proprietatum & operationum specialiū, v. g. Animal, (quod est genus hominis,) sumitur ab entitate hominis, prout est principium potentiarum & operationum communiorum, scilicet animalium, seu sentitivarum: Rationale verò (quod est hominis differentia) sumitur ab eâdem entitate, prout est principiū proprietatum & operationum hominis propriarum.

Sed entitas rei spectata prout est principium proprietatum & operationum communiorum, habet veluti rationem materiæ & perfectibilis respectu ejusdem entitatis spectatæ prout est principium proprietatum & operationum specialium: & ideo dici potest aliquo sensu logico, quod Genus desumatur à materia: Differentia à formâ.

Et propter istam analogia in Genus vocatur aliquādo materia metaphysica: materia verò, genus physicum. Et

diffe-

differentia vocatur forma metayhysica, seu actus metaphysicus: forma verò dicitur differentia physica seu actus physicus.

CAPUT TERTIUM.

De affectionibus Generis.

Affectiones generis & cæterorum Universalium per quæstiones trademus. Sed ut hîc aliquo ordine procedamus.

Observandum est, Genus respicere directè species & individua: indirectè verò differentias divisivas. Ratione quorum respectuū variæ hîc fiunt quæstiones de Genere.

Quæres 1. Utrum genus sit totum, vel pars respectu specierum?

Respondeo genus esse totum & partem specierum diverso sensu. Totum scilicet potentiale, & partem actualem: Totum potentiale, quatenus sub se suas continet species: partem verò actualem, quatenus simul cum differentijs easdem species constituit. Ita Philosophus 5. Metaph. cap. 25.

Quæres 2. Utrum genus multas habeat relationes ad omnes suas species?

Respondeo minimè: quia relatio non multiplicatur ad multiplicationem terminorum partialium: sic Rex non habet multas relationes ad multos subditos. Atqui unaqnæque species est tantùm terminus partialis generis: cum unica saltem possibilis non sufficiat ad faciendū genus: Ergo Genus unicam habet relationem ad omnes suas species, & propter eandem rationem quodlibet Universale unicam habet relationem ad omnia individua, de quibus prædicabile est.

Quæres 3. Utrum Genus habeat plures relationes ad species & individua?

Respondeo negativè. Quia relatio non multiplicatur pro

pro multiplicatione terminorum subordinatorum. Sic Avus unicam habet paternitatem ad filium & nepotem, quia filius & nepos sunt termini subordinati, ita ut, eò præcisè, quò avus est pater filij, sit quoque pater nepotis: Atqui species & individua sunt termini Generis subordinati, nam eò ipso, quô animal v. g. est genus hominis & bruti, est quoque Genus Petri & Bucephali. Ergo genus unicam habet relationem ad species & ad individua.

Quæres 4. Utrùm genus conservári possit in unicâ specie, & species in unico individuo;

Respondeo 1. Genus metaphysicum materialiter sumptum in unicâ specie, & speciem metaphysicam materialiter sumptam, in unico individuo conservari posse; nam etsi post ultimam mundi conflagrationem sola species humana sit futura, natura tamen sensitiva in eâ conservabitur: sicut in mundi cunis solo existente Adamo jam species humana erat.

Dices. Totum non potest conservari in unicâ parte: Atqui Universale est totum respectu inferiorum: Ergo universale non potest conservari in unico inferiori.

Distinguo majorem. Totum actuale non potest conservari in unicâ parte, concedo: totum potentiale, nego. Distinguo minorem. Universale est totum potentiale, respectu individuorum, concedo: est totum actuale, subdistinguo: si sermo sit de universali metaphysico, nego: si sermo sit de universali logico, concedo. Unde

Respondeo 2. Nec genus logicum materialiter sumptũ in unicâ specie: nec speciem logicã materialiter sumptã in unico individuo conservari posse: quia apud nos universale logicum materialiter sumptum sunt multæ singularia confusa.

Respondeo ultimo: Genus formaliter sumptum & Speciem formaliter sumptam conservari posse sine omni prorsùs individuo: quia sublatis omnibus speciebus avis, v. g. possem adhuc concipere avem; & sublatis omnibus

indivi-

individuis alaudæ, possum adhuc concipere alaudam.

Quæres 5. Quomodo genus contineat suas species & differentias.

Respondeo 1. Genus continere potestate & sub se suas species & differentias. Ita Porphyrius hîc cap. 7. Ratio est, quia omne superius continet potestate & sub se sua inferiora, eorumque differentias: Atqui Genus est superius respectu Specierum & differentiarum: Ergo eas, earumque differentias potentiâ & sub se continet.

Respondeo 2. Genus non includere actu suas species & differẽtias. Tum quia includeret opposita, ut argumẽtatur hîc Porphyr. cap. 5. & Phylosoph. 7. Metaph. cap. 9. Tum quia ubicunque foret animal v. g. ibi foret rationalitas & irrationalitas: Ubi enim est superius, ibi sunt omnia quæ actu in illo includuntur Falsum consequens: Ergo & Antecedens.

Dices. Omne totum continet actu partes: Atqui Genus est totum respectu specierũ: Ergo eas actu continet.

Distinguo majorem. Omne totum actuale continet actu partes, concedo: Totum potentiale nego. At genus est tantùm potentiale respectu specierum.

Quæres ultimò Utrùm Genus formaliter includatur in suis differentijs divisivis.

Respondeo. Quæstionem hanc utpote maximi in Philosophiâ momenti expresso Articulo agitandam esse.

ARTICULUS UNICUS.

Utrùm aliquod Genus formaliter includatur in suis differentijs divisivis?

CErtum est ex identitate Graduum metaphysicorũ probatâ contra Scotum disputatione superiori cap. 2. art. 2. Parag. 3. conclusione primâ: Genus à parte rei identificari cum omnibus differentijs divisivis: sed hic.

Quæritur utrùm couceptus objectivus generis mentaliter imbibatur in conceptibus objectivis differentiarum divisi-

divisivarum ; v. g, utrùm animalitas mentaliter includatur & contineatur in rationalitate, latrativitate, & cæteris.

CONCLUSIO. Genus non includitur formaliter in suis differentijs divisivis.

Est Phorphyrij hîc cap. 7. & Philosophi 4. Top, 1. post medium, & 6 Top. 3, post medium & 11. Metaph. 1. & Divi Thomæ 1. contra Gentes, cap. 17.

Probatur 1. Non debet Genus bis poni in definitione Speciei, cum in specie bis non reperiatur: Atqui si Genus includeretur formaliter in suis differentijs divisivis bis poneretur in definitione speciei, scilicet semel ratione sui, & semel ratione differentiæ, in quâ imbiberetur: v. g. animal bis poneretur in hac definitione, homo est animal rationale, semel explicitè ratione sui, & iterum implicitè ratione rationalis, in quo imbiberetur: Ergo genus non includitur formaliter in differentijs. Hoc ratiociniũ colligitur ex Philosopho 6. Top. cap. 3.

Probatur 2. Si Genus includeretur in differentijs, jam differentia esset species, ut argumentatur Philosophus 4. Top. 1. & non esset differentia, quæ absurda sunt. Differentia esset species, quia quod constat formaliter genere & differentiâ, species est: Atqui differentia constaret formaliter genere & differentiâ: Ergo esset species. Differẽtia non esset differentia, quia quod est principium conveniendi non est differentia: Atqui differentia esset principium conveniendi: nàm per eam una species conveniret cum aliâ, v. g. homo conveniret cum bruto per rationalitatem: convenit enim cum bruto per animalitatem, animalitas autem includeretur in rationalitate. Ergo differentia jam non esset differentia.

Probatur 3. Omne Genus debet esse univocum: Atqui si includeretur in differentijs non esset univocum, nã si animal, v. g. in suo conceptu affectaret rationalitatem aut irrationalitatem, animal non foret univocum respectu hominis & bruti: quia non foret idem formaliter in utroque,

que, quandoquidem animalitas hominis ita affectaret rationalitatẽ, ut ab eâ præſcindi non poſſet, animalitas verò bruti ita affectaret irrationalitatem, ut non poſſet ab eâ per mentem abſtrahi: Ergo, &c.

Confirmatur. Ideo natura generica non eſt una univocè in multis à parte rei, quia à parte rei identificatur cum differentijs planè diverſis: Ergo ſi quod genus ita identificaretur formaliter cum ſuis differentijs diviſivis, ut ne quidem ab illis mente poſſet præſcindi, non eſſet unum univocè per mentem.

Adde quod genus non foret univerſale metaphyſicum quia univerſale metaphyſicum fit (ut docuimus diſput. ſup. cap. 2. artic. 3. Parag. 1.) per abſtractionem ab inferioribus: Genus autem non poſſet abſtrahi à ſuis differentijs diviſivis, nec proinde à ſuis inferioribus.

Obijcies 1. Licet Genus includatur in ſpeciebus, non deſinit eſſe & univocum & Univerſale metaphyſicum: Ergo à pari licet includeretur in differentijs diviſivis, non deſineret eſſe & univocum & univerſale metaphyſicum.

Nego paritatem: Quia licet Genus includatur in ſpeciebus, non deſinit poſſe abſtrahi ab earum differentijs, & proinde ab ipſis: nam pars à parte abſtrahi poteſt, & conſequenter à toto: At verò ſi Genus includeretur formaliter in differentijs diviſivis, ab ijs abſtrahi non poſſet, cum differentiæ ſint conceptus ſimplices: eo ferè modo quo corpus, quod unitur animæ, ab animâ ſeparari poteſt, & conſequenter à vivente: At anima ſenſitiva quæ identificatur rationali, ab eâ avelli non poteſt.

Obijcies 2. Quod prædicatur de aliquo, includitur in illo: Atqui Genus prædicatur de differentijs diviſivis: nã vera eſt hæc propoſitio: Rationale eſt animal; Ergo Genus includitur in differentijs.

Diſtinguo majorem. Prædicatum includitur in ſuo ſubjecto, eo modo quo vera eſt propoſitio, concedo: alio modo, nego: At quando Genera prædicantur de differẽtijs diviſivis, propoſitiones ſunt tantùm veræ identicè, nõ autem formaliter & reduplicativè.

Obi-

Obijcies 3. Substantia est Genus: Atqui substantia includitur formaliter in differentijs divisivis: nam differentiæ illæ, cum non sint nihil, sunt entia: Ergo vel substãtiæ vel accidentia: non accidentia: Ergo substantiæ. Ergo aliquod Genus includitur formaliter in differentijs.

Distinguo majorem. Substantia completa est genus, concedo: substantia transcendentalis, prout communis est completæ & incompletæ, est genus, nego: Distinguo minorem. Substantia includitur formaliter in suis differentiis, si sermo sit de substantiâ transcendentali, quæ propterea non est genus, concedo: si de substantiâ completâ, nego: nam differentiæ substantiæ completæ non sunt substantiæ completæ sed incompletæ, uno verbo potius sunt substantiales, quam substantiæ. Quod dixi de substaniâ, dici quoque debet de accidente: nam differentiæ accidentis non sunt accidentia completa, sed potiùs sunt accidentales, quàm accidentia: sicuti differentiæ corporis potiùs sunt corporeæ, quàm corpora: differentiæ animalis potiùs sunt animalicæ, quàm animalia.

Obijcies ultimò. Vivens est genus: Atqui vivens includitur formaliter in suis differentijs divisivis: Ergo aliquod genus includitur formaliter in suis differentijs divisivis. Probatur minor. Differentiæ viventis divisivæ sunt vegetativum, & sensitivum: Atqui vivens includitur formaliter in illis: vivens enim definitur, Principium operandi vitaliter: Atqui vegetativum & sensitivumti sunt principia operandi vitaliter, vegetandi scilicet & sentiẽdi: Ergo vivens includitur formaliter in vegetativo & sensitivo.

Nego minorem tum argumenti, tum probationis ejus. Ad confirmationem distinguo mãjorem. Vivens definitur, principium operandi vitaliter, vivens metaphysicum & transcendens, prout commune est Deo & Angelis, & corporibus viventibus, concedo: vivens physicum & categorematicum, quod ponitur in arbote Porphyrianâ, nego: vivens enim physicum definitur, corpus animatum: at cor-

at corpus animatum non includitur formaliter in vegetatiuo & sensitivo: vegetativũ enim & sensitivum non sunt corpora animata, sed tantùm corporum animatorũ partes & differentiæ: unde objectio probat tantùm vivens metaphysicum non esse genus respectu omnium viventium tum spiritalium, tum corporeorum, quod discutiem9 in libris de animâ.

CAPVT QVARTVM,

De divisione Generis.

GEnus dividitur 1. in supremum seu generalissimũ vel summum, & subalternum seu intermedium, interjectum.

Genus supremũ definitur à Porphyrio cap. de Specie, quod ita est genus ut non sit species: supra quod nullum est aliud genus, ut in vulgari opinione substantia.

Genus subalternum illud est, quod agnoscit aliud gen9 supra se, cujus est species, ut vivens, quod licet sit genus respectu animalis & plantæ, agnoscit tamen supra se corpus cujus est species.

Aliqui addunt Genus infimum, quod nulla habet infra se genera, sed tantùm species: sed profectò genus infimũ est quoque subalternum, cum subalterni generis definitionem participet.

Dividitur 2. in remotum & proximum. Genus remotum illud est, inter quod & speciem mediat aliud genus, sic vivens est genus remotum hominis: quia inter vivens & hominem intercipitur Animal.

Genus proximum illud est, inter quod & speciem nullum aliud genus intercipitur, ut animal respectu hominis: quia inter animal & hominem nullum est genus-

ARBOR PORPHYRII.

	Subſtantia.	
Corporea.		Incorporea-
	Corpus.	
Animatum.	Vivens.	Inanimatum.
Senſitivum.	Animal.	Inſenſitivum.
Rationale.	Homo.	Irrationale.
	Petrus Paulus.	

SECTIO SECUNDA,
De Specie.

CAPUT PRIMUM,
De nomine, notione & existentiâ Speciei.

SPecies ex Porphyrio cap. de Specie ſumitur duobus modis. 1. pro pulchritudine: hinc illud Priami, Species digna eſt imperio: unde etiam Chriſtus Pſal. 44. dicitur ſpecioſus formâ præ filijs hominum. 2. pro eo quod ſubjicitur generi directe & immediatè: nec immeritò, quia ſpecies ſic ſumpta eſt tota pulchritudo eſſentialis uniuſcujuſque rei, cum ſit tota illius natura. Hinc etiam ſpecies vocatur forma.

Notio ſpeciei hæc eſt: Omne ſubſtantivum quod alicui generi directè & immediatè ſupponitur, ſpecies eſt: ſic homo ſpecies eſt animalis, & animal viventis.

Sed ſpecies ſic ſumpta non conſtituit ſecundum Univerſale: quippe ſpecies illo modo ſumpta complectitur ſpecies ſubalternas & infimas: at ſpecies ſubalternæ vera ſunt genera, ut patet ex eo qnod prædicari poſſint de pluribus ſpecie differentibus in quid. Solæ ergo ſpecies infimæ ſpectant ad ſecundum Univerſale.

Notio ſpeciei univerſalis logicæ hæc eſt: Omne ſubſtãtivum prædicabile de pluribus ſimillimas naturas habentibus, eſt ſpecies logica: ut homo, candor, &c. abſtractũ verò illius eſt ſpecies metaphyſica, ut humanitas, candoreitas, &c.

Dari ejuſmodi ſpecies, patet ex ſuperioribus exemplis, & magis patebit ultimò cap. hujus ſectionis.

CAPVT SECVNDVM,
De Definitionibus Speciei.

SPecies hìc definitur à Porphyrio tribus modis. 1. id quod

quod subjicitur generi: supple directè & immediatè. Dixi 1. directè, ut distinguerem speciem à differentijs, quæ generi collateraliter adjacent. Dixi 2. immediatè: ut distinguerem speciem ab individuis: quæ nonnisi mediante specie subjacent generi.

Definitur 2. id de quo genus prædicatur in quid, subaudi etiam directè & immediatè.

Dices. Circulus est vitiosus: Atqui in superioribus definitionibus committitur circulus: nam hîc species definitur per genus, cum antea genus definitum sit per speciem: Ergo superiores definitiones sunt vitiosæ.

Distinguo majorem. Circulus est vitiosus, in absolutis, concedo: in relativis nego: At genus & species sunt correlata, & proinde debent per se invicem definiri ex Porphyrio cap. de Specie non longè ab initio.

Superiores definitiones conveniunt speciei ut species est, non autem ut universalis est, quia species non est universalis, nisi per ordinem ad sua inferiora, ut mox dicetur. At illæ definitiones conveniunt speciei per ordinem ad superius, puta ad genus.

Species itaque ut universalis logicè, definitur à Porphyrio hîc: Universale, quod potest prædicari de pluribꝰ solo numero differentibus in quid.

Species autem metaphysicè definiri potest: Universale, quod potest esse in multis solo numero differentibus, tanquam tota essentia.

CAPVT TERTIVM,

De proprietatibus Speciei.

Quæres 1. an Species superet Genus, vel contra?

Respondeo Genus superare speciem extensivè, quia latius patet: sic animal latius patet homine: speciem verò superare genus intensivè: quia plures includit perfectiones; homo enim præter animal habet perfectiones hominis

minis proprias. Ita ferè Porphyrius cap. 8. his verbis, Genera quidem suas species superant, ex eo quod plures cõtineant: species verò superant genera per proprias differentias.

Quæres 2. utrùm species unica relatione referatur ad genus, & ad individuum?

Respondeo minimè: quia species respectu generis habet relationẽ inferioris & subijcibis, respectu verò individuorũ relationẽ superioris & prædicabilis: at illæ relationes differunt, ut satis patet.

Dices, Porphyrius cap. de Specie, docet speciem infimam unicam habere relationem ad genus & individua.

Distinguo. Unicam secundùm nomen, quia scilicet utroque respectu vocatur species, concedo: unicam secundùm rem, nego: Nam statim subdit Porphyrius speciem infimam referri ad individua ut continentem, ad genus verò ut contentam: ad relatio continentis & contenti differunt, ut patet.

Quæres 3. Quænam relatio constituat speciem in esse speciei?

Respondeo speciem constitui in esse speciei per relationem ad genus, non autem per relationem ad individua: quia constitutivum debet convenire omni constituto: Atqui relatio immediata ad genus convenit omni speciei: relatio verò immediata ad individua non cõvenit omni speciei, cum non conveniat speciei subalternæ: Ergo sola prior relatio constituit speciem in esse speciei.

Dices. Relatio speciei ad individua, v. g. hominis ad Petrum, Paulum, &c. facit ut species sit species.

Distinguo. Facit ut species sit species talis, scilicet & infima & prædicabilis, concedo: facit ut sit species simpliciter, nego: Nam talis est per ordinem ad genus.

Quæres 4. Utrùm species quatenus subijcibilis, & proinde quatenus species, sit universalis?

Respondeo negative. 1. quia universale ut sic debet immediatè respicere multa: Atqui species ut subijcibilis

non

non respicit immediatè multa, sed unicum, puta genus, cui subijcitur: Ergo species ut subijcibilis non est universalis. 2. Universale debet esse prædicabile: Atqui species subijcibilis non est prædicabilis: nam subijcibile & prædicabile opponuntur: Ergo species ut subijcibilis, non est universalis.

Dices 1. Genus omni respectu, quo est genus, est universale: Ergo à pari species quocunque respectu species est, est universalis.

Nego paritatem, quia Genus ut genus respicit tantùm inferiora: at species ut species, etiam respicit superius.

Dices 2. Species ut subijcibilis non est singularis: Ergo est universalis.

Nego consequentiam: quia sicut animal ut sic, nec rationale est, nec irrationale, ita species ut sic, nec singularis est nec universalis: Non est singularis, quia nullam includit (saltem distinctè) singularitatem: non est etiam universalis, quia ut sic non respicit multa.

Quæres 5. Cur sola species dicatur propriè definiri- 7. Metaph. 11.

Respondeo rationem esse, quia accurata definitio constat genere & differentiâ, sola autem species habet genus & differentiam.

Quæres 6. Quare species comparētur numeris? 8. Metaph. 3.

Respondeo rationem esse, quia sicut numeris nulla unitas addi aut detrahi potest, quin mutetur species numeri, ita speciebus nullus gradus metaphysicus addi aut detrahi potest, quin mutetur essentia: unde etiam essentiæ non suscipiunt magis & minus, sicut nec numeri: ex 8. Metaph. 3. & ob hanc rem essentiæ dicūtur indivisibiles.

Quæres 7. Utrùm una species includi possit in aliâ?

Responde 1. unam speciem materialiter sumptam includi posse in aliâ: sic materia circuli potest includi in triangulo: & materia binarij in ternario.

Respondeo 2. unam speciem formaliter sumptam includi

eludi non poſſe in aliâ: ſic circulus ut circulus non poteſt eſſe pars trianguli, ſicut nec brutum pars hominis: & ratio à priori eſt, quia differentiæ ſpecierum diverſarum ſunt oppoſitæ.

Quæres ultimò, utrùm ex duabus ſpeciebus poſſit cõponi tertia?

Reſpondeo ex duabus ſpeciebus materialiter ſumptis poſſe componi tertiam: ſic ex materiâ binarij & ternarij poteſt fieri quinarius, ſic ex duobus elementis aſymbolis reſultat aliquando tertium utrique ſymbolum ſecundùm omnes Peripateticos: ex duabus autem ſpeciebus formaliter ſumptis non poſſe componi tertiam, ut docet Porphyrius hîc cap. cap. 11. & hoc propter differentiarum incõpatibilitatem ex eodem cap. 13. unde nulla entia rationis cenſentur magis chymerica, quam ea, quæ cuduntur à mente ex unione & permixtione eſſentiarum.

Dices 1. Er equo & aſinâ fit mulus: Ergo ex duabus ſpeciebus poteſt fieri tertia.

Reſpondeo, mulum non fieri ex equo & aſinâ: ſed ab equo & aſinâ, quæ duo toto cœlo differunt.

Dices 2. Ex pyro & malo, fit pyromalus: Ergo ex duabus ſpeciebus fit tertia.

Diſtinguo antecedens. Ex pyro & malo fit pyromalus per ſolam continuationem, vel forſan ſolam contiguitatẽ materiæ, concedo: per mixtionem formarum & eſſentiarum, nego: Non enim pyrus & malus magis componunt tertiam ſpeciem: quam fagus, & hedera, quæ ei adhæreſcit.

CAPVT QVARTVM.

De diviſione Speciei.

Species dividitur in ſubalternam, & infimam.

Species ſubalterna eſt ea, quæ ita eſt ſpecies reſpectu ſuperioris, ut ſit genus reſpectu inferiorum: ſic animal eſt ſpecies ſubalterna: quia ita eſt ſpecies reſpectu viventis,

ut sit genus respectu hominis & bruti: unde species subalterna, & genus subalternum non differunt gradu, sed respectu: quia idem gradus, qui est genus subalternum, est quoque species subalterna: sed genus subalternum respectu inferiorum, species verò subalterna respectu superioris. Ex Porphyrio cap. de Specie.

Hæc species dicitur etiam subijcibilis, non quòd omnis species non sit subijcibilis: sed quòd satis communiter nomen generis imperfectiori speciei tribuatur, sic nomen Angeli, quod est nomen generis, accommodatur infimo ordini Angelorum.

Species infima, seu (ut loquitur Porphyrius) ultima, & specialissima, est ea, quæ ita species est, ut non sit genus, seu post quam nulla est species inferior: seu quæ dividi non potest in alias species: seu quæ prædicatur in quid de multis solo numero diversis, ut binarius. Hæc species dicitur etiam prædicabilis: quia est etiam species dum prædicatur. Hæc sola species constituit hoc secundũ prædicabile.

De Specie infimá quæritur utrùm detur.

I. CONCLUS. Datur species infima.

Est mens Porphyrij, qui cap. de genere dicit hominem prædicari de multis solo numero differentibus: & cap. de specie docet hominem & albedinem esse species specialissimas.

Probatur 1. Circulus & Binarius sunt species infimæ, quia prædicabiles sunt de multis solo numero differentibus: Ergo, &c.

Probatur 2. Datur aliquis gradus, qui immediatè est prædicabilis de individuis: v.g. de Petro, Paulo, &c. Atqui ille gradus est species infima, ex Porphyrio hîc, cum prædicabilis sit essentialiter de multis solo numero differentibus: Ergo datur species infima. Probatur maj. Nisi detur aliquis gradus immediatè prædicabilis de individuis, datur processus in infinitum in gradibus metaphysicis Petri v.g. falsum consequens ex 1. Poster. 19. alias

Petrus

Petrus esset infinitè perfectus: cum enim unusquisque gradus metaphysicus aliquam dicat perfectionem, si infiniti gradus metaphysici forent in Petro, Petrus haberet infinitas perfectiones. Ergo & antecedens.

Probatur 3. Dantur individua in naturis simillima, ut patet in hominibus, albedinibus, circulis, &c. Ergo datur aliqua species seu natura fundamentaliter una, quæ sit immediatè in illis: Ergo datur species infima.

Jam verò posito quod dentur species infimæ: quæritur utrùm illi gradus, qui vulgò habentur pro speciebus infimis, ita sint species infimæ, ut non possint evadere genera?

Quæstio primâ fronte ridicula videretur, nisi mens authorum attenderetur: nam

Certum est speciem infimam, quâ infima est, non posse evadere genus: alioqui Deus aliquid essentiale adderet naturis specificis,, quod implicat: cum essentiæ specificæ sint immutabiles. Sed

Quæritur utrùm illi gradus,, qui habentur vulgò pro speciebus infimis, revera tales sint, v. g. utrùm canis ut sic, sit species infima: & sic de cæteris.

II. CONCLUS. Multi gradus, qui habentur pro speciebus infimis revera tales sunt.

Probatur 1. inductione multarum specierum accidentalium quæ non possunt evadere genera: concipi enim non potest Deum facere posse plures species circulorum, & binariorum v. g.

Probatur 2. ex illis gradibus substantialibus, qui sunt immediatè in individuis, qui scilicet formaliter ut sic nûquam possunt esse genera.

III. CONCLUS. Omnes gradus qvi vulgò habentur pro speciebus infimis, tales non sunt.

Probatur. Homo in communi habetur vulgò pro specie infimâ: Atqui homo in communi non est species infima: sed est verum Genus: Ergo omnes gradus, &c. Probatur antecedens. Illud est genus, quod est unum aptum

ptum essendi in multis specie differentibus: Atqui homo in communi talis est: Ergo est genus. Probatur minor. Possibiles sunt homines à nobis specie differentes; v.g. homines volatiles, natatiles, &c. Ergo homo potest esse in multis specie differentibus. Probatur antecedens. Tum quia tam Deus potest facere plures species animalis rationalis convenientes in eo quod sint animalia rationalia, quàm plures species animalis irrationalis convenientes in eo quod sint animalia irrationalia: Tum quia tam Deus potest producere plures species creaturæ intelligentis dependenter à sensibus, quàm produxit plures species creaturæ intelligentis independenter à sensibus.

Confirmatur. Si nullam aliam vidissemus speciē bruti, quàm equum, putaremus brutum esse speciem infimam, nec tamen proinde esset: Ergo à pari etsi videatur nobis homo nunc esse species infima, ex eo quod non videamus plures ejus species, non sequitur tamen esse.

Imò multi ex gradibus, qui vulgò habentur pro speciebus infimis, de facto habent multas species sub se: nam pomus v.g. vulgo habetur pro specie infimâ: non crediderim tamen arbores omnes pomiferas esse ejusdem speciei, cum fructus producant diversos. Nec crediderim canes omnes v.g. Molossos, Cressas, Spartanos, Vertagos, &c. ejusdem esse naturæ specificæ, cum diversas habeant inclinationes & figuras: à quibus duobus solis omnium animalium naturas æstimamus.

Obijcies 1. Species infima in quibusdam revera est species infima. Ergo in omnibus.

Nego paritatem. Ratio disparitatis est quòd non possit concipi quid Deus addat circulo aut binario v.g. ut faciat plures circulos aut binarios specie differentes: at verò concipi facile possit Deum addere aliquid essentiale homini in communi v.g. pennas, vel pinnas radicales.

Obijcies 2. Essentiæ sunt immutabiles, ergo species infima non potest evadere genus.

Distinguo consequens. Species infima non potest evadere

dere

dere genus, qua parte est species infima, concedo, alia parte, nego. Unde quia homo est species infima respectu nostri, non potest esse aliter respectu nostri; sed potest respectu aliorum hominum possibilium: sicut enim animal quod est genus infimum respectu nostri, non potest quin sit genus infimum respectu nostri: potest tamen nō esse genus infimum respectu aliorum animalium, puta Psyttachi, Sulmonis, &c. ita homo qui est species infima respectu nostri, non potest aliter se habere respectu nostri, alias mutaretur essentia nostra, quod est impossibile, potest tamen non esse species infima respectu aliorum hominum possibilium.

Obijcies 3. Non magis species infima potest evadere genus, quam individuum possit evadere species. Atqui individuum non potest evadere species. Ergo nec species infima genus. Probatur major. Tam differt species infima à genere, quam individuum à specie. Ergo par utrobique ratio.

Nego majorem, ad cujus probationem distinguo antecedens. Tam distat species à genere quam individuum à specie, secundum gradum concedo, secundum Universalitatem nego. Nam species convenit cum genere in eo quod sit Universalis, at vero individuū in hoc plane opponitur speciei, cum sit essentialiter incommunicabile.

Obijcies 4. Si species infima posset evadere genus, dari posset processus in infinitum; singulæ enim species possibiles possent adhuc evadere genera. Absurdum consequens, ergo & antecedens.

Distinguo majorem. Posset dari processus in infinitū syncategorematicè, hoc est Deus posset producere species perfectiores, & perfectiores in infinitum, concedo. Categorematice, hoc est posset tandem producere species infinitas nego. At non est absurdum Deum producere posse species perfectiores & perfectiores in infinitum Syncategorematicè; sicut absurdum non est Deum posse producere numeros majores & majores sine fine. Imo utrumque explicat inexhaustam Dei potentiam.

Objicies 5. Si darentur homines à nobis specie differentes, non posset dici quomodo ab illis differemus: Ergo ab illis non differremus.

Respondeo. Quòd nos ab illis differre possemus vel positivè, quia haberemus aliquid, quod illi non haberent v. g. decem digitos, cum pauciores radicaliter haberent: vel negativè quia nos nihil haberemus quod illi non haberent, sed illi haberent aliquid quod nos non haberemus sicut linea differt à superficie negativè, quia non habet latitudinem, quam habet superficies

Quæres quid sentiẽdum sit de Hypocentauris, & Satyris, de quibus non modo loquuntur Poetæ: sed Authores & Religionis sanctitate conspicui, & doctrinâ insignes: inter cæteros B. Hieronymus in vitâ B. Pauli Eremitæ, ubi sic habet. Conspicit (S. Antonius quærens S. Paulum per desertum) hominem equo mixtum: cui opinio Poetarũ hypocentauri vocabulum addidit ... Nec mora inter saxosam convallem haud grandem homunculum videt adũcis naribus, fronte cornibus asperata, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat ... & quisnam esset interrogatus, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & unus ex accolis Eremi, quos vario errore delusa Gentilitas Faunos, Satyros & Incubos vocans colit. Et paulò infra satyrorum existentiam authoritate sua sic comprobat Hieronymus. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moveat, sub Rege Constantino universo mundo teste defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus magnum populo spectaculũ præbuit, & postea cadaver exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est.

Respondeo quosdam putasse nullos unquam extitisse Satyros, sed Dæmones ejusmodi corpora sibi multoties formasse, ut in illis colerentur: quosdam autem putasse veros extitisse Satyros, sed eos fuisse belluas: unde S. Hieronymus de Hypocentauro à S. Antonio viso sic scribit.

bit. Verum hoc utrùm diabolus ad Terrendum simulaverit, aut, ut solet eremus monstruosorum animaliũ ferax, illam quoque gignat bestiam, incertum habemus.

Ego quanquam non inficias eam Cacodæmonem portentosa illa corpora aliquando assumpsisse: nihilominus arbitror veros etiam extitisse Satyros propter luculentam S. Hieronymi probationem, & credo eos fuisse veros homines ex infami forsan ferinorum hominum cum belluis permixtione ortos, accidentaliter tantùm à nobis discrepantes, quia habebant caput humanum: Ecclesia autem solet monstra humana baptizare, dummodò habeant caput humanum.

APPENDIX,
De Individuo.

INdividuum est correlatum speciei: & proinde, quia ex Aristotele cap. de Relatis, Relata sunt simul cognitione, post Speciei explicationem agendum est de Individuo: ut fecit etiam Porphyrius cap. de Specie.

CAPUT PRIMUM.
De nomine, notione & existentiâ Individui.

INdividuum sic dicitur quia dividi non potest in plura talia, quale ipsum est, unde etiam vocatur Atomum: dicitur etiam singulare, & unum numero.

Confundi non debet Individuum cum Supposito, quia Suppositum reperitur in solis substantiis, individua verò etiam in accidentibus. Adde quòd Christus sit individuũ humanum, non autem Suppositum humanum.

Singulare opponitur universali. Unde cùm Universale concipiatur ut quid communicabile multis divisim: Singulare concipi debet ut quid incommunicabile multis divisim.

Dari individua patet, quia universalia non existunt nisi in singularibus: Ergo sublatis singularibus nihil prorsus

sus existeret : Hinc Aristoteles cap. de substantiâ dicit, substantijs primis non existentibus, impossibile esse quidquam aliud existere, quoniam cætera aut de ijs dicuntur, aut in ejs insunt 256.

CAPVT SECVNDVM
De definitione Individui.

INdividuum definitur à Porphyrio sub finem capitis de Specie, Id quod constat ijs accidentibus, quorum integra collectio in alio reperiri nequit. Id est, quorum licet unumquodque seorsim possit alteri cōpetere, non possunt tamen omnia simul. Hæc autem accidentia solent hoc versu designari.

Forma figura locus stirps, nomen. patria, Tempus.

Per Formam, intelligitur qualitas quælibet præter figuram : per figuram, dispositio partium & membrorum: per Locum, id in quo quid est : per Stirpem, prosapiam: per Nomen appellatio : per Patriam, ex qua quid est : per Tempus, ætas.

Sed hæc descriptio convenit tantum individuis substantiæ materialis.

Quare melius definitur Individuum ab Aristotele 7. de Interpr. Id quod non est aptum prædicari de pluribus. Et à Porphyrio loco citato. Id quod de uno tantum dicitur.

Dices. Nullum singulare potest definiri. Ergo male definitur Individuum.

Respondet S. Thomas 1. p. qu. 29. art. 1. ad 1. Quod licet hoc singulare vel illud definiri non possit, tamen id, quod pertinet ad communem rationem singularitatis, definiri potest. Et sic Philosophus definivit substantiam primam.

CAPUT

CAPUT TERTIUM,

De proprietatibus Individui.

CUm singulare Universali opponatur, philosophandum est de proprietatibus Singularis per oppositionem ad proprietates Universalis quare.

Si Universalia sint æterna & ubique: Individua sunt tantùm hic & nunc.

Si Universalia sint ingenerabilia & incorruptibilia per se: individua fieri & destrui per se possunt.

Si Universalia sint aliquomodo priora singularibus: individua sunt eodem sensu posteriora Universalibus: & vicissim.

Si Universalia abstrahant aliquando à materialitate & immaterialitate: nunquam abstrahunt individua.

Si Universalia sint tota potentialia respectu Singularium: individua sunt partes substantivæ respectu Universalium.

Denique si Universalia sint prædicabilia de inferioribus: individua sunt merè subijcibilia.

Quæritur tamen nunquid individuum sit prædicabile & universale? Cui quæstioni ut fiat satis.

Supponendum est individuum sumi posse duplici modo, scilicet materialiter, seu primò intentionaliter pro aliquo individuo reali v. g. pro Aristotele, Platone, &c. Et formaliter, seu secundò intentionaliter, ac logicè pro secunda intentione rebus singularibus mentaliter advenien- te Quo posito.

Respondeo 1. Individuum reale non esse universale: quia de uno tantum dicitur ut patet de Christo.

Dices. Petrus dicitur de multis Petris: Ergo individuum reale dicitur de multis.

Distinguo. Secundùm nomen, concedo: secundùm rem, nego: Petrus enim est vox æquivoca respectu Petrorum, quia significat homines diversas prorsus petreita-

tes seu differentias numericas habentes: nam ut rectè ait S. Thomas 1. part. qu. 13. art. 9. Singulare ex hoc ipso quod est singulare, est divisum ab omnibus aliis: unde omne nomen impositum ad significandum aliquod singulare, est incommunicabile & re & ratione: non enim potest in apprehensionem cadere pluralitas hujus individui.

Respondeo 2. Individuum logicum esse universale: quia dicitur de multis univocè & divisim, hoc modo: Petrus est individuum: Petrus & Paulus sunt individua.

Dices. Ex definitione individuum non dicitur de pluribus, sed de uno tantùm: Ergo non est universale.

Distinguo. Si sermo sit de individuo reali, v. g. de Christo, concedo: si de individuo logico, & de individuo in communi, nego.

Petes, ad quod universale reducendum sit individuum logicum?

Respondeo. Reduci debere ad accidens commune: quia secundæ intentiones, contingenter tantùm rebus cõpetunt, ut pote provenientes ex operationibus intellectus.

CAPUT QUARTUM,

De divisione Individui.

INdividuum dividitur in determinatum, & vagum.

Individuum determinatum illud est, quod unicam rem distinctè significat, ut Aristoteles, Alexandri præceptor, Peripateticorum princeps, ille homo, Philosophus.

Individuum vagum illud est, quod cõfusè aliquod singulare significat, ut aliquis homo.

Quæritur utrùm individuum vagum sit universale.

Respondeo negativè, quia omni universali præfigi possunt particulæ: omnis & nullus: Atqui individuo vago præfigi non possunt illæ particulæ: ridiculum enim esset dicere omnis aliquis homo est animal, nullus aliquis homo est lapis; Ergo, &c. 2. Subjectum universale in materiâ necessa-

necessariâ, facit propositionem universalem, ut patet in hac propositione, homo est animal: Atqui individuum vagum, dum est subjectum propositionis in materiâ necessariâ, non facit propositionem universalem, ut patet in hac propositione aliquis homo est animal. Ergo individuum vagum non est universale.

Dices. Illud est universale, quod prædicatur de multis: Atqui individuum vagum prædicatur de multis ut patet in sequentibus propositionibus. Petrus est aliquis homo, Paulus est aliquis homo, Ergo individuum vagũ esse universale.

Distinguo majorem, Illud est universale, quod prædicatur de multis, si prædicetur de multis secundùm aliquã rationem communem, concedo: si prædicetur secundùm nomen tantùm, nego. At vox aliquis prædicatur tantùm secundùm communione vocis: non autem secundùm aliquam communem rationem significatam.

SECTIO TERTIA,

De Differentiâ

CAPUT PRIMUM,

De nomine, notione, & existentiâ Differentiæ.

Differentia secũdùm ethymologiam est discrimen quoddam. Et hoc modo sumpta triplex est apud Porphyrium hic, scilicet:

Communis, quæ repetitur ab accidẽte separabili: quomodo sanus differt ab ægro.

Propria, quæ repetitur ab accidente inseparabili: quomodo Æthyops differt ab Europeo 8.

Maxime propria, quæ repetitur ab essentiâ; quomodo homo differt à bruto.

Omnis differẽtia (inquit Porphyrius hic) facit dissimile: sed differentia communis & propria faciunt tantùm

alternm : Maxime propria verò facit aliud, hoc est facit aliquid diversæ naturæ : unde sola differentia maxime propria constituit tertium universale, quia tertium universale debet esse pars naturæ specialior, ut diximus.

Notio Differentiæ hæc est, Omne adjectivum essentiale, est differentia logica, ut animatum, sensitivum, rationale : abstractum autem illius adjectivi est differentia metaphysica.

Dari differentias patet : tum quia datur adjectiva essentialia : tum quia cum omnia entia non sint ejusdem naturæ, dantur differentiæ maxime propriæ, quibus essentialiter discrepent.

CAPVT SECVNDVM,

De definitionibus Differentiæ.

Differentia metaphysica definiri solet, Universale quod potest in esse multis tanquam pars essentiæ specialior respondens formæ.

Differentia logica vulgò definitur, universale, quod potest prædicari de multis in quale quid.

Quatuor aliæ definitiones hîc afferuntur à Porphyrio.

Prima : Differentia est id, quo species superat genus : supple, intensivè.

Secunda : Differentia est id, quod ea, quæ sunt sub eodem genere, natum est distinguere : supple essentialiter.

Tertia : Differentia est id, quo à se singula differunt : supple essentialiter.

Quarta : Differentia est quod prædicatur de multis specie differentibus in quale quid.

Hæc ultima definitio, quia convenit solis differentijs genericis, occasionem dedit quærendi utrùm dentur Differentiæ simplices specificæ ? Quam quæstionem duobus articulis dirimemus, in quorum priore, quæremus utrùm in unaquaque specie unica sit Differentia, vel multiplex.

In Posteriore, utrùm in singulis speciebus detur quædam Differentia simplex reciproca.

ARTICULUS PRIOR,

Utrùm in unâ specie sit unica Differentia.

OBserva 1. genera, alia esse quæ unicâ divisione dividuntur, quale est vivens, quod dividitur tantùm in sensitivum & insensitivum: alia, quæ multiplici divisione dividuntur, quale est animal, quod dividi potest in varia juga æque immediata, v. g.

in respirativum:	non respirativum.
sanguineum:	exangue.
plumatum:	implume.
pedatum:	expes.
loco motivum:	zoophytale.
rationale:	irrationale, &c.

Observa 2. species esse duplicis generis: Alias completas, quæ per se collocabiles sunt in categoriâ: ut homo, equus: Alias incompletas, & per se non collocabiles in Categoriâ, ut animal sanguineum.

Certum est 1. species illorum generum, quæ unicâ divisione dividuntur habere unicam differentiam constitutivam: sic animal constituitur per unicam differētiam, puta per sensitivum. Cum enim vivens unicam habeat divisionem: & membra ejusdem divisionis sint opposita: Animal, quod est species viventis: unicam habere potest differentiam constitutivam.

Certum est 2. species incompletas unicam habere differentiam, quâ scilicet intellectâ sufficienter tales species intelliguntur: sic animal sanguineum sufficienter constituitur per sanguineum.

Status ergo quæstionis est, utrum species completæ & categoricæ illorum generum, quæ pluribus divisionibus immediatè dividuntur, unicam habeant differentiam simplicem vel plures, v. g. utrum homo ut sic pro differentia habeat solum rationale, vel insuper respirativum, sanguineum, &c.

CON-

CONCLUSIO.

EJusmodi Species plures habent differentias. Probatur 1. authoritate Philosophi, qui 2. Post. 14. definit numerum ternarium his verbis: Numerus impar primus: in quâ definitione duas affert differentias ternarij: & paulò post docet totipenne & fissipenne esse proprias volucris differentias: & nulla est species volucris quæ unam tantum ex illis habeat differentiam. Unde & 1 Topic. 7. docet definitionem constare genere & differentijs.

Probatur 2. authoritate Porphyrij, tum ex definitione quæ huic quæstioni ortum dedit: tum ex cap. 7. ubi sic habet: Genus in unaquaque specie unum est, v. g. in homine animal: differentiæ verò plures, v. g. in eodem homine rationale, mortale, intelligentiæ & scientiæ capax. Tum ex eo quod cap. 7. & 11. affert quadrupes pro differentiâ: At nulla est species animalis completa, quæ habeat tantum quadrupes pro differentiâ. Ergo ex Porphyrio species completæ plures habent differentias.

Probatur 3. ratione physicâ. Respirativum, sanguineum, &c. sunt veræ differentiæ hominis: Ergo in specie completâ multæ reperiuntur differentiæ. Probatur antecedens. Certè si respirativum, &c. sint de essentiâ hominis, sunt ejus differentiæ, cum prædicentur adjectivè: Atqui sunt de essentiâ hominis: Ergo sunt ejus differentiæ. Probatur minor. Eodem jure respirativum est de essentiâ hominis, quo rationale: quippe hæc unica nobis suppetit via indagandi essentias rerum: ex operationibus colligimus facultates, ex facultatibus radices: ideo enim colligimus rationale radicale v. g. esse essentiale homini, quia videmus omnes homines naturaliter ratiocinari: Atqui videmus etiam omnes homines naturaliter (& quidem longè majori necessitate) respirare. Ergo inferre debemus respirativum radicale esse quoque essentiale homini.

Probatur 4. ratione logicâ. Respirativum, sanguineũ, &c. pertinent ad aliquod universale, cum prædicentur de multis univocè & divisim: Ergo vel sunt genera, vel speci-

ſpecies, vel differentiæ, vel propria, vel accidentia. Atqui nec ſunt genera aut ſpecies, cum non prædicētur ſubſtantivè: nec accidentia communia, cum non prædicentur contingenter: Ergo vel proprietates vel differentiæ: Atqui non ſunt proprietates: nam vel fluerent ab animali, vel à rationali, aut animali rationali. Non ab animali, alioqui omne animal eſſet reſpirativum: non à rationali aut animali rationali, alioqui ſolum animal rationale eſſet reſpirativum. Ergo reſpirativum, ſanguineū, &c. ſunt veræ differentiæ.

Quia verò ejuſmodi ſpecies tot habent differentias, vocari poſſunt ſpecies complexæ, ad differentiam earum, quarum tota differentia unico vocabulo exprimitur, quæ ideo vocari poſſent ſpecies incomplexæ.

Obijcies 1. Reſpirativum tolli poteſt ab homine Deo volente: Ergo non eſt differentia eſſentialis.

Diſtinguo antecedens. Reſpirativum actualiter aut aptitudinaliter ſumptum, tranſeat: reſpirativum radicaliter ſumptum, nego. Verum enim erit ſemper dicere hominem exigere ex naturâ ſuâ reſpirare, ſicut verum eſt dicere de infantibus, quod exigant ex naturâ ſuâ ratiocinari.

Itaque reſpirativum, ſanguineum, & ſimilia ſumuntur tribus modis, ſcilicet Radicaliter pro intimâ radice & exigentia: Aptitudinaliter pro potentiâ ſeu facultate: & Actualiter pro ipſo actu. Tertio modo ſunt accidentia communia: ſecundo modo ſunt proprietates: primo modo differentiæ eſſentiales.

Obijcies 2. Rationale diſtinguit hominem adæquatè: Ergo non opus eſt aliâ differentiâ in homine.

Diſtinguo antecedēs. Rationale diſtinguit hominē adæquatè extenſivè, hoc eſt, nihil eſt à quo non diſtinguat hominem, concedo: diſtinguit hominem adæquatè intenſivè, hoc eſt, affert omnia diſcrimina, quæ ſunt inter hominem & alia animalia, nego: nam homo non tantum differt à piſce v. g. per rationale, ſed etiam per reſpirati-

spirativum & sanguineum : unde nego consequentiam. Et certè animal rationale non est perfecta & completa hominis definitio : alioquin ex eâ colligi possent omnes hominis proprietates, quod tamen fieri non potest, ut patet ex nostrâ ratione logicâ.

Objicies 3. Ita se habet differentia in toto metaphysico, quomodo forma in toto physico: Atqui in toto physico, hoc est in corpore naturali, unica est forma, v. g. in homine unica anima : Ergo à pari in toto metaphysico, id est in specie, unicâ est differentiâ, v. g. in homine sola rationalitas.

Distinguo majorem. Ita se habet differentia in toto metaphysico, quomodo forma in toto physico, secundum aliquam proportionem, concedo : secundum omnimodâ paritatem, nego : Omnis enim comparatio claudicat. In quo sit proportio, diximus sectione de genere cap. 2. Ratio autem disparitatis est, quòd partes physicæ considerētur secundùm diversas entitates : partes verò metaphysicæ secundùm diversas virtualitates tantum : At in unicâ entitate plures sunt virtualitates, ut patet in animâ rationali, quæ licet sit unica entitas, considerari tamen potest ut vegetativa, ut sensitiva, ut rationalis, ut respirativa, sanguifica, &c.

ARTICULUS POSTERIOR.

Utrum in singulis speciebus detur quædam Differentia reciproca.

CErtum est differentiam adæquatam cujuscunque speciei cum illâ reciprocari : quia constitutivum proprium reciprocatur cum constituto. Sed

Quæritur, utrum species complexæ inter suas omnes differentias aliquam habeant simplicem reciproquam ?

I. CONCLUS. In quibusdam speciebus complexis reperitur Differentia simplex reciproca.

Probatur 1. authoritate Porphyrij qui cap. de specie dicit hinnitivum reciprocari cum equo.

Proba-

Probatur 2. inductione, v. g. reperitur in

Apro	———	frendens
Aloide	———	impenetrabile dorſo
Aſino	———	ruditivum
Bove	———	mugitivum
Camelo	———	gibbus
Cane	———	latrativum
Capricorno ſeu Ibice	———	præurupta ſcandens
Elephante	———	barriens
Equo	———	hinniens
Gryllo	———	grillans
Herinaceo	———	aculeatum
Homine	———	rationale
Leone	———	rugiens
Mure	———	mintrativum
Muſtellâ	———	dintritivum
Ove	———	balativum
Pantherâ	———	cauritivum
Ranâ	———	coaxativum
Sue	———	grunnitivum
Tigride	———	raucativum
Urſo	———	uncativum
Vulpe	———	gannitivum

Item in Avibus.

Accipitre	———	pipans
Annate	———	tetrinniens
Aquilâ	———	clangens
Bubone	———	bubulans
Cornice	———	cornicans
Gracculo	———	fringulans
Hirundine	———	trinſans
Noctuâ	———	cuculans
Olore	———	drinſans
Paſſere	———	minuriens
Pavone	———	pupillans
Sturno	———	piſitans

Turture ——— tryssans
Vulture ——— pulpans.

Ergo in quibusdam speciebus complexis reperitur quædam Differentia simplex reciproca.

Obijcies 1. Porphyrius cap. de diff. dicit differentiam prædicari de multis specie differentibus. Ergo Porphyrius nullas agnovit differentias simplices reciprocas.

Nego consequentiam: sed eas non definivit: tum quia sæpius latent. Solutio colligitur ex ipso Porphyrio in libro de Interrog. & Resp. cap. 3. ubi sic interrogat. Cum dixisti differentiam de pluribus speciebus efferri: nunquid rem ut se habet explicuisti? & respondet: Non ita planè, sed ut plerumque esse consuevit: nam reperiuntur aliqua, quæ speciebus adæquantur. Et cap. 11. Isagoges dicit Differētias sæpe in pluribus speciebus videri.

Obijcies 2. Si reperiretur aliqua differentia simplex reciproca, maximè rationale: Atqui rationale non reciprocatur cum homine: convenit enim Angelis, ut docet ipse Porphyrius passim. Ergo nulla datur differentia simplex reciproca.

Distinguo minorē. Rationale sumptum latè pro principio intelligendi simpliciter non reciprocatur cum homine, concedo: rationale sumptum propriè pro radice discurrendi dependenter à sensibus, non reciprocatur cum homine, nego: Quod spectat ad authoritatem Porphyrij, respondeo Porphyrium existimasse Angelos compositos esse ex corporibus quibusdam subtilibus & immortalibus, ut patet ex eo quod cap. 2. & 11. eos faciat species animalis rationalis; proindeque non mirum esse, si putarit rationale nō reciprocari cum homine. Nos verò fidei lumine edocti Angelos spirituales esse, consequenter tenere debemus rationale reciprocari cum homine.

II. CONCLUS. In quibusdam speciebus nulla est differentia simplex reciproca.

Probatur inductione: In elemento nulla est differentia simplex reciproca; nam definitur Corpus simplex corruptibile.

ptibile. Simplex, non reciprocatur cum elemento, con-
venit enim cælo: Corruptibile etiam non reciprocatur
cum eo, nam convenit mixto. Sic numerus ternarius de-
finitur à Philoſopho, numerus impar primus. Impar nõ
reciprocatur cum ternario, cum infinitis alijs competat:
Primus competit etiam binario. Sic Angelus definitur ſpi-
ritus completus creatus: Ratio completi Angelo com-
munis eſt cum Deo: ratio verò creati eidem communis
eſt cum animâ rationali. Sic avis definitur volucris plu-
mata ſanguinea ſic Fulica definitur, volucris plumata ex-
ſanguis, &c. Ergo

Obijcies. Nulla eſt ratio, cur in quibuſdam ſpeciebus dentur potius differentiæ ſimplices reciprocæ, quàm in alijs.

Reſpondeo nullam nos habere rationem à priori: habere tamen à poſteriori, deſumptam ſcilicet ex eo quod in quibuſdam ſpeciebus videamus operationes aut affectiones ſimplices reciprocas: in alijs autem non videamus: unica porro nobis ſuppetit via cognoſcendi eſſentias rerũ: ab operationibus ſcilicet & affectionibus.

CAPVT TERTIVM,

De proprietatibus Differentiæ.

QUæres 1. utrum differentia ſit univerſalis reſpectu gradus, quem conſtituit, v. g. rationale reſpectu hominis: vel reſpectu inferiorum illius gradus, v. g. rationale reſpectu Petri, & Pauli.

Reſpondeo differentiam non eſſe univerſalem reſpectu gradûs à ſe conſtituti, quia univerſale ut ſic debet reſpicere multa, ut patet ex definitionibus: Atqui differentia collata cum gradu à ſe conſtituto non reſpicit multa, ſed unicum. Ergo eatenus non eſt univerſalis.

Dices: Differentia reſpectu gradûs à ſe conſtituti non eſt ſingularis: Ergo eſt univerſalis.

Nego

Nego consequentiam: Datur enim medium: nam (ut diximus sectione secundâ cap. 3.) species quatenus respicit genus non est universalis, nec tamen proinde est singularis: sed inferior & subijcibilis. Ita à pari differentia respectu gradûs à se constituti non est universalis, nec tamen est singularis; sed æqualis & reciproca.

Quod dixi de differentia respectu gradûs à se constituti, intellige etiam de proprio respectu gradûs, à quo fluit v. g. de risivo respectu hominis, & de tactivo respectu animalis.

Quæres 2. utrùm differentia superior includatur in inferioribus, id est utrùm differentia constitutiva gradûs superioris includatur formaliter in differentiâ constitutivâ gradûs inferioris: v. g. sensitivum in rationali?

Respondeo negativè, propter easdem rationes, quibus probavimus sectione de genere cap. 3. art. unico, genus non includi formaliter in suis differentijs divisivis. 1. quia differentia superior bis poneretur in definitione speciei, semel ratione generis à se constituti, & iterum ratione differentiæ inferioris, in quâ includeretur. v. g. sensitivū bis poneretur in hac definitione hominis. Homo est animal rationale, semel ratione animalis & semel ratione rationalis. 2. quia differentia inferior non esset differētia, cùm esset principium conveniendi. 3. denique quia differentia superior non foret univoca, cùm per conceptum affectaret differentias inferiores penitùs diversas.

Obijcies 1. Pedatum includitur in fissipede, palmipede: Ergo differentia superior includitur in inferiori.

Distinguo antecedens. Pedatum includitur in fissipede realiter & identicè, concedo: formaliter, nego: Fissipes enim non includit in suo conceptu pedatum, sed supponit: dicit enim formaliter fissionem pedum, fissio pedum non includit pedes, sed supponit: quomodo etiam rationale supponit sensitivum.

Obijcies 2. Sensitivum includitur in visivo; Ergo differentia superior includitur in inferiori.

Distin-

Distinguo consequens. Si differentia superior comparetur cum suis inferioribus, quorum respectu verum est genus, concedo : si comparetur cum differentijs specierũ illius generis, cujus est constitutiva, nego : At in exemplo allato sensus est genus respectu visûs.

Quæres 3. Utrum dentur differentiæ negativæ ?

Respondeo 1. Multas esse differentias negativas nominetenùs, ut insensitivum in Plantâ, independens in Deo.

Respondeo 2. Differentias utriusque speciei oppositæ non posse esse negativas secundùm rem, alioqui species illæ non different.

Respondeo 3. Posse dari differentiam revera negativã in unâ specie, dummodo sit positiva in alterá : sic linea differt à superficie per negationem latitudinis, & superficies à solido per negationem profunditatis, & natura nostra tantùm differret negativè ab alijs speciebus naturæ humanæ quas docuimus esse possibiles sect. de specie cap. ultimo. Est mens S. Thomæ tum 1. part. qu. 11. art. 3. tum 3. part. qu. 2. art. 2. ad 3. & art. 5. in corpore, ubi docet solam animam sensitivam, & solum sensitivum cõstituere speciem in brutis : unde sequitur brutum differre tantùm negativè ab homine.

Dices. Differre negative est non differre : Ergo non dantur differentiæ negativæ.

Distinguo antecedens. Est non differre positive, concedo : est non differre negativè, nego : Sic in differentijs communibus & proprijs dantur ejusmodi differentiæ negativæ, sicut differt ignorans a docto, & cæcus à vidente.

Dices 3. Differentia debet perficere genus, cum sit actus generis : Atqui si darentur differentiæ negativæ, nõ perficerent genus : Ergo non dantur.

Distinguo majorem. Debet perficere genus secundùm modum nostrum concipiendi, in quantum genus de se vagum & indifferens, determinari debet ad certam speciem, sine qua determinatione esse non potest in rerum naturâ, concedo : differentia debet addere perfectionẽ quandam

dam positivam generi necessariò, nego. Hæc solutio colligitur ex S. Thoma 1. part. qu. 5. art. 4. ad 1. ubi sic habet. Dicendum quod differentia est nobilior genere, sicut determinatum indeterminato: & proprium communi, non autem sicut alia & alia natura: alioquin oporteret quod omnia animalia irrationalia essent unius speciei: vel quod esset in eis aliqua perfectior forma, quam anima sensibilis.

Quæres 4. Quomodo opponantur differentiæ ejusdem generis divisivæ.

Respondeo 1. Eas opponi contradictoriè quando altera est negativa: oppositio enim inter affirmationem & negationem contradictoria est, sic opponuntur rationale & irrationale.

Respondeo 2. Differentias non opponi propriè, quando ambæ positivæ sunt. Nam 1. non opponuntur privativè, aut contradictoriè, cum ambæ supponantur positivæ: neque relativè, cum se mutuo non inferant: neque contrariè propriè, cum eidem subjecto alternatim inesse non possint.

Opponuntur ergo contrariè latè, vel contradictoriè implicitè, quia differentiæ ejusdem generis divisivæ simul conjungi non possunt.

Quæres 5. Utrùm differentiæ suscipiant magis & minus?

Respondeo negativè, cum Porphyrius hîc cap. 12. & 13 id asserat. Et ratio est: quia (ut superius docuimus) species, & proinde differentiæ per quas constituuntur, sunt sicut numeri, & proinde nec intendi possunt, nec remitti.

Dices 1. Homo alius alio meliùs ratiocinatur: Ergo rationalitas (quæ est differentia hominis) suscipit magis & minus.

Nego consequentiam. Rationalitas enim radicalis stupidi rustici æquè perfecta est ac rationalitas Philosophi subtilissimi. Quod si stupidus imperfectius ratiocinetur, id oritur ex organis & temperamento, sicut in artificibus

æquè

æquè peritis inæqualitas quædam effectuum oriri potest ex inæqualitate instrumentorum.

Dices. 2. Disgregativum visus est differentia albedinis ex 3. Top. 4. Atqui disgregativum visus suscipit magis & minus: quædam enim albedines alijs magis disgregant visum: Ergo differentia suscipit magis & minus.

Distinguo minorem. Disgregativum visus suscipit magis & minus secundum partes integrantes seu entitativas, concedo: secundum essentiales, nego: quippe omnes albedines sunt disgregativæ visus, non tamē omnes æquè disgregant visum, quia non tot habent gradus entitativos: sicut gutta vini æque est inebriativa ac dolium: nihilominus non potest habere suum effectum, quia paucas habet partes entitativas.

CAPVT QVARTVM,

De divisione Differentiæ.

Differentia latè sumpta dividitur 1. à Porphyrio in cō-munem, propriam, & maximè propriam quam divisionem explicuimus cap. 2.

Dividitur 2. Ab eodem in separabilem quæ repetitur ab accidente separabili, quomodo ignorans differt à docto: & in inseparabilem quæ repetitur ab aliquo inseparabili.

Differētia inseparabilis ab eodem subdividitur in eam, quæ convenit per se, seu in essentialem, qualis est rationalitas in homine: & in eam, quæ convenit per accidens seu in accidentalem, qualis est vis ridendi in homine, & nigredo in Æthiope.

Differentia essentialis subdividitur ab eodem in divisivam, & constitutivam.

Divisiva est ea, quæ dividit genus, sic rationale est differentia divisiva animalis.

Constitutiva est ea, quæ constituit speciem: sic sensitivum est differentia constitutiva animalis. Eadē

Eadem tamen differentia potest esse divisiva & constitutiva ex Porphyrio hîc: sed diverso respectu: sic rationale divisivum est animalis, & constitutivum hominis. Addi posset differentia distinctiva: quippe

Tria sunt munera differentiæ, nimirum, dividere genꝰ, constituere speciem, & eam distinguere à quâlibet aliâ specie. Sic rationale 1. dividit animal. 2. constituit hominem. 3. hominem distinguit à quâlibet aliâ naturâ: sed differentia distinctiva satis intelligitur, per constitutivam, si quidem (ut communi fertur axiomate) idem est principium constitutivum & distinctivum.

Differentia constitutiva subdividitur in universalem & singularem seu numericam.

Differentia universalis est ea, quæ constituit aliquem gradum universalem directè collocabllem in categoriâ, unde duplex est: scilicet Generica & Specifica.

Differentia generica est ea, quæ constituit genus, ut sensitivum respectu animalis.

Differentia specifica est ea, quæ constituit speciem: ut rationale respectu hominis.

Differentia numerica est ea, quæ constituit individuũ, ut Petreitas respectu Petri.

Qræritur hîc utrùm in singulis individuis dentur differentiæ numericæ, quæ sint gradus metaphysici gradui specifico virtualiter superadditi, v. g. utrùm petreitas denotet aliquem specialem gradum metaphysicum in Petro.

Negant Nominales, asserunt Thomistæ, & Scotistæ; cum quibus sit

CONCLUSIO.

ADmittendæ sunt differentiæ numericæ. Probatur 1. authoritate tum Porphyrij, tum Aristotelis, qui passim docent genus prædicari de multis specie differentibus, & speciem de multis numero differentibus: Ergo ex illis Philosophis tam dantur differentiæ numericæ, quam specificæ.

Probatur 2. ratione. Quod est indifferens ad plura, eget

eget aliquo virtualiter ſaltem ſuperaddito, quo determinetur : Atqui ſpecies de ſe indifferens eſt ad plura individua, v. g. humanitas ad Petrum & Paulum, cum ſecundùm ſuum conceptum ſit intrinſecùs univerſalis, ut docuimus Diſp. ſuperiori. Ergo eget aliquo virtualiter ſaltem ſuperaddito, quo determinetur potiùs ad unum, quàm ad aliud individuum : Illud autem eſt differentia numerica : Ergo datur.

Probatur 3. paritate. Ita ſe habet individuũ ad ſpeciẽ, quomodo ſe habet ſpecies ad genus : Atqui ſpecies conſtituitur per gradum metaphyſicum ſuperadditum generi, puta per differentiam ſpecificam : Ergo à pari individuum conſtituitur per gradum metaphyſicum ſuperadditum ſpeciei, puta per differentiam numericam.

Objicies 1. Quæ diverſos habent gradus metaphyſicos, differunt eſſentialiter : Atqui individua ejuſdem ſpeciei non differunt eſſentialiter : Ergo non habent diverſos gradus metaphyſicos.

Diſtinguo majorem. Quæ diverſos habent gradus metaphyſicos differunt eſſentialiter, eodem modo, quo illos habent concedo : alio modo nego. Diſtinguo minorem. Individua ejuſdem ſpeciei non differunt eſſentialiter genericè, aut ſpecificè, concedo : numericè, nego : Diſtinguo conſequens. Ergo non habent diuerſos gradus metaphyſicos genericos aut ſpecificos, concedo : numericos, nego :

Inſtabis. Species vulgò dicitur tota eſſentia rei. Ergo individua nihil habent ſupra ſpeciem.

Diſtinguo antecedens. Species eſt tota eſſentia univerſalis & ſcibilis, concedo : ſimpliciter, nego : quippe cum Philoſophi non deſcendant ad individua, ſpeciem meritò vocant totam eſſentiam.

Objicies 2. Unus quiſque gradus metaphyſicus eſt principium alicujus operationis propriæ : Atqui in Petro v. g. nulla eſt operatio propria : Ergo nullus gradus metaphyſicus proprius.

Nego absolutè majorem, nam gradus substantiæ & corporis v. g. nullius operationis sunt principia: quòd si aliqui gradus non sint principia operandi, maximè gradus numerici. Et hinc est, quod in divinis relationes personales secundùm communem Theologorum sententiam nullius operationis sint principia, quia sunt veluti grad9 numerici trium personarum.

Instabis. Saltem omnes gradus metaphysici sunt radices aliquarum proprietatum: v. g. substantia subsistentiæ, corpus quantitatis: Atqui nulla est proprietas in Petro, quæ non sit in Paulo: Ergo neç ullus gradus metaphysicus.

Transeat major, quam quidam probabiliter negant de differentijs numericis, eò quòd (inquiunt) gradus numerici, non tam sunt ad differentiam, quam ad distinctionem; non tam sint gradus, quàm bases graduum: proindeque non tam sint principia aut operationum, aut proprietatum, quàm limitationes & determinationes naturarum specificarum. Potest jure negari minor, dicendo esse aliquam proprietatem in Petro, quæ non sit in Paulo, sed incognitam, & latentem: sicut enim non sequitur multas herbulas nullas proprietates specificas habere, eò quòd non innotescant: ita non sequitur Petrum nullam habere proprietatem, eò quòd non appareat: quippe eò res sunt nobis minus cognitæ, quô sunt inferiores: Ergo, cùm individuum sit quid infimum, minimè omnium innotescit.

SECTIO QVARTA,

De Proprio.

CAPUT PRIMUM;

De nomine, notione, & existentia Proprij.

PRoprium secundum nomen, illud est quod non est alienum: &

Quadruplex est, scilicet

Propri-

Proprium primo modo, quod soli convenit: sed non omni, ut homini Geometram esse.

Proprium secundo modo, quod convenit omni, sed non soli, ut homini esse bipedem.

Proprium tertio modo, quod convenit & soli, & omni, sed non semper, ut homini canescere.

Proprium quarto modo, quod convenit omni, soli, & semper, ut homini esse risivum. Nam etsi non semper rideat, est tamen semper risivus, ex Porphyrio cap. 12. & hoc Proprium est maximè Proprium, solumque constituit hoc quartum Universale: nam Propria primo modo, & tertio modo competunt tantum contingenter, & proinde non sunt propria, sed accidentia communia: propria autem secundo modo sunt potius differentiæ, quam proprietates, ut probavimus sect. superiori cap. 2. art. priore, nisi sumantur aptitudinaliter: sed tunc sunt propria quarto modo respectu suæ radicis, cum quâ scilicet reciprocantur.

Proprium sumitur metaphysicè & logicè, sicut cætera universalia. Si sumatur metaphysicè vocatur proprietas, affectio, passio: si logicè vocatur accidens proprium, & simpliciter proprium.

Notio proprietatis metaphysicæ hæc est. Quidquid necessariò fluit à naturâ rei, & cum ea reciprocatur, proprietas est, ut vis ridendi & admirandi in homine.

Notio proprij logici hæc est. Omne adjectivum necessarium & non essentiale, proprium est, ut risivum, & admirativum in homine.

Essentiale differt à necessario; quia Essentiale est id, sine quo res nec esse, nec concipi potest.

Necessarium verò sine quo res esse non potest, sive sine eo concipi possit, sivè non.

Unde omne essentiale est necessarium, non contra: nam calor igni necessarius est, non essentialis.

Differunt etiam Accidentale, & Contingens: nam Accidentale illud est, quod non est de essentiâ, sive conveniat necessariò, sive casu.

Contingens illud tantum est, quod competit casu. Unde omne contingens est accidentale: at omne accidentale non est contingens: Proprium enim, est accidentale: nō tamen contingens.

Dari proprietates patet ex eo quod ex singulis naturis quædam necessariò promanent, quô etiam fit ut essentiæ radices dicantur.

CAPUT SECUNDUM.

De Definitione Proprij.

PRoprium metaphysicè definitur. Unum aptum esse in multis accidentaliter & necessariò.

Proprium logicè definitur. Unum aptum prædicari de multis in quale necessariò. Adde, si velis, cum alijs, & reciprocè, per me licet: Propriū enim reciprocatur cum gradu à quo fluit.

CAPUT TERTIUM.

De affectionibus Proprij.

QUæres 1. utrùm proprietates distinguantur realiter ab essentijs, à quibus fluunt?

Respondeo quasdam non distingui realiter: sic proprietates entis, scilicet unitas, veritas, bonitas, non distinguuntur realiter ab ente, ex consensu omnium Philosophorum: quasdam verò distingui realiter, sic quantitas in vulgari opinione distinguitur realiter à materiâ. Priores vocantur proprietates metaphysicæ, posteriores physicæ.

Quænam autem proprietates distinguuntur à suis subjectis realiter, & quædam non: uniuscujusque scientiæ est determinare agendo de proprietatibus objecti sui, v.g. Physicæ agendo de proprietatibus corporum naturalium, metaphysicæ vero agendo de proprietatibus rerum à materiâ abstractarum.

Jam

Jam verò propietates necessariò manant ab essentijs eo modo, quo ab ipsis distinguuntur, hoc est, manant realiter, si distinguantur realiter, ut frigus ab aquâ; & fluunt virtualiter tantum, si ab illis virtualiter tantùm differant, ut attributa divina ab essentiâ, divinâ.

Quæres 2. Utrùm proprietates intendi possint & remitti?

Respondeo negativè cum Porphyrio cap. 12. Quia effectus necessariò prodeuntes à causis æqualibus, sunt æquales: Atqui proprietates necessariò prodeunt à causis æqualibus, puta ab essentijs, quæ sunt incapaces intensionis & remissionis, ut docuimus: Ergo proprietates, nec intenduntur, nec remittuntur, nisi fortè agatur de proprietatibus physicis secundùm sensum vulgi, v.g. de actuali frigore aquæ, calore aëris, &c.

CAPUT QUARTUM,

De divisione Proprij.

PRoprietas dividitur 1. iu Metaphysicam & physicam.

Proprietas metaphysica est ea quæ ratione tantum distinguitur ab essentiâ, quales sunt propietates divinæ.

Proprietas physica est ea quæ distinguitur realiter ab essentiâ, à quâ fluit, & proinde potest ab illa divinitùs separari, licet perpetuò ab essentiâ exigatur, qualis est in opinione S. Thomæ, Quantitas respectu materiæ.

Dividitur 2. In exquisitam & non exquisitam.

Proprietas exquisita est aliqua perfectio positivâ, fluens ab essentiâ, quæ in suo conceptu non includit subjectum, & includit aliquam perfectionem, ut intellectus, voluntas.

Proprietas non exquisita est ea quæ aut subjectum includit in suo conceptu, aut nullam perfectionem dicit, ut veritas, bonitas, entis, quia ens includunt, & mortalitas.

Dividitur 3. In genericam & specificam.

Proprietas generica est ea quæ fluita genere, ut subsistentia à substantiâ, quantitas à corpore: vis nutritiva à vivente, tactus ab animali: & potest esse in pluribus specie differentibus accidentaliter & necessariò, ut patet in superioribus exemplis.

Proprietas specifica est ea quæ fluit à gradu specifico, ut vis ridendi in homine, vis latrandi in cane, & potest esse in pluribus solo numero differentibus accidentaliter & necessariò.

SECTIO ULTIMA,

De Accidente Communi.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, notione & existentiâ Accidentis.

Accidens apud Philosophos sumitur tribus modis.

1. Prout opponitur substantiæ, & vocatur Accidens physicum, quod est ens inhærens.

2. Prout opponitur essentiæ, & vocatur Accidens metaphysicum, complectiturque accidentia omnia tum propropria, tum communia.

3. Prout opponitur omni necessario, tum essentiali, tū proprietativo, & vocatur Accidens logicum, de quo hîc agimus.

Nota accidentis communis hæc est, Quidquid competit multis contingenter est accidens commune, ut albedo, doctrina;

Illud autem competit contingenter, quod ab aliquo suorum subjectorum separari potest: Sic calor actualis competit contingenter igni, quia licet ab igne separari non possit, potest tamen separari ab alio, puta à ferro: At proprietas à nullo planè subjectorum suorum separari potest, saltem naturaliter, ut patet in vi ridendi. Hæc doctrina fundantur in definitione allatâ à Porphyrio examinanda cap. 3.

Dices.

Dices. Calor & frigus ſunt proprietates elemētorum, & tam ab illis poſſunt ſe parari: Ergo illa nota non eſt legitima.

Diſtinguo antecedens. Calor & frigus ſunt proprietates elementorum, ſi ſumantur aptitudinaliter, concedo: ſi actualiter, nego: ſicut enim riſus actualis non eſt proprietas hominis, ſed tantum riſus aptitudinalis, ita frigus actuale non eſt vera proprietas aquæ, ſed tantum frigus aptitudinale.

Dari Accidentia communia, patet ſenſuum omnium teſtimonio, quorum ſcilicet objecta omnia propria ſunt accidentia communia.

CAPVT SECVNDVM,

De definitionibus Accidentis comunis.

Accidens commune, ut univerſale metaphyſicum definitur, unum aptum eſſe in multis contingenter.

Ut univerſale verò logicum definitur, unum aptum prædicari de multis in quale contingenter.

Notandum eſt ex Univerſalibus duo priora habere inferiora, tria verò poſteriora, ſubjecta.

Illa habent inferiora, quæ habent aliqua ſub ſe in rectâ lineâ categoricâ: vel quæ prædicantur ſubſtantivè de multis: vel quæ non accidunt ijs de quibus prædicantur, neque ulli eorum parti: Sic genus agnoſcit ſpecies & individua tanquam inferiora, quia de illis prædicatur ſubſtantivè, & nulli eorum parti accidit. Sic ſpecies agnoſcit quoque inferiora, puta individua, quibus ſcilicet nec ratione totius accidit, nec ratione partis. Differentia verò & accidens tum proprium, tum commune, ut ſic, non agnoſcūt inferiora, quia accidentia, ut ſic, accidunt rei jam cōſtitutæ: ſic vis ridendi, & riſus actualis accidunt homini jam conſtituto. Differentia verò etſi non accidat ſpeciei, accidit tamen alicui ejus parti puta generi. Nam rationa-

litas secundùm modum nostrum concipiendi, videtur eodem modo accidere animali, quo modo forma advenit materiæ: cujus rei signum est, quod prædicetur adjectivè de animali: si enim quæratur, homo, quale animal? Respondetur, animal rationale.

Illa universalia habent subjecta, quæ prædicantur de quibusdam non collocatis sub se in rectâ serie categorica, vel quæ prædicantur adjectivè, vel quæ accidunt saltem secundum modum nostrum concipiendi, vel toti, vel parti.

Cæterum, tria posteriora universalia cōparari possunt vel cum inferioribus, vel cum subjectis, v. g. rationalitas cum hac & illâ rationalitate, vel cum Petro & Paulo; Item vis ridendi cum hac & illâ potentiâ ridēdi, vel cum Petro & Paulo. Item color cum albedine & nigredine, vel cum homine & lapide. Si comparentur cum inferioribus, sunt genera, vel species. Si verò cum subjectis, ad tria universalia posteriora pertinent, ut diximus.

CAPUT TERTIUM,

De proprietatibus Accidentis communis.

Porphyrius hic tres affert Accidentis communis definitiones, quas ideo ad hoc caput remisimus, quia traduntur tantum per proprietates accidentis communis, puta inesse, adesse, & abesse.

Prima est, eaque omnium celeberrima: Accidens est, quod potest adesse & abesse à subjecto sine ejus interitu.

Secunda est: Accidens est, quod nec est genus, nec species, nec differentia, nec proprium, semper tamen est in subjecto; cui similem tradit Aristoteles 1. Top. 4. & 7.

Tertia est: Accidens est quod inesse & non inesse eidem potest.

Occasione illarum descriptionum.

Quæres 1. Quid intelligendum sit per inesse & adesse?

Respon-

Respondeo non esse intelligendam inhærentiam propriè dictam, quia illæ descriptiones competerent soli accidenti physico, sed esse intelligendam quamlibet inexistentiam contingentem, sive propriè dictam, qualis est denominatio quælibet contingens: sic esse vestitum, nudum, &c. dicuntur esse in Petro impropriè, quia ejusmodi denominationes Petro tribuuntur contingenter.

Quæres 2. Quomodo intelligendum sit Accidens commune posse adesse & abesse à subjecto sine subjecti interitu; & quomodo per hoc accidens differat à Proprio.

Respondeo duas esse legitimas expositiones.

Prima est, Accidens commune posse abesse à subjecto per mentem, non tantum apprehensivè, sed etiam judicativè, idque tum negativè tum affirmativè, salvo conceptu essentiali subjecti: proprietates verò non posse abesse à subjecto judicativè, sed tantum apprehensivè: v. g. non tantum possum apprehendere corvum non apprehensâ nigredine, sed etiam possum judicare negativè corvum non esse nigrum, & affirmativè corvum esse album, retinendo semper conceptum essentialem corvi: contrà verò possum apprehendere hominem, non apprehensâ facultate ridendi; sed non possum dicere hominem non esse risivum, aut hominem esse hinnitivum retinendo conceptū essentialem hominis. Hæc expositio colligitur ex Porphyrio qui hic sic loquitur: potest enim & corvus albus & & Æthiops intelligi abjecto colore sine corruptione subjecti.

Dices. Si judicarem Æthiopem non esse nigrum, vel esse album, tam errarem, ac si judicarem Æthiopem non esse risivum, vel esse hinnitivum: Ergo non magis accidens commune separari potest per mentem, quam Proprium.

Nego paritatem, quia per duo priora judicia non destrueretur essentia Æthiopis: destrueretur autem per posteriora.

Secunda interpretatio est accidens commune abesse pos-

se, etiam realiter ab aliquo suorum subjectorum, & in hoc differre à proprio, quod proprium non possit ab ullo suorum subjectorum abesse, possit accidens commune: sic risivum à nullo naturaliter separari potest, at nigrum potest saltem ab aliquo separari, v. g. à pilis. Hæc expositio est conformis Aristoteli, qui 4. Top. 1. dicit albedinem esse accidens nivis, eò quod ab illo subjecto separari queat. Quæ probatio esset nulla, nisi admitteret Philosophus, illud esse accidens commune respectu omnium, quibus convenit, quod vel ab uno eorum abesse potest.

Dices, Mors est accidēs: Atqui mors non potest adesse sine subjecti interitu: Ergo falsa est descriptio Porphyrij.

Nego minorem. Nam subjectum mortis est materia: mors enim est privatio vitæ, seu animæ viventis: Atqui materia est subjectū animæ: Ergo & mortis. Idem quippe est subjectum formæ & privationis. At per mortem non destruitur materia, ut pote incorruptibilis.

CAPVT VLTIMVM,

De divisione Accidentis communis.

ACcidens commune dividitur à Porphyrio in separabile, quod à subiecto aliquo separari potest, ut nigredo respectu pilorum: & in inseparabile, quod à subjecto naturaliter tolli non potest, ut nigredo respectu Æthiopis.

Accidens commune ut Universale dividitur in Genericum, quod contingenter convenit multis specie differentibus, ut cognitio, candor, &c. & in Specificum, quod competit multis solo numero differentibus contingenter, ut Philosophia, risus, &c.

Utrumque vel est universale in essendo, quod est per accidens in subjectis, & exprimitur termino abstracto, ut candor, Philosophia: vel est universale in prædicando, quod prædicatur contingenter de subjectis, & exprimitur nomine concreto, ut candidus, Philosophus, &c.

Accidens prædicabile subdividitur in externum, quod subjectum extrinsecus afficit, & denominat, ut cum paries dicitur visus: & in internum, quod subjectum intrinsecûs afficit & denominat, ut cum paries denominatur candidus.

Accidens internum vel effertur participio, ut amans, amatus; tumque videtur accommodatius, ut significet actum vel passionem, minusque diuturnum tempus postulat, ut denominet: vel effertur, nomine, ut amator amicus: tuncque aptius est ad habitum designandum, & diuturnius tempus postulat, ut denominet.

TRACTATVS SECVNDVS, DE CATEGORIIS.

IN LIBRVM CATEGORIARVM Aristotelis.

PRÆFATIO.

Authoր hujus libri fuit Aristoteles; ut patet ex cōmuni Interpretum consensu, stylo subtilitatem & brevitatē Aristotelis redolente, & citatione Categoriarum apud ipsum Philosophum 1. Topic. cap. 7.

Categoriæ vocabulū e foro ad Lyceum translatum est. In foro quippe Categoria accusationem significat: unde optimê Aristoteles seriem Generum, Specierum & Individuorum sub supremo aliquo genere contentorum appellavit Categoriam, quia in illâ serie superiora videntur aliquomodo accusare inferiora, id est, quid sint aperire, dum de ijs prædicantur. Itaque Categoria apud Dialecticos idem est ac Prædicatio: unde suprema genera, quia sunt suprema prædicata, Categoriæ vulgò nuncupantur: sed maximè propriè classis omnium prædicatorum, quæ sub aliquo supremò genere continentur, vocatur Categoria seu Prædicamentum, quia multa continet categoremata seu prædicata.

Ideo autem Aristoteles conscripsit hunc librum, ut res omnes, quæ simul à parte rei permixtæ sunt, ad certas quasdam classes reduceret, quo facilius & distinctius perciperentur.

Objectum ergo hujus libri sunt res omnes completæ unico expressæ vocabulo, non quidem ut exactè secùndùm naturam penetrandæ, sed ut ruditer cognoscendæ: sufficit enim Artifici, si rudem quandam materiæ suæ remotæ habeat notitiam, ut patet in Architecto, qui lapides & ligna non philosophicè, sed populariter tantum cognoscere debet: & hinc est quod consuevit Aristoteles in libris logicalibus ponere exempla, quæ probabilia erant suo tempore secundùm opinionem aliquorum Philosophorũ: ex D. Thoma, 1. part. qu. 48. art. 1. ad 1. quod scilicet hoc sufficit ad intentum Logici.

Tres hujus libri partes statuuntur: scilicet Antepraedicamenta, in quibus via sternitur ad intelligentiam Prædicamentorum: Prædicamenta, in quibus decem vulgata Genera suprema explicantur: & post Prædicamenta, in quibus Philosophus quædam exponit ad pleniorem Prædicamentorum notitiam necessaria. Nos totidem Disputationibus Tractatum hunc absolvemus.

DISPUTATIO PRIMA,

De Antepraedicamentis.

ANtepraedicamenta sunt quædam necessaria ad intelligentiam Prædicamentorum.

Quadruplicis sunt generis, scilicet quædam definitiones, divisiones, regulæ, & numerus categoriarum: Quæ omnia quatuor Sectionibus expendemus, quarum ultimā inscribemus, De Categiā in communi.

SECTIO

SECTIO PRIMA.
De Definitionibus Antepradicamentalibus.

HIc Philosophus definit Æquivoca, Univoca, & Paronyma: quibus addi solent Analoga: & ab Aug. initio Categoriarũ, adduntur Polyonima & Heteronyma: quia dum plura inter se comparantur, vel habent idem nomen & eandem naturam, ut Petrus & Paulus, & dicuntur Univoca: vel habent diversum nomen & diversam naturã, ut animal & scientia, & dicuntur Heteronyma: vel habent idem nomen & diversam naturã, ut francus & gallus gallinaceus, & dicuntur, Æquivoca: vel habent eandem naturam & divērsum nomen, ut vestis & indumentum, & dicuntur Polyonima: vel habent idem nomen & naturam partim eandem, partim diversam, ut pes montis & pes hominis, & dicuntur Analoga: vel habent eandem naturam, nomen autem partim idem, partim diversum, ut Justitia & Justus, & dicuntur Paronyma.

Ideo autem hæ definitiones hîc traduntur ab Aristotele, quia sola Univoca sunt in Categoriâ, non autem Æquivoca, Analoga, & Paronyma: ut docebimus infrà.

ARTICULUS PRIMUS,
De Æquivocis.

ÆQuivoca seu Homonyma hic definiuntur à Philosopho his verbis: Homonyma dicuntur ea quorum solum nomen commune, ratio autem nomini respondens planè diversa: ut animal latrativum & Sydus respectu carnis. Ipsum nomen dicitur æquivocum æquivocans; entia verò significata, æquivoca æquivocata.

Dices. Æquivoca non habent eandem rationem. Ergo non possunt eadem definitione definiri.

Distinguo. Si sermo sit de æquivocis materialiter, & secundum naturas suas sumptis, concedo; si de æquivocis formaliter, & secundum suam æquivocationem sumptis, nego: nam (quod notandum est) æquivoca univocè conveniunt in æquivocatione.

Æquivoca alia sunt à casu, quæ sine ulla ratione habēt idem nomen, ut mons Taurus, & animal taurus alia à consilio quæ cum aliquo fundamento habent idem nomē, idque vel propter memoriam, ut si quis parens suum filium memoriæ causâ appellaret nomine avi, vel propter spem, ut si quis puerum ob spem futuræ fortitudinis, appellaret Cæsarem; vel per metaphoram, & proportionē, ut pes montis & pes hominis, homo & statua: Hæc ultima non distinguuntur ab Analogis. Hæc divisio insinuatur 7. Physicor. 4.

ARTICULUS SECUNDUS, *De Univocis.*

Univoca seu Synonima definiuntur his verbis: Synonyma dicuntur ea quorum nomen commune est: ratio verò nomini respondens planè eadem ut homo & bos respectu animalis: ipsum nomen dicitur univocum univocans, entia verò significata, univoca univocata.

Quæres, utrùm necesse sit ut Univoca habeant eandē rationem essentialem, an verò sufficiat, quod habeant eandem rationem abstrahendo ab essentiali, & accidentali.

Respondeo 1. Vulgò apud Philosophos sufficere quod Univoca habeant eandem rationem abstrahendo ab essentiali & accidentali: nam omnes vulgò Philosophi post Porphyrium admittunt omnia Universalia prædicari univocè: ex Uiversalibus autem quædam essentialiter prædicantur, puta tria priora; quædam verò tantùm accidentaliter, puta duo posteriora.

Respondeo 2. Si de mente Aristotelis hoc in libro sit quæstio, mihi videri quòd ad univocationem requirat Philosophus eandem rationem essentialem.

1. Quia hîc opponit Univoca Paronymis: at nisi ad univocationem requireret eandem essentialiter rationem, non deberet opponere, cum Paronyma, v. g. justus, grammaticus, &c. habeant eandem saltem accidentaliter rationem: cum sint universalia.

2. Quia

2. Quia Philosophus cap. de substantiâ dicit proprium esse substantiæ universalis prædicari univocè de singularibus: At accidentia universalia dicuntur univocè de substantijs singularibus, si ad univocationem sufficiat eadem accidentaliter ratio: Ergo ad univocationem ex mente Aristotelis in hoc libro requiritur eadem ratio essentialis.

Ex quibus colliges ad Univocationem propriè sumptã, qualis requiritur ad Universale, sufficere quod sit eadem ratio nomini respondens, sive illa ratio essentialis sit, sive accidentalis: ad univocationem verò strictè sumptam, qualis requiritur ad Ens Categoricum, necessarium esse eandem essentialiter rationem.

ARTICULUS TERTIUS,

De Analogis.

Aristoteles hic non agit expresse de Analogis, sed ea confundit cum Æquivocis, quia revera omnia analoga sunt æquivoca à consilio & allegoricâ seu metaphorica: unde quia omnis metaphora supponit veritatem, ideo est semper aliquid, cui vox analoga convenit proprié, quod proinde dicitur primarium analogatum: cætera verò quibus vox analogans convenit metaphoricè, dicuntur Analogata secundaria.

Analoga vulgo definiuntur ea, quorum nomen commune, ratio verò nomini respondent partim diversa. Ut pes hominis & pes montis, ut acutum respectu penicilli, vini & ultimæ fidium ex 8. Physic. 4.

Dividuntur vulgo in Analoga attributionis, & Analoga proportionis, Quod ut intelligas:

Nota 1. Analogiam Logicorum respondere proportioni Mathematicorum.

Nota 2. In omni proportione mathematicâ quatuor reperiri terminos: quorum bini comparantur cum binis: ut videre est in hac proportione Geometricâ:

Ut unum ad duo?
Ita quatuor ad octo. & in

& in ista arithemicâ:

Ut unum ad duo:
Ita quatuor ad quinque.

Jam verò in utrâque proportione est quædam paritas seu identitas: sed in proportione geometricâ est paritas relationis: Nam ut unum ad duo habet relationem dimidij: ita quatuor ad octo eandem habet relationem: in proportione verò arithmeticâ est identitas excêssus seu termini: ut videre est in exemplo allato.

Proprietas arithmeticæ proportionis est ut extrema sibi addita æquivaleant medijs v. g. unum & quinque æquivalent duobus & quatuor.

Proprietas proportionis geometricæ est ut extrema per se multiplicata æquivaleant medijs per se multiplicatis v. g. semel octo æquivalent bis quatuor. His notatis,

Probatur divisio. Analoga debent habent habere rationem partim eandem, partim diversam: ut patet ex eorum definitione: Atqui hoc fieri tantum potest duobus modis.

1. Ita ut habeant eandem rationem secundum terminum: diversam verò secundum relationes, ut contingit in analogiâ attributionis:

2. Ita ut habeant eandem rationem secundùm relationem, diversam secundum terminos, ut contingit in analogiâ proportionis: Ergo optima est supra laudata divisio analogorum.

Analoga ergo attributionis sunt ea quorum nomen commune: ratio verò nomini respondens eadem secundùm terminum, diversa verò secundum relationes ad terminum. Sic omnia sana sunt analoga attributionis, quia respiciunt eundem terminum: puta sanitatem: sed diversas habent ad eam relationes, scilicet Medicina relationē causæ: urina relationem signi: animal relationem subjecti. Hæc analoga vocantur etiam ab uno, & ad unum, quia ab eodem sumunt appellationem: & ad illud referuntur.

Res

Res significata per analogum attributionis, convenit intrinsecè, tantùm primario analogato: secundario verò extrinsecè tantùm, ut patet in exemplo allato.

Analoga verò proportionis sunt ea, quorum nomen commune, ratio verò nomini respondens eadem secundum relationes: diversa verò secundùm terminos. Sic pes montis, scamni animalis, analoga proportionis, quia habent easdem relationes, puta relationes fulcri, sed ad diversos terminos: nam pes montis fulcit montem; pes animalis animal. Analogum analogans convenit intrinsecè omnibus analogatis, ut videre est in exemplo citato.

Quidam addunt analoga inæqualitatis, quæ nihil aliud quàm species ejusdem generis inæqualiter participantes genus propter inæquales differentias sed malè: quippe inæqualitas differentiarum non impedit univocationẽ, & æqualitatem generis: nec proinde causat analogiam & metaphoram: alioquin nullum genus foret analogum.

ARTICULUS QVARTUS.

De Paronymis, Polyonymis, & Heteronymis.

PAronyma seu Denominativa (quæ etiam Adjectiua à Dialecticis appellantur, ut Conjugata ab Oratoribus) defininntur ab Aristotele hic: Paronyma dicuntur, quæcunque casu ab aliquo differentia ab eo nominis appellationem habent, ut à Grammaticâ Grammaticus, à fortitudine fortis.

In Paronymis tria sunt distinguẽda, forma denominans, ut fortitudo: subjectum denominatum v. g. Alexander, & denominativum, putâ concretum, v. g. foris.

Omnia ergò Paronyma sunt concreta: non tamen omnia concreta sunt Paronyma: sed ea tantùm, quorum formæ sunt accidentales, ut patet ex eo quod hic Paronyma ab Aristotele opponuntur Univocis, ut docuimus supra Articulo 2. de Univocis.

Hinc differentiæ, ut sensitivum, rationale, &c. nõ sunt propriè Paronyma: sed tantùm nomine tenus. Unde etiam

tiam non prædicantur in quale, sed in quale quid; dici possunt paronyma, seu Adjectiva Grammaticalia.

Sunt qui distinguunt Denominativa triplicis generis. Alia re, non voce, quomodo à virtute dicitur probus: Alia voce non re, quomodo ab urinâ urinator: Alia re & voce, quomodo à Philosophiâ dicitur quis Philosophus: Sed sola ultima sunt propriè Paronyma secundùm definitionem Philosophi.

Polyonima (quæ à Grammaticis dicuntur Synonima) sunt diversa nomina idem eodem eodem modo significãtia, ut vestis & indumentum.

Heteronyma sunt diversa nomina diversas res significantia: ut ensis, & calamus.

SECTIO SECUNDA,

De divisionibus Antepradicamentalibus.

DUas hic tradit divisiones Aristoteles: scilicet, eorum quæ dicuntur, & eorum quæ sunt.

Prima ergo divisio Aristotelis est: Eorum, quæ dicuntur alia dicuntur cum complexione: alia sine complexione. Porro complexorum tria sunt genera. Quædam sunt complexa nomine tantùm, ut, Marcus Tullius Cicero: quædam re tantùm, ut exercitus: quædam nomine & re ut Aristoteles Philosophus.

Incomplexa itaque propriè sumpta, sunt nomina simplicia unicam rem significantia, ut homo, animal.

Idcirco hanc divisionem hic tradit Philosophus, quia sola incomplexa ponuntur in Categoriâ: ut infrà probabitur.

Secunda divisio Aristotelis est, Eorum quæ sunt, quædam dicuntur de subjecto nec sunt in subjecto, ut homo: quædam sunt in subjecto, nec dicuntur de subjecto, ut hæc grammatica: quædam dicũtur de subjecto, & sunt in subjecto, ut scientia: quædam nec sunt in subjecto nec de subjecto dicuntur, ut aliquis homo. Quam divisionem ut intelligas:

Nota

Nota in illâ divisione subjectum non semper eodem sensu sumi: Nam ubi apponitur de subjecto, intelligendum est subjectum prædicationis seu attributionis, quo sensu substantiæ universales habent subjecta, de quibus prædicantur: ubi autem apponitur in subjecto, intelligēdum est subjectum inhæsionis: nam ut hîc ait Philosophꝰ: Illud est in subjecto quod est in aliquo non tanquam pars (alicujus naturæ) & impossibile est (naturaliter) esse sine eo, cui inest: Quæ est definitio inhærendi.

Sensus ergo definitionis Aristotelicæ est, Omnia entia aut sunt substantiæ universales, aut accidentia universalia, aut substantiæ singulares.

Ideo hanc definitionem hic tradidit Philosophus, ut breviter enumeraret omnia, quæ directè ponuntur in Categorijs.

SECTIO SECUNDA,

De regulis Antepraedicamentalibus.

DUas hîc regulas affert Philosophus. Prima est: Quando alterū dicitur de altero tanquam de subjecto, quæcunquè dicuntur de prædicato, eadem dicuntur de subjecto: vel (ut alij vertunt) quæcunque conveniunt superiori (supple essentialiter aut proprietativè) conveniunt & inferiori, sic quæcunque conveniūt animali, quod prædicatum est & superius hominis, conveniunt etiam homini, qui subjectum est & inferius animalis. Similia habet Porphyrius cap. de Specie.

Hanc regulam tradit Philosophus, ut doceat methodū construendi schematis categorici, quod scilicet esset vitiosum, nisi superiora omnia convenirent inferiotibus.

Secunda regula est bipartita. Ejus prima pars est: Generum diversorum, & non subordinatorum seu subalternatim positorum, diversæ sunt differentiæ: ut animalis & scientiæ. Animalis enim differentiæ sunt rationale & irrationale, quæ non possunt esse differentiæ scientiæ. Secunda regulæ pars est: Generum verò subalternatim posito-

positorum nihil prohibet easdem esse differentias. Cum enim omnia superiora genera dicantur de inferioribus, oportet vi prioris regulæ, ut de ijsdem dicantur differentiæ constitutivæ generum superiorum, ut patet in arbore Porphyrij, ubi videre est differentias constitutivas corporis & viventis prædicari de animali & plantâ.

Per genera subalternatim posita intelliguntur ea, quorum unum est sub alio, ut animal sub vivente: & ea, quæ ambo sunt sub eodem tertio, ut animal & planta sub vivente: ut colligitur ex Philosopho 6. Top. 3.

Hæc regula ideo traditur à Philosopho, ut in construendis categorijs congruenter assignentur differentiæ omnium graduum.

SECTIO QUARTA,

De Categoriá in communi.

QUia Philosophus in Anteprædicamentis enumeravit Categorias, conditionesque ad eas requisitas insinuavit: ideo nos hîc occasionem arripientes, generalem & exactam instituemus analysim de Categoriâ in communi, antequam ad singulas Categorias descendamus.

CAPUT PRIMUM,

De nomine, notione, & existentiâ Categoriæ.

CAtegoria & Prædicamentum apud Philosophos idem sonant: utriusque appellationis rationem dedimus in præfatione hujus libri.

Categoriæ vocantur à Philosopho 5. Metaphys. 7. figuræ: unde solent explicari per figuras, ut patet in arbore Porphyrii: à Philosopho 1. Poster. appellantur homogeneorum series seu ordines.

Categoriæ nihil aliud sunt, quàm classes quædam à Philosophis institutæ ad distinctiorem rerum cognitionem.

Dari Categorias patet tum ex communi authoritate Philoso-

Philoſophorum: tum ex neceſſitate tot res diverſas in quaſdam veluti claſſes diſtribuendi, ut vitetur confuſio: ſicut enim Grammaticis opus fuit varias orationis partes ad certa quædam capita redigere diſciplinæ cauſa: ita & Philoſophis neceſſarium fuit totius Univerſi partes in certos ordines diſtribuere.

CAPVT SECVNDVM,

De Cauſis Categoriæ.

CAuſa efficiens Categoriæ eſt intellectus humanus: res enim à parte rei non ſunt ſic per claſſes diſtributæ: imò in eodem individuo omnes ſæpe ſimul permiſcentur: intellectus tamen in conſtruendis Categorijs obſervare debet ordinem quendam in ipsâ naturâ fundatum, ut explicabitur in definitione Categoriæ.

Finis hujus operis eſt ſecretio rerum diſſimilivm: ſicut enim tractatus de Univerſalibus docet modum conjungēdi res ſimiles in communi notione, ut conſulatur brevitati: ita tractatus de Categorijs docet modum ſecernendi res diſſimiles, ut claritati conſulatur.

Itaque in tractatu de Categorijs res in certis ordinibus collocantur: in tractatu verò de Univerſalibus explicatur quænam nomina res omnes categoricæ à ſuis ordinibus accipiant.

Finis verò Logici hunc tractatum explicantis, eſt facilior confectio orationum logicarum: cum enim orationes logicæ de rebus omnibus poſſint fieri, operæ pretium eſt, ut Logicus habeat aliquam de rebus omnibus notitiam: non quidem exactam, ſed rudem & ſummariam: ſufficit quippè artifici ſi popularem habeat materiæ circa quam operari debet cognitionem: ſic Architectus non debet ſcientificè penetrare lapidum naturas & proprietates, ſed ſatis eſt ſi quadā pingui minervâ lapides cognoſcat, quantum ſcilicet opus eſt ad architecturam, puta quinam ſint duriores, diuturniores, aptiores, &c. Cauſa

Cauſa formalis categoriæ eſt naturalis ordinatio rerũ Categoriarum, quippe

Categoria definitur, Series naturalis generum, ſpecierum, & individuorum, quæ ſub aliquo ſupremo genere continentur, Dicitur ſeries naturalis, quia non debent res promiſcuè poni in Categoriâ, ſed naturaliter: ita ut ſuperiora ponantur in ſuperiori loco, inferiore in inferiori: alioqui Categoria non eſſet ordinatio, ſed confuſio.

Præcipua difficultas eſt de causâ materiali ex qua conſtat Categoria, utrùm ſcilicet Categoria ſit ſeries rerum aut terminorum: Nominales, cum teneant ſolos terminos eſſe univerſales, & Categoria ſit ſeries quorundam univerſalium, generum ſcilicet & ſpecierum, ſuorum principiorum memores, contendunt Categoriam eſſe ſeriem terminorum: contra quos ſit

CONCLUSIO.

Categoria eſt ſeries rerum non terminorum.

Probatur 1. authoritate S. Augnſtini qui initio Categoriarum ſic ſcribit. Ariſtoteles de ijs quæ ſignificantur, non de ijs quæ ſignificant, diſſerendum putavit.

Probatur 2. ratione. Categoria definitur, Series generum, ſpecierum, & individuorum, quæ ſub aliquo ſummo genere continentur: Atqui hæc omnia non ſunt termini ſed res, ut probatum eſt diſputatione de Univerſalibus in communi cap. 2. art. 1. paragr. 2. Ergo Categoria eſt ſeries rerum, non terminorum.

Probatur 3. ex proprietatibus, quas Philoſophus ſingulis Categorijs adſcribit: docet enim quantitatem v. g. nec habere contrarium, nec ſuſcipere magis & minus: qualitatem contra: Atqui hic terminus, qualitas, non potiùs habet contrariũ, nec potiùs ſuſcipit magis & minus, quàm ille terminus, quantitas, ſed tantum res per iſtos terminos deſignatæ: Ergo Categoria ex Ariſtotele eſt ſeries rerum, non terminorum.

Dices Ariſtotelem ſæpe in Categorijs uti terminis ſignificandi, ut cùm dicit ſubſtantias ſecundas ſignificare quale quid.

Reſpon-

Respondeo Aristotelē longe sæpius uti terminis essendi: utitur autem terminis significandi, quia res immediate non ponuntur in Categorijs: sed per voces vicarias.

CAPVT TERTIVM,

De proprietatibus Categoriæ.

PRoprietates Categoriæ sunt conditiones ad ens categoricum requisitæ, quæ antequam assignentur:

Notandum est 1. tribus modis aliquid posse in Categoriâ collocari, scilicet directè, indirectè, & reductivè.

Directè ponuntur Genera, Species, & individua: ut patet ex definitione Categoriæ.

Indirectè seu à latere ponuntur differentiæ, quæ generibus adjacent, potius, quam subjacent, ut patet ex arbore Porphyrij.

Reductivè ponuntur in Categoriâ quæcunque habent aliquam cum ente categorico affinitatem; sic pars reducitur ad Categoriam totius, v. g. anima ad Categoriam, in quâ est vivens: mensura ad mensuratum, v. g. objectū formale ad Categoriam, in quâ sunt habitus, vel potētiæ: privatio ad Categoriam formæ quâ privat, v. g. ignorantia ad Categoriam, in qua reperitur scientia.

Notandum 2. de sola entia propriè dici categorica, quæ sunt in directâ lineâ.

Quæritur hic quot, & quænam requirantur conditiones, ut aliquid directè ponatur in categoriâ.

CONCLUSIO.

ENs, verum, per se, incomplexum, synonymumque

Completumque capit schema Categoriæ.

Probatur conclusio per singulas partes, tum ex Antepædicamentis Aristotelis; tum ex fine Categoriarum.

Primo.

Primo. Ut aliquid ponatur in Categoriâ debet esse ens: unde, privationes, & negationes non sunt directè in Categoriâ. Colligitur ex Aristotele, qui in secunda divisione Antepradicamentali affert divisionē entium, antequam enumeret ea, quæ ponuntur in Categoriâ: & decem Categorias recenset, quæ procul dubio sunt entia positiva. Ratio est quia, cum privationes & negationes non sint per se definibiles aut cognoscibiles: sed per entia opposita, per se in Categoriâ non ponuntur.

Secundo. Ens categoricum debet esse verum: quâ cōditione entia rationis excluduntur à Categorijs. Colligitur ex Aristotele qui in secundâ divisione Antepraedicamentali affert divisionem entium realium, & in enumeratione Categoriarum nihil recenset nisi reale: Ratio est, quia in entibus chimericis & fictitijs nullus ordo, & si quis foret, in eo indagando nulla utilitas.

Tertio. Ens categoricum debet esse ens per se: quâ conditione entia per accidens exulant à categorijs. Colligitur ex Aristotele, qui in definitionibus Antepraedicamentalibus, non aliâ de causâ adduxit definitionem Paronymorum, quàm ut è numero Categoriarum excluderet paronyma seu concreta accidentalia: eò quòd sint entia per accidens, confundentia simul substantiam seu subjectum, & formam accidentalem, unde Meteph. 7. sic scribit: Entia per se dicuntur quæcunque significant figuras categoriæ: Ratio est quia Categoriæ inserviunt ad distinctionem rerum: at entia per accidens, utpote multiplicis naturæ multa confundunt: ergo non sunt in Categoriâ.

Propter quam conditionem accidentia in concreto, puta coloratus, philosophus, &c. non ponuntur in Categoriâ; sed tantum in abstracto, puta color, philosophia: Imò ipsæ differentiæ essentiales in concreto non sunt directè in Categoriâ, quia adjectivè exprimuntur.

Quarto. Est Categoricū debet esse incomplexū: unde entia re aut nomine complexa non sunt categorica. Colligitur

ligitur ex Aristotele, qui in prima divisione Antepraedicamentali ideo divisit ea quæ dicuntur complexa & incomplexa, ut complexa à Categorijs eijceret; ut patet ex eo quod enumerando postea Categorias dicat se ea tantum recensere, quæ nullam habent complexionem. Ratio est quia Categoriæ inserviunt ad distinctionem rerum: ens autem complexum multa confundit.

Quinto. Ens categoricum debet esse synonimum seu univocum, quâ conditione excluduntur Æquivoca, Analogâ & Paronyma. Colligitur ex Aristotele, qui in definitionibus Antepraedicamentalibus ideo egit de Univocis, Æquivocis, & Paronymis, ut doceret sola Univoca merè essentialia, (hoc est genera, species, & individua) directè poni in Categoriâ. Ratio est, quia cætera multa simul miscent, nimirum æquivoca confundunt res plane diversas: analoga res aliquo modo diversas, paronyma verò formas accidentales cum subjectis.

Obijcies. Individuum ponitur in Categoriâ: Atqui individuum non est univocum: Ergo ens categoricum nō debet esse univocum.

Distinguo minorem. Individuum non est univocum, univocans, concedo: non est univocum univocatum, nego: Ad ens autem categoricum nihil interest utrùm sit univocum univocans, vel univocum univocatum.

Sexto. Denique ens categoricum debet esse completū: hinc partes ut sic non sunt directè in categoriâ. Colligitur ex Aristotele qui in secunda divisione antepraedicamentali affert divisionem entium: entia autem incompleta nō sunt propriè entia, sed entium partes, Ratio est, quia Categoriæ ita debent res distinguere, ut non destruant, & proinde non debent eas per partes secare.

Defectu cujus cōditionis substantiæ in abstracto ut humanitas, animalitas, non ponitur in Prædicamento, quia scilicet sic exprimuntur instar partium.

Obijcies. Genus ponitur directè in Categoriâ: Atqui genus est ens incompletū, cum sit pars speciei: Ergo ens incompletū poni potest in categoriâ.

Distinguo majorem. Genus ponitur directè in Categoriâ, prout continet sub se species, concedo: prout continetur in specie, nego: Genus autem prout continet sub se multas species est totum potentiale.

Vulgus Philosophorum præter illas sex conditiones requirit adhuc ut ens categoricum sit finitum.

Sed gratis profectò, & ideo tantum ut postea hac conditione suppositâ non probatâ, possit inferri Deum nō poni in Categoriâ. Et certè Philosophus ponere debuit in Anteprædicamentis conditiones omnes ad ens categoricum requisitas; At ubi reperiri potest in Antepraedicamentis Aristotelis ens categoricum debere esse finitum? Cæteræ conditiones repetuntur ex fine Categoriæ, ut patet ex probationibus: At ista potestne repeti ex fine Categoriæ? minus ne distinguerentur res, si entia infinita ponerentur in Categoriâ, quam si excludantur? si daretur linea infinita, excluderetur ne propter infinitudinem à Categoriâ quantitatis? quare ergo propter infinitudinē præcisè excludetur substantia infinita à prædicamēto substantiæ.

Disparitas est, inquiunt illi Philosophi; quia linea infinita tantùm foret infinita in genere quantitatis: At Deus est infinitus in omni genere.

Contra. Deus est tantùm infinitus formaliter in genere substantiæ, alias quippe Categorias continet tantùm eminenter: at continentia eminentialis aliorum generum non impedit quominus res aliqua ponatur in proprio genere formali: sic licet sol eminenter contineat multas qualitates, actiones & passiones sublunares, hoc non impedit, quominus ponatur in genere substantiæ.

Objicies. Ens infinitum non potest coerceri ullis limitibus: Ergo non potest in una Categoria contineri.

Distinguo antecedens. Non potest contineri ullis limitibus realiter & physicis, concedo: mentaliter & logicis nego: At Categoriæ sunt tantùm quædam classes mentales & logicæ.

CAPUT

CAPUT ULTIMUM,

De Divisione Categoriæ.

VAriæ fuerunt de numero Categoriarum opiniones. Pythagorici admittebant decem Categorias bonorum, totidemque malorum: Stoïci quatuor, scilicet substãtiam, quantitatem, qualitatem, & relationem: Valla tres tantum vult, substantiam, qualitatem, & actionem: Andronicus & Xenocrates duas tantùm statuebant, scilicet substantiam, & accidens: Architas Terentinus quem sequutus est Aristoteles, posuit decem vulgatas: Plato verò in Sophistâ unicam esse contendit Categoriam, nimirum Ens.

Cum Categoria sit series generum, specierum & individuorum sub uno supremo genere contentorum, tot sunt sine controversiâ Categoriæ, quot suprema genera, & proinde si ens sit genus, ut vult Plato, unica erit Categoria, secùs plures: unde antequam stabiliatur numerus Categoriarum, examinandum est utrùm Ens sit genus nec ne.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Ens sit verum Genus.

NOta 1. Ens sumi tribus modis 1. latissimè prout cõvenit enti reali & rationis. 2. latè pro ente reali complectente sub se entia tum completa, tum incompleta. 3. propriè pro ente quod revera meretur nomen entis, & semi-enti opponitur: uno verbo pro ente completo.

Nota 2. Ens completum sumi dupliciter. 1. pro ente completo essentialiter, & in ratione naturæ. 2. pro ente completo ultimò, hoc est in ratione substantiæ, vel accidentis: sic humanitas Christi Dñi v. g prout consideratur præcise à substantia Verbi divini, est ens completum essentialiter, quia habet naturam integram, non autem completum ultimatè & substantialiter, quia non habet

 subsi-

subsistentiam propriam, quæ est ultimum substantiæ complementum.

Nota 3. Ens iterũ sumi dupliciter. 1. nominaliter seu substantivè, prout idem est ac habens essentiam. 2. participaliter seu adjective pro participio verbi *sum*, *es*, *est*, quod idem significat, ac habens existentiam seu existens.

Repete ex tractatu de Universalibus ad Genus, has requiri conditiones, prima ut prædicetur in quid: secunda ut prædicetur de multis natura discrepantibus: tertia ut prædicetur univoce: quarta denique, quod ex præcedenti sequitur, ut non includatur formaliter in suis differẽtiis divisivis: unde si quæ istarum conditionum desit enti, ens non erit genus.

Constat 1. Ens latissime sumptum prout commune est reali & fictitio, non esse univocum, nec proinde genus: quia ens sic sumptum nõ habet eandem rationem nomini respondentem: ea enim ratio vel esset dependens à mente, vel vel independens. Si primum, non conveniret enti reali; si secundum, non conveniret enti rationis. Cõfirmatur: Nõ magis est univocũ ens respectu realis & fictitij, quàm animal respectu vivi & picti: sicut enim animal pictum, non est animal, sed signum & figura animalis sic ens fictitium non est ens; sed larva & umbra entis, ex Philosopho hîc. Ergo nec Posterius non est univocum, ex Philosopho hîc. Ergo nec prius.

Constat 2. Ens completum ultimate, (hoc est substãtialiter per subsistentiam, si sit substantia, vel accidentaliter per inhærentiam, si sit accidens) non esse genus: quia sic sumptum non prædicatur in quid, sed accidentaliter, ut patet ex eo quod eadem natura de completa possit fieri incompleta, & è contra: sic gutta aquæ juncta Oceano de toto fit pars, ab Oceano verò separata, de parte fit totum. Sic si humanitas Christi prius extitisset, quàm assumpta fuisset à Verbo, amisisset suum ultimum complementum, puta subsistentiam propriam: & si nunc dimitteretur à Verbo, haberet suam subsistentiam propriam, fieretque per se ultimò completa.

Con-

Constat 3. Ens participaliter sumptum non esse genꝰ: quia sic non prædicatur in quid, nam prædicatur accidētaliter de creaturis: ens enim participaliter idem est ac existens: existere autem accidentaliter, tantùm competit creaturis.

Superest ergo duplex quæstio. Prima est, utrùm Ens latè sumptum prout est commune completo, sit genus. Secunda est, utrùm Ens propriè sumptum pro ente essentialiter completo, sit genus: & defectu hujus distinctionis mihi videtur orta ea lis quæ tanta acritate Thomistas inter & Scotistas agitatur.

I. CONCLUSIO.

ENs latè sumptum non est genus.

Probatur. Genꝰ non debet includi formaliter in suis differentijs divisivis, (ut fusè probatum est sect. de Genere cap 3. art. unico:) Atqui Ens latè sumptum includitur formaliter in suis differentijs divisivis: Ergo non est genus. Probatur minor: Illud includitur formaliter in alio, quod prædicari potest formaliter de ipso: Atqui Ens latè sumptum prædicari potest formaliter de suis differētijs divisivis, puta de perseitate & inalietate, &c. Differentiæ enim illæ formaliter sumptæ vel sunt ens, vel nihil. Non sunt nihil, alioquin inferiora entis differrent per nihil, & proinde non differrent. Ergo illæ differentiæ sunt formaliter entia: quod enim non est ens, nihil est: ex primi de Ortu cap. 3. & tertij Metaph. quarto.

Confirmatur. Terminus transcendens essentialis de quocunque reali formaliter prædicatur, alioqui non esset essentialiter transcendens: Atqui ens est terminus transcendens essentialis, & differentiæ ejus divisivæ sunt reales: Ergo de illis formaliter prædicatur.

Objicies 1. Si ens sit univocum, est Genus: Atqui est univocum, convenit enim omnibus entibus secundum eādem definitionem: definiatur enim ens quomodocunque libuerit, hæc definitio conveniet omnibus entibus. Ergo ens est genus.

Recentiores quidam negant majorem post Suarem: sed ineptè prorsus: quia omne quod univocè & divisim prædicatur est, universale: Atqui si ens sit univocum, prædicatur univocè & divisim, cum prædicetur de multis in plurali. Ergo si sit univocum est universale: Atqui non est proprium aut accidens, cum non prædicetur accidentaliter: non est etiam species aut differentia, cum nihil agnoscat supra se. Ergo si sit univocum est Genus.

Obtrudunt, Genus sicut alia universalia Porphyriana debere prædicari de multis: ens autem prædicari de omnibus.

Ridicula cavillatio & prorsus indigna Philosopho: quasi verò omnia non forent multa! imò universale debet prædicari aliquo sensu de omnibus, alioqui non esset universale.

Itaque nego minorem: ad cujus probationem dico definitionem entis quæcunque assignetur fore tātum analogam, quia competet rebus diversis, in quarum differentijs imbibetur: & certe semper ens definietur per suum abstractum, v. g. quod est capax existentiæ, quod habet essentiam: Abstractum autem non magis potest esse univocum quàm concretum. Sicut licet ly sanum in communi definiri possit, Id quod ordinem habet ad sanitatē: sanum tamen ab omnibus habetur analogum: quia diversus est ordo omnium sanorum ad sanitatem.

Instabis. Ens definiri potest prima radix existendi: Atqui prima radix existendi non includitur in differentijs entis, v g. in perseitate & inalietate: Perseitas non est prima radix existendi, sed subsistendi: Inalietas non est prima radix existendi, sed inhærendi. Ergo ens non includitur in differentijs.

Nego majorem. Repugnat enim dari in ullâ re radicē existendi: radix enim Est principium producendi in se illud cujus est radix. Atqui implicat dari quidpiam, quod sit principium producendi suam existentiam, alioquin esset antequā esset: prius enim est esse, quam producere.

Ens

Ens ergo deſcribitur, quod eſt aptum ad exiſtendum: & ſic deſcriptio includitur in differentijs entis, quæ ſcilicet aptæ ſunt ad exiſtendum.

Obijcies 2. Dum ens concipitur, non concipiuntur diverſa: Ergo ens eſt univocum.

Diſtinguo antecedens. Dum ens concipitur concipiuntur non diverſa, diſtinctè, concedo: confusè, nego. Cum enim imbibatur in differentijs, quæ per ſe diverſæ ſunt, ab illis non poteſt perfectè præſcindi.

Obijcies 3. Vel es reale latè ſumptum eſt æquivocum, vel analogum, vel univocum: 7. Metaph. 4. Atqui non eſt merè æquivocum, cum entia omnia realia aliquam habeant in ente convenientiam: Non eſt etiam analogũ: quia vel eſſet analogum analogia attributionis, vel analogia proportionis; neutrum autem dici poteſt: Ergo ens reale eſt univocum.

Reſpondeo 1. Ens reale reſpectu entium completorum & incompletorum eſſe analogum analogia attributionis. Quia entia incompleta dicuntur tantum entia, in quantũ ad aliquod ens complendum referuntur: ſicut partes hominis dicuntur humanæ, in quantum ad hominem conſtituendum referuntur. Reſponſio eſt Ariſtotelis, qui 4. Metaph. dicit quod ens dicitur multipliciter ſicut ſanum & medicinale. Atqui iſta ſunt analoga attributionis, & ad unum, ut ibidem loquitur Philoſophus.

Reſpondeo 2. Ens reale dici etiam poſſe aliquo modo analogum analogia proportionis reſpectu completorum & incompletorum. Sicut enim pedes omnes ſimiles habent relationes ad diverſos terminos, quos fulciunt: ita entia completa & incompleta ſimiles habent habitudines ad diverſas exiſtentias, quibus poſſunt exiſtere.

II. CONCLUSIO.

ENs eſſentialiter completum eſt verum Genus.

Ita Plato in Sophiſtâ Scotiſtæ omnes poſt Scotum in 1. diſt. 1. & 3. & univerſa Nominalium ſchola poſt Ocha-

mum in 1. dist. 2. quæst. 4. ac multi doctissimi Veteres ex ipso Aristotele 2. Elench. cap. 7.

Probatur. Si quid impediter, quominus ens essentialiter completum foret genus, maxime quia formaliter includeretur in suis differentijs divisivis : habet enim cæteras conditiones ad verum genus requisitas (ut patet attendenti, & fatentur ipsi Adversarij:) Atqui ens essentialiter completum non includitur formaliter in suis differētiis divisivis : differentiæ enim entis completi non sunt formaliter entia completa : sed tantum entium quorundam completorum partes : sicut rationalitas & irrationalitas non sunt formaliter animalia, sed duntaxat aliquorum animalium partes. Ergo Ens essentialiter completū est verum Genus.

Confirmatur utraque conclusio validissimâ paritate. Licet substantia latè sumpta prout opponitur accidenti non sit genus, quia sic sumpta includitur in suis differentijs attamen substantia essentialiter completa prout opponitur incompletæ, est genus, etiam in mente Adversariorum, quia differentiæ ejus non sunt substantiæ completæ, sed substantiales, hoc est substantiarum completarū partes : Ergo à pari licet ens latè sumptum prout commune est enti cōpleto & incompleto, nō sit genus, eo quod includatur in differentijs : hoc tamen non impedit quomin9 ens essentialiter completum sit gen9, quia ejus differētiæ non sunt entia completa, sed entium completorū partes.

Respondent Adversarij, nihil esse incompletum in ratione entis : & proinde differentias entis completi esse entia completa, sicque ens includi in illis.

Sed contradicunt & Aristoteli, qui dividit ens in completum, & incompletum : & sibi ipsis, qui inter conditiones entis Categorici requirunt ut tale ens sit completum: & rationi ; Quia quod est incompletum in aliquo gradu inferiori, est incompletum in omnibus superioribus, v. g. quia anima rationalis est incompleta in ratione hominis, est quoque incompleta in ratione animalis, viventis, &c.

Atqui

Atqui ex Adversariis dantur entia incompleta in ratione talis entis: Ergo & in ratione entis simpliciter.

Objicies 1. Aristoteles 7. Metaph. 4. docet ens esse analogum respectu decem Categoriarum, eo quod categoriæ accidentium ad substantiam referantur.

Distinguo. Si Categoriæ accidentium spectentur ratione differentiæ, concedo: si ratione generis seu entis, nego. Fateor accidentia ratione propriarum differentiarum referri ad substantiam, sicque esse entis entia v. g. quantitatem ratione differentiæ esse extensivam substantiæ, relationem esse relativam substantiæ, ubi esse locativum substantiæ, &c. sed hoc non impedit, quominus in ratione entis accidentia conveniant univocè cum substantiâ: sicuti licet habitus operativi secundum suam differentiam essentialiter sint propter potentiam, quam juvare debent: hoc non impedit quominus in mente Aristotelis univocè cõveniant cum potentiâ in genere qualitatis. Hinc etiam postquam Philosophus loco nobis objecto dixit ens esse analogum, sic subdit: *Ista verò quomodocunque quis velit dicere, nihil refert*, & 2. Elench. 7. dicit esse quæstionem de nomine utrum ens sit univocum, vel analogum.

Objicies 2. authoritate S. Thomæ docentis 1. p. q. 13. art. 5. ens non esse univocum Deo & creaturæ.

Distinguo. Ens latè sumptum, concedo: dicit enim articulo citato ad 1. omnia prædicata univoca debere reduci ad primum prædicatum analogum, quod est ens, sicut omnes causæ univocæ reducuntur ad primam æquivocam, quæ est Deus: at primum prædicatum est ens latè sumptum. Ex S. Thoma, ens propriè sumptum non est univocum, subdistinguo entitativè, concedo: mentaliter, nego: Nam S. Doctor ibi comparat Deum ut causam universalem omnium creaturarum Soli ut causæ universali sublunarium: at vero S. Thomas non negat esse aliquid commune logicè Soli & sublunaribus, sed tantùm physicè, ut patet ex eo quod 1. part. qu. 66. art. 1. ad 2. sic scribat. *Si genus consideraretur physicè, corruptibilia*

& incorruptibilia non sunt in eodem genere propter diversum modum potentiæ in ijs, ut dicitur 10. Metaph. secundum autem logicam considerationem est unum genus omnium corporum, propter unam rationem corporeitatis.

Objicies 3. rationem divi Thomæ ibidem: Omnis effectus non adæquans virtutem causæ agentis recipit similitudinem agentis, non secundùm eandem rationem sed deficienter: ita ut, quod divisim & multipliciter est in effectibus, in causa sit simpliciter & eodem modo: sicut sol secundùm unam suam virtutem, multiformes & varias formas in istis inferioribus producit: Atqui creatura est effectus non adæquans virtutem Dei: Ergo non recipit similitudinem Dei secundum eandem rationem, nec proinde univocè.

Distinguo majorem. Effectus non adæquans virtutem causæ non recipit similitudinem causæ secundùm eandem rationem à parte rei & physicè, concedo: per mentem & logicè, subdistinguo. Si habeatur ratio differentiæ & speciei, concedo: si habeatur ratio generis, nego: effectus enim æquivoci licet specie differant à causis, cum ijs tamen convenire possunt genere. Hinc S. Thomas qu. 66. mox citatatâ, fatetur solem, cui (loco nobis objecto) comparat Deum, habere genus quoddam logicum, puta corpus, commune sibi cum sublunaribus.

Objicies 4. Quod convenit uni dependenter, alteri independenter non est univocum: Atqui ens conpletum essentialiter est ejusmodi, convenit enim creaturæ dependēter à Deo, Deo verò planè independenter: convenit accidenti dependenter à substantiâ, substantiæ independenter. Ergo non est genus.

Nego majorem. Nam qualitas secundùm Aristotelem est genus univocum respectu habitûs operativi & potentiæ, & tamen convenit tali habitui dependenter à potentiâ.

Respondent Adversarij habitum operativum dependen-

re à potentiâ in ratione talis qualitatis tantùm: non autem in ratione qualitatis ſimpliciter, alioquin (inquit) omnis qualitas dependeret à potentiâ & proinde ipſa potentia dependeret à potentiâ.

Eodem etiam modo dico pendere creaturam tantùm à Deo in ratione talis entis, non autem in ratione entis ſimpliciter: alioquin ens omne penderet à Deo: unde infero non mirum eſſe ſi dependentia creaturæ à Deo nõ officiat univocationi entis.

Inſtant. Quidquid eſt in creaturis pendet à Deo: abſurdũ eſt eſſe aliquid in creaturâ non dependens à Deo: Ergo creatura pendet à Deo etiam in ratione entis ſimpliciter.

Diſtinguo antecedens. Quidquid eſt in creaturâ pendet à Deo realiter, concedo: formaliter & ſecundùm cõceptum, nego: ſicut enim habitus operativus, licet ſecũdum omnia quæ habet pendeat à potentiâ realiter, non tamen dependet à potentiâ formaliter in ratione qualitatis: ita à pari licet creaturæ ſecundùm omnia quæ habẽt, dependeant realiter à Deo, non tamen dependent formaliter à Deo in ratione entis; tota quippe dependentia creaturæ à Deo venit à differentiâ creaturæ: ſicut tota ignobilitas bruti venit ab ejus differentiâ.

Subſumunt. Ergo erit aliquod formaliter independens in creaturis.

Nego ſequi: ſed duntaxat ens, quod eſt in creaturis, nõ erit formaliter dependens: ſicut enim animal quod eſt in homine non eſt formaliter rationale, nec propterea eſt formaliter irrationale: ſed abſtrahit: ita ens, quod eſt in creaturâ, non eſt formaliter dependens: nec propterea tamen eſt formaliter independens, ſed abſtrahit: ſicut & ens, quod eſt in Deo.

Inferunt: Ergo eſt aliquid æquale in Deo & in creaturis.

Diſtinguo. Formaliter logicè & intra mentem, concedo: realiter phyſicè & extra mentem, nego: At nihil ab-

I 6 ſurdi

surdi est Deum per mentem aliquid habere plane simile creaturis.

Obijcies 5. Quod prædicatur accidentaliter non est genus: Atqui ens completum prædicatur tantùm accidentaliter, ut patet ex eo quod idem ens de completo possit fieri incompletum, & è contra, ut videre est in exemplo guttæ aquæ supra allato: Ergo ens completum non est genus.

Distinguo minorem. Ens completum ultimatè prædicatur tantùm accidentaliter, concedo: ens completum essentialiter, nego. Eadem solutione uti tenentur Adversarij, ut tueantur univocationem substantiæ: nam illud argumentum æque militat adversus univocationem substantiæ, ac adversus entis univocationem, cum exempla quibus juniti solet, repetantur à substantijs.

Obijcies ultimò. Genus debet dicere partem essentiæ generaliorem: Atqui ens completum non est ejusmodi, dicit enim quod est ultimum, & quod supponit omnes gradus: Ergo non est genus.

Respondeo, illud argumentum nimis probare: probat enim nullum prædicamentum esse genus, quia quodlibet prædicamentum debet esse completum. Distinguo itaque majorem. Genus dicit partem essentiæ generaliorē, prout est pars essentiæ specificæ, concedo: prout est totum potentiale continens species, nego: Distinguo minorem. Ens completum specificè non dicit partem generaliorem, concedo: ens completum genericè, nego: hocque patet inductione per omnia genera categorica.

ARTICULUS POSTERIOR,

De numero Categoriarum.

Ex Articulo præcedenti sequitur unicam esse speculativè Categoriam, puta ens. Quia tot sunt Categoriæ, quot suprema genera, ut patet ex definitione Categoriæ: Atqui ex articulo præcedenti unicum est supremum genus, puta Ens: Ergo unica est speculativè Categoria: omnes

enim Categoriæ Aristoteiis continentur sub ente, & proinde non sunt suprema genera.

Si quis tamen majoris distinctionis ergo, multos voluerit instituere ordines Categoriarum, varios poterit ad libitum: quia ens Categoricum immediate dividi potest per multa differentiarum juga, scilicet, in ens per se, & ens in alio. in ens spiritale, & ens corporum: absolutū, & relativum: Potest etiam pro arbitrio quis plures aut pauciores statuere ordines ejusmodi, prout sumere voluerit entis divisiones immediatiores vel remotiores.

Verùm licet quis posset annum distribuere in plures vel pauciores menses, quàm vulgò distribuatur, ridiculum esset novam anni divisionem instituere, cum præsens ab omnibus usurpetur: ita à pari quamvis possemus plures vel pauciores statuere Categorias, nihilominus quia in practicis non sunt mutanda solemnia, retinemus vulgatū denarium numerum, Aristotelem ipsum imitari, qui numerum illum ab Architâ Philosopho Tarentino introductum, & suâ jam ætate celebrem retinere maluit, quam aliquâ novitate alios perturbare.

Sunt ergo decem Categoriæ practicè, Substātia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs & Habitus. Ita Philosophus hîc, & alij passim, qui numerus, quamvis solâ authoritate & antiqnitate nitatur, suaderi solet per decem interrogationes quæ fieri possunt de aliquâ substantiâ primâ seu singulari. V. g. de Petro, quæri potest: Quid sit? Quantus? Qualis? Cujus? Quid agat? Quid recipiat? Ubi sit? Quando? Quomodo sit in Loco? & quomodo vestiatur aut ornetur?

Hæc divisio entis categorici in decem Categorias sic etiam potest probari. Omne ens vel est per se, vel in alio. Si sit ens per se, est substantia: si sit in alio, est accidens: illudque vel est absolntum, vel relativum. Si sit accidens absolutū, vel sequitur materiam, & est Quantitas: vel sequitur formam & est Qualitas. Si sit accidens relativum,

vel

vel est merè relativum seu respiciens purum terminum: & est relatio: vel non merè relativum nec respicit purum terminum: tuncque vel respicit aliquid per modum sui principij: vel per modum suæ mensuræ: vel per modum ambientis. Si respiciat principium, vel respicit principiũ activum & est Actio: vel respicit principium passivum & est Passio. Si respiciat mensuram, vel respicit mensuram durationis: & est Quando: vel mensuram extensionis: tuncque vel respicit mensuram extensionis absolutè spectatæ, & est Ubi: vel extensionis certo modo dispositæ in loco, & est Situs. Si respiciat aliquid per modum ambientis utilis est Habitus.

Quæres utrùm omnes Categoriæ Aristotelis necessariò inter se realiter distinguantur?

Respondeo, minimè. Tum quia actio & passio constituunt diversas Categorias apud Philosophum: cum tamẽ realiter non differant, ut docet 3. Phys. 3. & 11. Metaph. 9. tum quia idem Philosophus in fine capitis de qualitate expressè dicit absurdum non esse idem in diversis prædicamentis collocari; Ad diversitatẽ ergo categoriarum sufficit distinctio virtualis & conceptûs.

DISPUTATIO SECVNDA,

De Prædicamentis.

DEcem Aristotelis Categorias totidẽ sectionibus evolvemus: sed quia clara haberi non potest specierum notitia, quin priùs cognoscatur genus: ideo post sectionem de substantiâ instituemus dissertationem de accidente ad novem alias cotegorias, quæ sunt accidentia quædam: & sectioni de relatione præmittemus præviam disceptationem de modis, ut melius cognoscantur septem ultima prædicamenta, quæ sunt modi quidam categorici.

SECTIO

SECTIO PRIMA,
De Substantiâ.

CAPVT PRIMVM,
De nomine, notione, & existentiâ Substantiæ.

SUbstantia dicitur vel à substando, eo quod omnis substantia demptâ divinâ, substet accidentibus, eaque fulciat, & sustinet: vel à subsistendo, eò quod sit ens quoddam firmius per se subsistens, neque alteri inhærens more accidentium. Hæc acceptio melior est illá, tum quia convenit omni substantiæ, creatæ scilicet & increatæ: tũ quia prius est substantiam per se subsistere, quàm alia à se distincta sustentare.

Substantia sumitur tribus modis. 1. Latissimè pro quálibet entitate, ut cum dicimus quosdam habitus esse supernaturales quoad substantiã, id est quoad entitates suas. 2. Laiè pro quolibet ente non inhærente sive completum sit, sive incompletum, quomodo vocari potest substantia transcendentalis. 3. denique propriê pro solâ substantiâ completâ, quomodo vocari potest substantia prædicamentalis seu categorica.

Substantia concipi potest ut ens firmũ non indigens subjecto, cui inhæreat.

Dari substantias patet, quia nisi darentur substãtiæ, nulla darentur entia cum omnia entia sint vel substantiæ, vel accidentia, accidentia autem naturaliter stare non possint sine subjecto: hinc Aristoteles hîc ait: non existentibus primis substantijs impossibile esse quidquam existere, quia cætera aut sunt in primis substantijs aut de ijs dicuntur.

CAPVT SECVNDVM,
De causis Substantiæ,

SUbstantia in genere nullam habet causam, quia Deum compre-

comprehendit, qui est ens à se causæ omnis expers. Tradenda igitur tantum est hîc definitio Substantiæ.

Definitur Substantia ens per se subsistens. In qua definitione ens habet locum generis, per se subsistens locum differentiæ. Quod ut intelligas.

Nota triplicem esse subsistentiam, scilicet radicalem, aptitudinalem, & actualem.

Radicalis substantia est intima quædam radix & exigẽtia per se subsistendi.

Aptitudinalis subsistentia est potentia proxima ad subsistendum.

Actualis subsistentia est ultimum complementum substantiæ eam reddens incommunicabilem alteri tanquam supposito.

Sola subsistẽtia radicalis est de essentiâ substantiæ: subsistenta aptitudinalis est ejus proprietas: actualis verò accidens commune: sic enim ferè semper philosophandũ est de differentiis rerũm. Quod subsistentia actualis sit tãtùm accidens commune, fide certum est, cum humanitas Christi Domini careat propriâ subsistentiâ actuali.

CAPVT TERTIVM,

De proprietatibus Substantiæ.

SEx hîc afferuntur à Philosophô proprietates Substantiæ.

Prima: Substantia non est in subjecto, supple inhæsionis: potest enim esse in subjecto informationis, ut patet in formis substantialibus quæ materiam informant: & in subjecto attributionis seu propositionis, ut patet in substantijs universalibus, quæ de singularibus prædicantur. Hæc proprietas convenit omni substantiæ, etiam non categoricæ, cum conveniat differentijs substantiarum, ut hîc docet Pholosophus.

Secunda: Substantiæ secundæ prædicantur univocè de primis: in quo substantiæ universales opponuntur acci-

dentibus universalibus comparatis cum substantijs singularibus, de quibus scilicet accidētia non univocè & essentialiter : sed paronymè dicuntur.

Tertia : Substantiæ primæ significant hoc aliquid, id est aliquid determinatum & veluti digito demonstrabile : substantiæ verò secundæ, quale quid, id est aliquid vagum & in differens ad plura, de quibus prædicetur.

Quarta : Substantiæ nihil est contrarium : supple per se : possunt enim substantiæ sibi adversari per suas qualitates, quomodo venenum adversatur animali . & aqua igni, & hæc proprietas intelligenda est de contrarietate propriè dictâ, per quam duo sub eodem genere posita maximè distant & ab eodem subjecto inhæsionis sese mutuò expellunt : nam substantiæ possunt dici contrariæ latè, in quantum duæ formæ substantiales incompatibiles sunt, & se expellunt ab eadem materiâ. Hæc proprietas non convenit soli substantiæ, sed etiam quantitati, ut ait ipse Philosophus.

Quinta : Substantia non suscipit magis & minus. Sic unus homo non est magis homo quam alter, etsi major. Hinc forsan est quod nomina substantiarum apud Grammaticos non comparentur.

Dices 1. Ex Aristotele Substantiæ singulares magis sunt substantiæ quà universales.

Distinguo. Prout ly substantia venit à substando, concedo : pluribus enim substant substantiæ singulares, quàm universales, cum substantijs universalibus substent & accidentibus : prout ly substantia venit à subsistendo, hoc est non inhærendo, quod est proprium substātiæ, nego : una enim substantia non magis est immunis à subjecto inhæsionis, quam alia.

Quanquam dici posset Aristotelem fateri substantiam unam esse magis substantiam quàm aliam, si sit in inferiori gradu, v. g. hominem quàm animal, & Petrum quàm hominem, quia substantia inferior pluribus substat, quàm superior, non autem si sit in eodem gradu, unde ipse sic

hic

hîc loquitur, hac autem dictum velim, non quod una substantia, aliâ minus aut magis nomen substantiæ non obtineat; hoc enim concessum est: sed hoc ipsum volo Nullam substantiam id ipsum quod ex naturâ suâ est, modò magis, modò minùs habere sicut homo non est magis aut minus homo, neque idem se ipso, neque alter altero; ut unum album albius est altero, aut idem se ipso.

Dices 2. Suscipere magis & minus est recipere plures aut pauciores gradus in eadem parte subjecti: Atqui substantiæ habent plures aut pauciores gradus, v.g. homo plures habet gradus, quàm animal: Ergo substantiæ suscipiunt magis & minus.

Distinguo majorem. Suscipere magis & minus, est recipere plures aut pauciores gradus integrales & entitativos, concedo: essentiales & quidditativos, nego: At substantiæ non habent plures gradus entitativos in eadem parte subjecti, sed essentiales & metaphysicos.

Ultima. Substantia eadem manens recipit in se contraria cum mutatione sui: sic idem homo modò est sanus, modò æger, modò calidus, modò frigidus, modò probus, modò improbus: Et hoc de cæteris entibus à substantiâ dici non potest, (inquit hîc Philosophus) quibus verbis ostendit hanc esse proprietatem primo modo.

Obijcit sibi Philosophus. Oratio & opinio possunt etiã recipere contraria, ut si quis dicat aut opinetur Socratem sedere, qui de facto sedeat, & postmodùm perseverante, eadem oratione & opinione surgat Socrates, oratio vel opinio de verâ evadet falsa.

Distinguit ipse Philosophus. Oratio & opinio recipiunt contraria, sine mutatione sui, concedit: cum mutatione sui negat: Oratio enim de verâ fit falsa (inquit) sine sola mutatione sui cum mutatione objecti: at substantiæ recipiunt contraria cum mutatione sui.

Obijcies. Quantitas recipit etiam contraria cum mutatione sui, puta calorem & frigus: Intellectus etiam recipit errorem & scientiam: Ergo hoc non cõvenit soli substantiæ.

Distin-

Diſtinguo. Quantitas cum mutatione ſui recipit contraria, ut quo, concedo : ut quod, nego. Idem dic de intellectu. Diſtinguo conſequ. Non convenit ſoli ſubſtantiæ recipere contraria, ut quo, concedo : ut quod, nego : nam quantitas non tam recipit contraria, quàm ſit id quo corpus recipit contraria. Item intellectus non tam recipit errorem & ſcientiam, quàm id quo homo recipit errorem & ſcientiam.

CAPVT QVARTVM,

De diviſione Subſtantiæ.

ARiſtoteles dividit hîc ſubſtantiam in primam ſeu ſingularem, & ſecundam ſeu univerſalem.

Subſtantia prima definitur à Philoſopho initio hujus articuli, Ens quod neque eſt in ſubjecto (inhæſionis) neque dicitur de ſubjecto (attributionis) ut Socrates.

Subſtantia ſecunda definitur ea quæ non eſt in ſubjecto inhæſionis, dicitur tamen de ſubjecto attributionis, ut homo.

Subſtantia ſingularis dicitur prima, quia prius ſubſiſtit quàm univerſalis, cum ſubſtantiæ univerſales ſubſiſtant tantùm per ſingulares, unde etiam dicuntur ſecundæ.

Hæc diviſio non eſt generis in ſpecies : namque ſubſtantia prima non eſt ſpecies, cum ſit ſingularis & individua.

Eſt ergo enumeratio earum ſubſtantiarum, quæ in hoc prædicamento reponuntur.

Noſtra diviſio Subſtantiæ categoricæ ſic facilitatis causâ poteſt inſtitui.

Subſtantia categorica dividitur in ſpiritum & corpus. Spiritus ſub ſe habet Deum in tribus perſonis, Patrem ſcilicet, Filium, & ſanctum Spiritum : & Angelos, qui dividuntur in tres Hierarchias, in quarum primâ reponuntur Seraphini, Cherubini, & Throni : in ſecunda Dominationes, Virtutes, & Poteſtates : in tertia denique Principatus, Archangeli, & Angeli.

Corpus

Corpus dividitur in simplex & mixtum: corpus simplex continet cœlum & elementum. Cœlum dividitur in medium cœleste, & astrum. Medium cœleste sub se continet, Empyreum, Firmamentum, & Planeticum. Astrum dividitur in fixum, ut caniculam, spicam virginis, &c. & in erraticum seu planetam, quæ sunt septem, scilicet Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna. Elementi vulgò quatuor species recensentur, ignis scilicet, aer, aqua & terra.

Mixtum dividitur etiam in perfectum & imperfectum seu meteorum. Mixtum perfectum duplex, vivens & inanimatum: vivens sub se habet animal & plantam: animal continet hominem & brutum: brutum dividitur in loco-motivum ut volatile, naratile, &c. & zoophytum, ut ostrea, spongia, &c. In planta continetur arbor ut quercus, herba ut portulaca, &c. Mixtum inanimatum quoque duplex, ex viventibus ortum, ut lac, & ex viventibus non ortum, ut metallum, lapis, &c.

Mixtum imperfectum seu Meteorum quadruplicis vulgò statuitur generis, scilicet ignitum ut fulmen, non ignitum ut venti, madefactivum ut pluvia, & lucidum ut Iris.

Quia verò in nostra hac divisione Substantiæ categoricæ quasdam substantias descripsimus, Deum scilicet, Angelos & cœlos, de quibus non omnes consentiunt: ideo sequentibus assertionibus ostendemus non meritissimo jure eas substantias in hac Categoriâ collocare.

I. CONCLUSIO.

DEus directè ponendus est in Categoriâ Substantiæ.

Ita Gregorius in 1. dist. 8. qu. 3. Gabriel & Ochamus ibidem qu. 3. contra vulgus Philosophorum.

Probatur 1. authoritate Aristotelis, qui 1. Eth. 4. afferendo exempla singularum Categoriarum, affert Deum & Intelligentiam pro exemplis substantiæ.

Probatur 2. authoritate Porphyrij, qui cap. de Specie sic instituit Categoriam Substantiæ, ut sub substantiâ ponat

nat corpus sub corpore vivens, sub vivente animal, sub animali animal rationale, sub animali rationali hominē. Nimirum Porphyrius, sicut plerique veteres, putabat animal rationale esse genus ad hominem & Angelum, ut patet etiam ex eo quod cap. 11. *Isagoges* dicat, *sublato homine non propterea sublatum iri animal rationale, cum adhuc* (inquit) *restaret Angelus.* Unde sic argumentor. Substantia ex mente Porphyrij latiùs patet corpore: Ergo convenit alteri quàm corpori: Atqui in mente Porphyrij non conveniret alteri quàm corpori, nisi conveniret Deo: quandoquidem in ejus mente Angeli sub corpore continentur: Ergo in mente Porphyrij Substantia categorica convenit Deo. Sed Porphyrius interpretari vult mentem Aristotelis: Ergo ex Porphyrio & mente Aristotelis substantia categorica convenit Deo.

Quod sit mens germana Aristotelis, patet etiam ex ipso Aristotele, qui substantiam categoricam secundùm omnes posuit supra corpus, & tamen 5. Metaph. 8. dicit Dæmonia ex corporibus componi.

Probatur 3. authoritate sancti Joannis Damasceni, qui in suâ Logicâ eandem instituit seriem Substantiæ categoricæ, ac Porphyrius in capitibus quæ scripsit de Specie & Individuo.

Probatur 4. Deus habet omnes conditiones categoricas: est enim ens, verum, per se, incomplexum, synonimum, complexum: Ergo ponitur in aliquâ Cotegoriâ, non in alia quam in categoria substantiæ, cum sit ens per se subsistens: Ergo in ea reponitur.

Probatur 5. Si quid impediret quominus Deus poneretur in categoria, maximè ejus infinitudo: sed hoc non impedit, ut probatum est disput. super. sect. 4. cap. 3. Ergo nihil impedit.

Probatur 6. ex cap. 4. ejusdem sectionis, ubi docuimus ens completum esse verum genus respectu Dei & creaturæ.

Probatur ultimò. Non magis inconveniens est Deum à Lo-

à Logicis poni in eadem categoria cum Angelis, quàm à Metaphysicis considerari in eadem scientia cum Angelis; Atqui posterius nemo reformidat : Ergo nemo reformidare debet prius.

Objicies 1. S. Dionysius dicit Deum non esse substantiam, sed supersubstantiam : Ergo Deus non est in categoria substantiæ.

Distinguo antecedens. Deus est supra substantiam creatam, concedo : super substantiam in communi, nego ; Sic distinguenda est propositio ab omnibus : nam sive substantia respectu Dei & creaturæ univoca sit, sive analoga, certè Deus non est super Substantiam in communi, alioquin esset supra se, quod repugnat.

Objicies 2. S. Augustinus 41. Confess. cap. 16. dolet quod Deum posuerit aliquando in Catagoriâ.

Distinguo. Quod posuerit Deum in Categoriâ : ita ut ejus substantiam posuerit in Categoriâ substantiæ, magnitudinem in Categoria quantitatis, pulchritudinem in Categoriâ qualitatis, putaritque in Deo esse accidentia realiter distincta, concedo ; quod posuerit Deum simpliciter in Categoria substantiæ, sicut nos, nego : Ejus verba sunt, Quid hoc mihi proderat, quando & oberat : cum etiam te Deus meus mirabiliter simplicem atque incommutabilem (illis decem prædicamentis putans quid quid esset omninò comprehensum) sic intelligere conarer, quasi & tu subjectus esses magnitudini tuæ aut pulchritudini, ut illa essent in te, quasi in subjecto, sicut in corpore, &c.

Objicies 3. Divus Thomas 1. part. qu. 3. negat Deum esse in ullo genere.

Respondeo D. Thomam intelligi posse de genere physico, sicut intelligendus est dum negat corpora cœlestia convenire genere cum sublunaribus, ut ipse interpretatur eadem part. qu. 66. art. 2. ad 2. Sed quidquid sit de mēte ejus, certum est S. Thomam multi fecisse authoritatem Aristotelis. Cum ergo videamus Aristotelem Deum in Categoria collocâsse, idque suadeat ratio, ideo in Catego-

ria illum collocamus. Adde quod nobis suffragetur S. Damascenus, ut dictum est.

Obijcies 4. Aristoteles cap. de substantia dicit, maximè proprium esse substantiæ categoricæ recipere contraria cum mutatione sui: Atqui Deus immutabilis est: Ergo ex Aristotele Deus non est in Categoria substantiæ.

Distinguo majorem. Eo sensu quod hæc proprietas nō conveniat alteri, quam substantiæ, sitque proprium primo modo, concedo: eo sensu quod conveniat omni substantiæ sitque proprium quarto modo, nego: Ejus verba sunt; Maximè verò proprium substantiæ videtur esse, quod eadem & una numero existens sit susceptativa contrariorum: quare in cæteris omnibus quæ non sunt substantiæ, nihil quidquam tale afferri possit, quod unum numero existens sit susceptivum contrariorum. Quibus verbis patet Aristotelem velle hanc proprietatem convenire soli, non autem omni substantiæ.

Obijcies 5. Substantia dicitur à substando: Atqui Deus nulli substat: Ergo non est substantia.

Distinguo majorem. Substantia dicitur à substando, eo quod substantia singularis, quæ maximè substantia est, substet omnibus gradibus superioribus, & nihil aliud ipsi substet, concedo: eo quod substantia necessario substet accidentibus, nego: alioquin substantia in communi non poneretur in categoria, cum sic nulli accidenti substet: at Deus substat gradui substantiæ, & quamvis nomen substantiæ derivaretur à substando accidentibus, non tamen sequeretur omnem substantiam substare debere accidentibus, aliud enim est id, à quo nomen desumitur, & aliud ad quod significandum assumitur, ex S. Thoma 1. part. qu. 13. art. 8. Sic lapis (inquit) sumitur à lædendo pede, nec tamen significat læsionem pedis, sed substantiam quandam corpoream. Quod si quis vellet substantiam categoricam substare accidentibus, ille deberet Deum à Categoria removere, & sic sumpsit substantiam categoricam Author libri de cognitione veræ vitæ cap. 3. qui habetur

betur inter opera Augustini tomo nono. Sed non sic debet sumi Categoria Substantiæ.

Instabis. Deus nulli potest subijci superiori: ergo non est substantia prout substantia idem est ac substans superioribus.

Distinguo antecedens. Nulli superiori subijci potest Deus realiter & physicè, concedo: logicè, nego: Namque in omnibus propositionibus quæ fiunt de Deo, Deus subijcitur logicè, cum sit subjectum ejusmodi propositionum, ita etiam Deus subijcitur substantiæ logicè, cum de eo fieri possit hæc propositio: Deus est substantia.

Obijcies ultimò. Quod ponitur in Categoria debet esse genus, vel species, vel individuum, ut patet ex definitione Categoriæ: Atqui Deus nec est genus, cum non prædicetur de multis specie differentibus: nec species, cum non prædicetur de multis divisim: nec individuum propriè dictum, c m non sit incommunicabilis, sed prædicetur de tribus personis. Ergo Deus non ponitur directè in Categoria.

Distinguo secundã partẽ minoris. Deus non est species prædicabilis divisim, concedo: non est species subijcibilis, nego.

Instabis. Nulla est species subijcibilis, quæ non possit esse prædicabilis divisim: Atqui Deus nõ potest esse prædicabilis divisim: Ergo Deus non est species subijcibilis.

Nego majorem. Nam in sententia Thomistarum, qui præsertim hic nobis adversantur, omnes Angeli sunt species subijcibiles quæ nullo modo possunt esse prædicabiles, cum ex S. Thoma 1. part. qu. 4. non possunt esse plures Angeli ejusdem speciei.

Urgebis. Species componitur ex genere & differentia: Atqui Deus non componitur ex genere & differentia, cum sit simplicissimus: Ergo Deus non est species.

Distinguo majorem. Species componitur ex genere & differentia, virtualiter & per mentem, concedo: realiter nego: at nihil vetat Deum virtualiter componi: tantum enim

enim abeſt, ut compoſitio virtualis invehat imperfectionē quin inmô oſtendit magnam perfectionem: oſtēdit enim rem, quamvis realiter ſimplicem, pluribus tamen diſtinctis æquivalere.

Dices. Compoſitio virtualis eſt à parte rei: Ergo ſi Deus eſſet compoſitus virtualiter, eſſet compoſitus à parte rei, quod eſt abſurdùm.

Nego conſequentiam: Sicut ex eo quod ſol ſit virtualiter calidùs, non ſequitur ſolem eſſe calidum à parte rei, ſed tantum perinde poſſe producere calorem, ac ſi eſſet revera calidus: ſic ex eo quòd Deus ſit compoſitus virtualiter, non ſequitur Deum eſſe cōpoſitum à parte rei; ſed duntaxat Deum proinde poſſe fundare compoſitionem rationis, diverſoſque conceptus terminare, ac ſi de facto eſſet compoſitus.

Quærunt hîc vulgò an Chriſtus ponatur in Categoria? ſed

Hæc quæſtio in in noſtrâ ſententiâ nullam patitur difficultatem, nam Chriſtus ut homo eſt individuum naturæ humanæ, & proinde tam ponitur in Categoria, quàm cæteri homines. Chriſtus etiam, ut Deus, eſt in Categoria ut probatum eſt: Chriſtus verò, ut Deus homo conjunctim non ponitur in Categoria, quia multas complectitur naturas eſſentialiter completas.

II. CONCLUSIO.

ANgeli & cœli ſunt in Categoria ſubſtantiæ.

Probatur. Quæ habent omnes conditiones ad Categoriām requiſitas, ſunt in Categoria: Atqui Angeli, & Cœli habent omnes conditiones ad Categoriam Subſtantiæ requiſitas, tum generales, ſunt enim entia vera, per ſe, incomplexa, ſynomima, & completa: tum ſpeciales huic prædicamento; nam per ſe ſubſiſtunt, nec indigent ſubjecto inhæſionis: Ergo Angeli & Cœli ſunt in Categoria ſucſtantiæ,

Objicies. Ex Ariſtotele 10. Metaph. 10. corruptibile, & incorruptibile differunt genere; Atqui Angeli & Cœli

sunt incorruptibiles: Ergo non ponuntur in eodem genere cum substantijs incorruptibilibus.

Distinguo majorem. Ex Aristotele corruptibile & incorruptibile differunt genere physico, hoc est materia, concedo: differunt genere logico, nego. Aristoteles itaq; hoc dixit, quia putavit materiam cœlestem non esse ejusdem rationis cum sublunari. Materia enim & genus pro se invicem promiscuè sumũtur, propter maximam, quam inter se habent, analogiam, ex Philosopho, 5 1. Metaphys. cap. 28. Hæc solutio colligitur ex divo Thoma 1. part. qu. 66. art. 2. ad 2.

DISSERTATIO INTERCALARIS, *De Accidente prædicamentali.*

OPpositorum eadem est scientia, ex Aristotele 5 1. Eth. 1, & priùs agendum est de posteriori, quàm ad species descendatur ut omnis evitetur confusio, quare cum Accidens prædicamentale opponatur Substantiæ categoricæ; & novem sequentes Cateriæ sint illius accidentis species, quædam hìc dicenda sunt de accidente categorico.

CAPUT PRIMUM, *De nomine, notione & existentiâ Individui.*

REpetendum est ex sectione de Accidente communi; Accides sumi tribus modis: scilicet physicè, metaphysicè, & logicè. De accidente logico eò loci diximus: hic dicemus de accidente physico: non quod sequentes omnes Categoriæ sint accidentia physica (septem enim ultimæ sunt tantùm accidentia metaphysica, ut patebit in progressu) sed quia pleraque eorum, quæ collocantur in duobus sequentibus, talia sunt.

Accidens physicum sic dicitur quia accidit physicè alteri, puta substantiæ, cui inhæret: nam substantiam substare accidentibus, & accidentia accidere seu advenire substantiæ sunt correlata.

Accidens ergo physicum concipi potest, ut ens debile indigens subjecto cui inhæreat.

Dari accidentia physica tot sunt testes, quot sensus, quorum scilicet objecta omnia propria, sunt accidentia physica.

CAPUT SECUNDUM

De causis Accidentis physici.

CAusa finalis Accidentis physici est substantiæ generatio, conservatio, perfectio: unde ab Aristotele . Metaph. 1. dicitur, Entis ens, quia non est propter se, sed propter substantiam. Hinc Porphyrius cap. penultimo Isagoges dicit accidens habere naturam substantiæ inexistentem.

Causa efficiens accidentis physici est vel substantia, vel aliud accidens: sic substantia ignis est causa efficiens caloris ignei, & calor ignis est causa efficiens alterius caloris extra ignem producti.

Causa materialis accidētis physici est subjectum, in quo recipitur.

Causa formalis accidentis physici propriè nulla est, quia ipsum accidens est forma.

Definitur autem, Ens inhærens. Quid sit inhærere dictum est sectione 3. de anteprædicamentis.

Porro inhærentia, quæ est de essentia accidentis nec est aptitudinalis, nec actualis: sed radicalis, ut diximus, de subsistentia in substantia, & ut patebit sectione sequenti.

CAPUT TERTIUM,

De proprietatibus Accidentis physici.

VNica est proprietas accidentis physici in genere, puta inhærentia, ratione cujus.

Quæritur 1. an accidens naturaliter esse possit sine subjecto?

Respondeo negativè cum Aristotele in secunda divisione antepraedicamentali. Ratio est quia forma non creata, sed educta ex subjecto non potest esse naturaliter sine subjecto : at accidentia non sunt creata sed educta ex subjectis, ut patet ex eo quòd omnia ferè accidentia naturalia producantur ab agentibus naturalibus, quae creare non possunt : Ergo accidentia non possunt naturaliter esse sine subjectis. Adde quòd magnum miraculum habeatur, quod in tremendo altaris mysterio accidentia remaneant sine subjecto.

Quaeritur 2. an accidens saltem divinitus possit esse sine subjecto?

Respondeo affirmativè. Responsio est de fide.

Probatur 1. Ita se habet inhaerentia actualis ad accidens, quo modo se habet subsistentia actualis ad substantiam : Atqui fatentur Haeretici nostri substantiám esse posse sine propriâ substantiâ actuali propter mysterium Incarnationis : Ergo fateantur necesse est, accidens posse quoque esse sine inhaerentiâ actuali.

Probatur 2. Deus potest supplere concursum cujuscunque causae extrinsecae non vitalis : Atqui subjectum accidentis est ejus causa extrinseca non vitalis : Ergo Deus potest supplere illius concursum, & proinde accidentia conservare sine subjecto ; maximè cum accidens & subjectum diversas habeant extstentias.

Obijcies. Accidens est ens inhaerens : Atqui si accidens esset sine subjecto, non esset ens inhaerens : Ergo tunc accidens non esset accidens, quae est manifesta contradictio.

Distinguo majorem. Accidens est ens inhaerens realiter, concedo : actualiter, nego : differentiae enim creaturarum in radicibus ferè consistunt.

Instabis. Si accidens esset sine subjecto, per se subsisteret : Ergo nullo modo foret ens inhaerens.

Distinguo antecedens. Accidens per se subsisteret, negativè, hoc est non inhaereret actu, concedo : per se subsisteret positivè, id est haberet positivam firmitatem sub-

stantiae,

ſtantiæ, nego: ſemper enim ex naturâ ſuâ exigeret eſſe in ſubiecto.

Quæritur 3. An accidens naturaliter migrare poſſit de ſubiecto in ſubiectum.

Reſpondeo negativè: quia cùm accidens educatur è ſubiecto: ab eo iugiter pendet in conſervari: Ergo migrare non poteſt de ſubiecto in ſubiectum.

Obiicies 1 Albedo parietis tranſit à pariete in veſtes, odor culinæ tranſit à cibis ad nares: color tinctivorum tranſit ab ea quæ tinguntur, v. g. ad pannos, fila, &c. Ergo accidens migrat à ſubiecto in ſubiectum.

Diſtinguo antecedens. Color & odor tranſeunt ſimul cùm ſuis ſubiectis & vehiculis, concedo: ſine ſubiectis, nego: nam albedo non ſola migrat, ſed cum gypſo v. g. nec odor aſcendit ſolus, ſed cum partibus ſubtilioribus in halitus quoſdam exhalatis: nec colores ſoli tranſeunt ad ea quæ tinguntur, ſed ſimul ſuccis, quæ in poris eorum quæ tinguntur, exſiccantur penitus ex Philoſopho cap. de coloribus, ut probat ex eo quod ſæpe tincta per aquam colorem amittant: tinctivis ex eorum poris effluentibus.

Obiicies 2. Quando noctu transfertur candela è cubiculo in cubicum, lumen quoque migrat: Ergo accidens migrat de ſubiecto in ſubiectum.

Nego tunc lumen migrare: ſed dico perire lumẽ quod erat in uno cubiculó, & produci novum in alio..

Inſtabis. Sol lumen per aërem tranſmittit: Ergo lumẽ tranſit de ſubiecto in ſubiectum.

Diſtinguo antecedens. Sol lumen per aërem tranſmittit propagativè, & productivè concedo: localiter, nego: non enim credendum eſt lumen, quod eſt in infima aeris regione, v. g. localiter tranſijſſe per ſupremam & mediã, cum à ſole producatur in eodem ſubiecto, in quo eſt. Unde illa vocabula tranſmiſſio, vibratio, reflexio, &c. analogice tantùm tribuuntur qualitatibus.

CAPVT QVARTVM,

De divisione Accidentis Categorici.

ACcidens dividi potest in spiritale & corporeum, in supernaturale & naturale, in vitale, & non vitale; in permanens, successivum & instantaneum; in naturale, violentum & indifferens: quæ divisiones satis claræ sunt.

Accidens prædicamentale dividitur in novem ultimas Categorias, ut videre est disputatione superiori, in divisione Entis categorici.

Quidam arbitrantur, Accidens quod dividitur in novē Categorias esse accidens physicum: sed eos refellemus infra ostendendo septem ultimas Categorias, nullam superaddere subjectis entitatem, & proinde non esse accidentia physica.

Accidens ergo quod dividitur in novem categorias est accidens metaphysicum, quod opponitur essentiæ, & prædicatur tantùm paronymè de substantijs singularibus, sive ab illis distinguatur realiter, sive non.

Accidens autem physicum duplex ad summum est: scilicet quantitas & qualitas: De utroque deinceps agendum.

SECTIO SECUNDA,

De Quantitate.

CAPUT PRIMUM,

De nomine, notione, & existentia Quantitatis.

QUantitas sumitur tribus modis. 1. latissimè pro quâvis perfectionum magnitudine: 2. latè pro quantitate abstrahendo à continuâ & discretâ: 3. proprè pro solâ Quantitate continuâ.

Quanti-

Quantitas latiſſimè ſumpta dividitur in Quantitatem virtutis, & Quantitatem molis.

Quantitas virtutis, eſt quævis rei perfectio quo ſenſu dicitur, Deus maximus, magnum ingenium.

Quantitas molis, eſt extenſio, ſucceſſio, vel multitudo partium: unde dicitur, magnum corpus, magnum tempus, magnus numerus.

Quantum definitur ab Ariſtotele 5. Metaphyſ. cap. 13. his verbis. Diviſibile in ea quæ inſunt, quorum utrumq; vel unumquodque, unum quid & hoc aliquid eſt aptum eſſe.

Quantitas vulgò deſcribitur à Logicis, id quod reſpondetur ad quæſtionem factam per quot vel quantum: ut quanta linea? bipedalis: quantùm temporis, biennium quot elementa? quatuor.

Exiſtere quantitatem patet; nihil enim ſentimus niſi quantum, quidquid menſuramus, aut numeramus quantum eſt.

CAPVT SECVNDVM.

De cauſis Quantitatis.

PRætermittimus hìc cauſas quantitatis continuæ, quia de illis dicemus fusè in Phyſicis agendo de magnitudine, motu, & tempore.

Supponimus tantùm illius naturam eſſe poſitam in extenſione quadam, ut ibi probabimus.

Sed hic expendimus naturam Numeri, quia de illo deinceps non recurret mentio.

Obſerva duplicem diſtingui vulgò numerum, ſcilicet numerum materialem, & numerum formalem.

Numerus materialis ſeu numerabilis, ſunt res quæ poſſunt numerari, v. g. cœli.

Numerus formalis eſt forma numeri, quæ conſtituit numerum in tali ſpecie, v. g. trias, quæ conſtituit numerũ cœlorum in ſpecie ternarij.

Addi potest numerus, puta actio intellectus numerantis: quæ dicitur numeratio.

De formâ numeri quatuor sunt opiniones: quarum Prima contendit formam numeri esse ens rationis: Secũda vult formam numeri esse entitatem quandam rebus numeratis realiter superadditam: Tertia asserit formam numeri esse solam unitatem ultimam v. g. formam triadis esse tertiam unitatem prout est ultima. Quarta denique statuit formam numeri esse collectionem realem omniũ unitatum ad ipsis unitatibus numeralibus realiter indistinctam, pro quâ sententiâ sit.

I. CONCLUS. Forma numeri non est ens Rationis.

Probatur 1. Quia nemine cougitante quatuor sunt elementa, & septem planetæ: res enim tot sunt, etsi tot esse non intelligantur, sicuti magnitudo tanta est, quamvis tanta esse non cogitetur.

Probatur 2. Numerus, Multitudo, Distinctio idẽ sunt realiter. Res enim esse multas, & esse distinctas sunt polyonima: Atqui distinctio est nemine cogitante in rebus, cum secundùm omnes detur distinctio realis. Ergo & multitudo seu numerus est nemine cogitante.

Probatur 3. Quia numerare non est numerum facere: sed tantùm quãtus sit numerus investigare: sicut mensurare non est magnitudinem facere, sed tantùm examinare quanta sit magnitudo: hinc mẽsura definitur 10. Metaph. 1. Id quo primo unumquodque cognoscitur.

Objicies 2. Ex Aristotele 4. Physic. ultimo, sublato numerativo (hoc est intellectu) tollitur numerus.

Distinguo. Sublato numerativo tollitur numerus in esse numerati, concedo: in esse numerabilis, nego. Fateor ergo numerum pendere à mente ut sit numeratus, sicut magnitudo ab eâdem pendet ut sit mensurata: sed contendo quod ut numerus sit numerus, non magis necessarium sit, ut numerus numeretur, quám necesse sit magnitudinem mensurari ut sit magnitudo. Hinc Philosophus 11 Metaph. 1. dicit tantum numerum esse numerabilem, sic ut magnitudo est mensurabilis. Obii.

Obijcies 2. Nemine cogitante in ſexpedâ non potius ſunt ſex pedes, quam bis tres: At ex Ariſtotele bis tria non ſunt ſex.

Reſpondeo. Revera eſſe ſex pedes in ſexpedâ, quamvis poſſit aliquis numerare tres, & poſtea tres: ſex enim ſunt tantùm ſemel ſex (inquit Philoſophus 5. Metaph. 14.) ſicut enim tanta eſt magnitudo ſexpedæ non minor, quãvis poſſit tantùm partialiter concipi: ita tantus eſt numerus pedum non minor, quamvis pedes ſeorſim cognoſci poſſint. Vult ergo tantùm Philoſophus bis tria & ſex formaliter & mentaliter diſtingui, quod ultrò fatemur.

II. CONCLUS. Forma numeri non eſt entitas rebus numeratis ſuperaddita.

Probatur 1. Quia ſi dualitas v. g. eſſet entitas realis duobus hominibus ſuperaddita, ſimul cum duobus hominibus faceret numerum entitatũ, ternariũ & rurſum trias illa entium ſimul cum tribus alijs entitatibus faceret numerum quaternarium entitatum, & ſic in infinitum. Abſurdum conſequens. Ergo, &c.

Probatur 2. Quia ſublatâ qualibet entitate ſuperadditâ, duo homines ſunt adhuc duo, nec plures nec pauciores.

Probatur 3. Quia idem numero accidens reale non poteſt naturaliter eſſe in ſubjectis loco diſſitis: Atqui ſi dualitas fratrum v. g. eſſet accidens ſuperadditum fratribus, poſſet eſſe in ſubjectis loco diſſitis, cum fieri poſſit ut altero fratrum Romæ degente, alter agat Pariſijs: Ergo forma numeri non eſt entitas rebus numeratis ſuperaddita.

III. CONCLUS. Forma numeri non eſt ultima unitas. Probatur. Tum quia unitas ultima non magis confert ad numerum, quam prima: tum quia dum baculus in duas partes frangitur dici non poteſt quænam ſit ultima unitas duorum minorum baculorum.

Ultima CONCLUS. Forma numeri eſt determinata collectio unitatum.

Eſt Philoſophi definientis decimi Metaphyſ. primi numerum multitudinem unitatum.

Sequitur ex præcedentibus: refutatis enim alijs sentētijs, nihil aliud superest, in quo reponatur forma numeri. Et certe cum numerus & multitudo idem sint, absurdū est requirere aliam in numero unitatem, quàm collectionis, unde etiam definitus est à quibusdam veteribus, Compositio unitatum, teste Philosopho 7. Metaph. 13.

Confirmatur. Sicut essentia quantitatis continuæ continuæ consistit in positione partium unitarum extra partes: sic essentia quantitatis discretæ consistit in entitativâ positione unitatum extra se invicem, alioqui nulla esset convenientia, nequidem analogica, inter quantitatem cōtinuam & discretam: Atqui hæc entitativa positio unitatum extra se invicem, est determinata collectio unitatum: Ergo in illâ collectione reponenda est forma numeri.

Obijcies. Si numerus nihil aliud esset, quàm collectio unitatum, sequeretur unicum esse numerum omnium entium. Falsum consequens: Ergo & antecedens.

Distinguo majorem. Sequeretur unicum esse numerū omnium entium in ratione entium, concedo: in ratione talium entium, nego: homogenea enim ut sic, unicum faciunt numerum: heterogenia verò diversum.

Ex quibus colliges causas numeri easdē esse cum causis rerum numeratarum: & proinde diversas pro diversis rebus numeratis.

CAPVT TERTIVM,

De proprietatibus Quantitatis.

TRes hîc affectiones categoricas Quantitatis affert Aristoteles, quæ explicandæ sunt.

Prima, Quantitati nihil est contrarium.

Dices 1. Magnum & parvum: item multa & pauca sunt contraria: Ergo Quantitas habet contrarium.

Respondeo cum Aristotēle hîc, illa non esse contraria, sed relativa: nihil enim per se parvum est, sed respectu alteri-

alterius : v. g. linea pedalis parva eſt, ſed reſpectu centupedalis, non ſecundum ſe.

Dices 2. Locus ſupemus eſt contrarius infimo : Ergo quanta ſunt contraria.

Diſtinguo antecedens. Locus ſupremus eſt infimo cōtrarius latè & localiter, concedo : propriè & ſubjectivè, nego : nam loca nō ſe expellunt ab eodem ſubjecto, quod tamen ad vera contraria requiritur. Solutio eſt Ariſtotelis hîc dicentis, Contrarietatem Quanti eſſe ſecundum locum.

Secunda, Quantitas non ſuſcipit magis & minus : ſic una linea non eſt magis linea quàm alia, etſi maior. Ratio eſt, quia ſuſcipere magis & minus eſt admittere plures aut pauciores ejuſdem formæ ſimul penetrativè in eâdem parte ſubjecti : Atqui partes, Quantitatis non ſimul penetrativè ponuntur in eâdem parte ſubjecti : cum vi extēſionis extra ſe invicem ponantur. Ergo Quantitas non ſuſcipit magis & minus.

Tertia, Quantitas eſt fundamentum æqualitatis & inæqualitatis : ſi quæ enim dicuntur æqualia aut inæqualia, quæ non habeant quantitatem, v. g. æqualia ingenia, æquales vires, ſic tantum dicuntur metaphoricè, ſicut dicuntur magna metaphoricè propter quantitatem virtutis.

CAPVT QVARTVM.

De diviſionibus Quantitatis.

TRes ſunt apud Ariſtotelem hic diviſiones Quantitatis nobis in hoc capite expendendæ, ut cognoſcamus quænam quantitates in hoc prædicamento locum habeant.

Prima, Quantitas alia eſt continua, alia diſcreta.

Quantitas continua, eſt ea cujus partes communi vinculo copulantur, cujus quinque ſpecies enumerat Ariſtoteles, ſcilicet Lineam, Superficiem, Corpus, Tempus, & Locum : quibus addi poteſt Motus : ſi quidem partes li-

neæ copulantur punctis, partes superficiei & loci lineis connectuntur, partes corporis copulantur superficiebus partes temporis instantibus, & partes motûs mutatis.

Quantitas discreta, est ea cujus partes nullo commu- vinculo copulantur, duplexque recensetur ab Aristotele, scilicet Numerus & Oratio.

Dividitur 1. Numerus in primum & non primum.

Numerus primus, est ille qui nullas habet partes aliquotas, quam unitates, qualis est decimus septimus, qui numerus sine fractione dividi non potest neque in dimidias, neque in tertias, neque in quintas.

Numerus non primus, est ille qui dividi potest in partes aliquotas alias ab unitatibus: ut vigesimus primus, qui numerus dividi potest in tres tertias, puta in ter septem.

Dividitùr 2. Numerus in imperfectũ & imperfectum.

Numerus perfectus, est ille quem omnes partes aliquot simul additæ adæquant, ut sex, viginti octo, 168.

Numerus imperfectus est ille quem omnes partes aliquotæ simul additæ non adæquant, & duplex est, scilicet imperfectus per excessum, & imperfectus per defectum.

Numerus imperfectus per excessũ est ille qui dividitur in partes aliquotas, quæ simul sumptæ superant totum, ut 12.

Dividitur 3. Numerus in digitalem, qui exprimitur unicâ notâ Arithmeticâ, scilicet 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9: Articularem, qui exprimitur unica nota arithmetica cum cifro uno vel multiplici, 10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90: & compositum constantem multis notis arithmeticis, ut 261. 674.

Dividitur quartò, in numerum parem & imparem.

Numerus par, est ille qui dividitur in duas partes æquales sine fractione, ut sex.

Numerus impar, est ille qni dividi non potest in plures partes æquales sine fractione, ut 7.

Nume-

Numerus par, vel eſt par primus vel par impar.

Numerns par primus, eſt ille qui dividitur & ſubdividitur ſemper in partes æquales uſque ad unitatem, ut 64. 32. 16. 8. 4. 2. 1.

Numerus par impar, eſt ille numerus par qui dividitur in numeros impares antequam diviſio perveniat ad unitatem, ut 100. 50. 25..

Secunda diviſio Quantitatis apud Ariſtotelem hæc eſt: Quantitas alia eſt poſitionem ſeu ſitum habens, ut Linea, Superficies, Corpus: alia ſitum non habens, ut Tempus, Numerus, Oratio. Ut Quantitas poſitionem habeat, opꝰ eſt ut ſimul ſit permanens & continua, ut colligitur ex Ariſtotele hîc: aliæ enim quantitates dici poſſunt habere ordinem, ſed non ſitum.

Tertia, Quantorum alia ſunt quãta per ſe, quæ ſe ipſis quanta ſunt, ut Linea: alia quanta per accidens, quæ ſunt quanta per aliud, ut album.

Addi poteſt quãrta diviſio Quantitatis in permanentẽ & ſucceſſivam.

Quantitas permanens, eſt ea cujus partes eodem tempore exiſtunt, ut Linea.

Quantitas ſucceſſiva, eſt ea cujus partes in perenni fluxu poſitæ ſunt, ut Tempus.

Quæritur hîc quænam ex illis omnibus quantitatibus locum habeant in prædicamento?

Certum eſt 1. Quantum per accidens non poni in Categoriâ, cum non ſit ens per ſe.

Certum eſt 2. Numerum non poni in Categoria, cum ex dictis capite ſuperiori Numerus ſit ens per accidens, ut pote determinata collectio unitatum, etiam ſæpius phyſice non unitarum: Et certè plerique eorum qui numerũ reponunt in hoc prædicamento fatentur numerum rerum ſpiritalium (quem tranſcendentalem vocant) non poni in Categoriâ. Atqui numerus rerum corporearum (quẽ vocant categoricum) ejuſdem eſt rationis formalis cum numero rerum ſpiritalium: alia enim non opus foret Arithme-

rithmetica ad Angelos, quàm ad nummos numerandos. Ergo nullus numerus ponitur in Categoria.

Unde sequitur orationem quoque non esse in Categoria, cum nihil sit aliud, quàm numerus syllabarum.

Hinc patet solam quantitatem continuam in hoc prædicamento collocari.

Si dicas Aristotelem quãtitatem discretam reposuisse in Categoria Quantitatis.

Respondeo cum S. Thoma 1. part. qu. 48. art. 1. ad 1 consuevisse Aristotelem in libris logicalibus ponere ea, quæ probabilia erant suo tempore secundum opinionem Philosophorum, nec ea rigorosiùs examinasse, quia Logico satis erant. Hanc solutionem omnes ferè usurpare tenentur, quia pauci admodum admittunt orationem & logicum pro quantitatibus categoricis, licet à Philosopho inter quantitates categoricas recenseantur: & plerique reponunt motum in hac categoria: à qua tamen Philosophus eum exclusit, ut mox patebit.

Verùm etsi sola quantitas continua ponatur in hac categoria: non sequitur omnem in ea collocari: itaq; jam examinandum est utrùm tùm permanens, tum successiva in ea collocatur.

Constat Locum non esse speciem quantitatis à cæteris saltem distinctam: quia Locus vel est imaginarius, vel realis: Locus imaginarius non est ens positivum, ut omnes fatentur, nec proinde est ens categoricum: Locus verò realis definitur ab Aristotele 4. Physic. 4. superficies prima corporis ambientis immobilis, & proinde non est species quantitatis à superficie saltem distincta.

Itaque difficultas tantùm est de linea, Superficie, Corpore, Tempore, & Motu.

I. CONCLUS. Linea, Superficies & corpus sunt in hac Categoria.

Probatur. Linea, Superficies, & Corpus participant omnes conditiones, ut in hoc prædicamento collocentur, tum generales: sunt enim entia, vera per se, incompleta, synoni-

ſynonima, & completa: tum ſpeciales, participant enim eſſentiam quantitatis, puta extenſionem: Linea enim extenſa eſt ſecundùm longitudnē, ſuperficies ſecundùm longitudinem & latitudinem, corpus ſecundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Participant etiam affectiones quantitatis, ſcilicet non habent contrarium, nō ſuſcipiunt magis & minus, ſunt fundamenta æqualitatis & inæqualitatis. Ergo ſunt in hac Categoriâ.

Obijcies. Linea & ſuperficies ſunt entia incompleta, quia ingrediuntur compoſitionem ſolidi. Ergo non ponūtur in categoriâ.

Diſtinguo antecedens. Si linea & ſuperficies ſpectentur prout ſunt indiviſibiles, concedo: Si prout diviſibiles & extenſæ, nego: Nam Linea eſt quidem ens imcompletū prout dicit negationem latitudinis & profunditatis, ſicque ſpectata ingreditur compoſitionem ſuperficiei tanquam ejus vinculum, & terminus: ſed non eſt ens incompletum ſecundùm longitudinem, & proinde ſecundùm eam poni poteſt in categoria: Idem dic de ſuperficie reſpectu ſolidi.

II. CONCLUS. Tempus ponitur in hac Categoria.

Probatur. Tempus habet omnes conditiones requiſitas ut ſit in hoc prædicamento, tum generales, cum ſit ens verum, per ſe, &c. tum ſpeciales cum ſit extenſum & fundamentum æqualitatis & inæqualitatatis; Ergo Tempus eſt in hoc prædicamento.

Obijcies 1. Ens incompletum non poteſt poni in categoriâ: Atqui Tempus eſt ens incompletum: illud enim eſt incompletum, quod non eſt totum ſimul: Tempus autem eſt ejuſmodi. Ergo non eſt in categoria.

Nego minorem ad probationem, diſtinguo majorem. Illud eſt ens incompletnm, quod non habet omnes ſuas partes ſimul, ſi exigat eas habere ſimul, concedo: ſecùs, nego: at Tempus non exigit habere omnes ſuas partes ſimul, ſed in perenni fluxu: & proinde non eſt ens incompletum, ſed perfectum, cum ei nihil deſit, quod jam exigat.

Obiici.

Objicies 2. Tempus ponitur in Categoriâ. Ergo non est in Categoriâ quantitatis.

Distinguo. Si tempus sumatur relativè ad subjectum, prout scilicet illud reddit durans, concedo: si sumatur absolutè & secundùm se, prout in se extensum est, nego.

III. CONCLUSIO. Motus non ponitur in hac Categoria.

Probatur 1. Authoritate Philosophi, qui hîc expressè docet actionem & motum esse tantùm quanta per accidens. Et certè duplex tantùm extensio cogitari potest in motu: una, quæ desumitur à termino, qui acquiritur v.g. à loco, ut cum ambulatio dicitur magna, vel parva: alia, quæ desumitur à tempore, quod insumitur, ut cum, ambulatio dicitur brevis vel diuturna: & proinde motus de se non est quantus, sed per aliud: unde sicut substantia extensa non ponitur in Categoria quantitatis, sed tantùm ejus extensio: ita mutatio successiva non debet poni in Categoriâ quantitatis, sed tantùm ejus successio.

Probatur 2. ratione. Quod constat entibus ad diversas Categorias pertinentibus, non ponitur in unâ Categoriâ, cum sit ens per accidens saltem logicè: Atqui Motus cōstat entibus ad diversas Categorias pertinentibus, scilicet mutatione, quæ pertinet ad Categoriam actionis vel passionis, prout activè vel passivè sumitur, & successione quæ est species quantitatis, puta tempus: Motus enim definitur mutatio successiva: Ergo Motus non est in Categoriâ.

Objicies. Successio mutationis non distinguitur realiter à mutatione: Ergo mutatio successiva non est ens per accidens.

Distinguo consequens. Mutatio successiva non est ens per accidens physicè, concedo: logicè, nego: Nam quidquid constat essentialiter entibus ad diversas categorias pertinentibus, est ens per accidens logicè, & proinde nō debet in unicâ categoriâ collocari, alias confunderentur quæ distinguenda sunt.

Insta-

Instabis. Motus est per se extensus : Ergo Motus ut extensus nō est ens per accidens, proindeque ponitur in categoria quantitatis.

Transeat antecedens, quod falsum esse constat ex prima Probatione nostræ Conclusionis : nego consequentiam : nam sicut homo quamvis per se intellectivus sit, non ponitur tamen in eadem Categoria cum intellectu, cum quo Proinde facit ens per accidens saltem logicè : ita quamvis Motus foret per se extensus, non poneretur tamen in eadē categoria cum sua extensione, extensum enim non ponitur in categoria qnantitatis, sed extensio.

SECTIO TERTIA,

De Qualitate.

QUalitatem in prædicamentis Relationi postposuit Philosophus : sed præposuit in Antepræedicamentis & 5. Metaph. quod sequi malumus : quia Qualitas majorem habet cum Quantitate affinitatem : Relatio vero cum sex ultimis Categorijs.

CAPUT PRIMUM,

De nomine, notione & existentiâ Qualitatis.

QUalitatis nomen variè sumitur. 1. ex Aristotele 5. Metaph. 14. pro differentiâ essentiali : unde Differentia dicitur prædicari in quale quid, & vocatur, Qualitas generis. Hinc affirmatio & negatio dicuntur qualitates essentiales propositionis : & Rationale vocatur à Porphyrio cap. de differentiâ , Qualitas. 2. pro quolibet accidente metaphysico , quo sensu proprium & accidens commune dicuntur prædicari in quale. 3. propriè pro eo accidētis genere de quo hîc agimus, per quod propriè respondetur ad quæstionem factam per qualis est res : quo sensu.

Qualitas non malè concipitur à Philosopho hîc, secundum quam quidam quales esse dicuntur.

Dari

Dari qualitates testantur, tum sensus, qui nihil percipiunt nisi sit qualitas, aut aliquâ qualitate affectum: tum operationes omnes præter emanationes, quæ scilicet à qualitatibus proximè proficiscuntur.

CAPUT SECUNDUM.

De causis Qualitatis

CAusa finalis qualitatis est substantiæ bonum, quia qualitas cedit in commodum aut ornamentum substãtiæ, eique inservit aut ad essendum aut ad operandum.

Causa efficiens qualitatis est vel subjectum in quo residet qualitas, si aut emanativè aut vitaliter producitur: vel aliquot agens externum.

Causa materialis est subjectum, in quo residet qualitas.

Causa formalis alia non est ab ejus descriptione, quam superiori capite ex Aristotele retulimus.

Decsribi etiam potest Qualitas, Accidens absolutum sequax formæ. Per ly absolutum distinguitur à septem ultimis Categorijs: per ly sequax formæ, distinguitur à quantitate, quæ sequitur materiam.

Qualitas dicitur sequi formam, quia sicut forma determinat materjam ad aliquod esse substantiale: ita qualitas subjectum determinat ad aliquod esse accidentale, denotans formam seu essentiam subjecti in quo est: v. g. dispositio seu temperamentum corporis naturalis, ejus potentiæ naturales, patibiles qualitates qualitates & figuræ denotant essentiam, corporis, naturalis: corporum enim heteregeneorum semper heterogeneæ sunt dispositiones, & potentiæ, & sæpius patibiles qualitates & figuræ: ut videre est præsertim in viventibus.

CAPUT TERTIUM.

De proprietatibus Qualitatis.

TRes afferuntur à Philosopho hîc Qualitatis affectiones. Prima:

Prima: Qualitas habet contrarium. Sic justitia adversatur injustitiæ, & albedo nigredini. Hæc proprietas convenit tantum quibusdam qualitatibus primæ & tertiæ speciei: nam qualitates secundæ & quartæ speciei non habent contrarium, ut patebit attendenti.

Secunda: Qualitas suscipit magis & minus: non quod hoc conveniat omni, nam figura (teste Philosopho hîc) non suscipit magis & minus: sed quod per se conveniat soli qualitati.

Tertia: Qualitas est fundamentum similitudinis & dissimilitudinis: ut enim omnia quanta æqualia sunt aut inæqualia: sic omnia qualia sunt similia aut dissimilia.

Quarta posset addi, quod scilicet substantia à qualitatibus paronymis denominentur, vel re & nomine, ut à Grāmatica Grammaticus, vel re saltem ut à virtute studiosus, ut ait hîc ipse Philosophus unde sic.

Definit qualia, quæ per qualitates denominativè dicūtur, vel quomodocunque ab illis appellantur.

CAPUT QUARTUM,

De *Qualitatis divisione.*

Qualitas dividitur ab Aristotele hîc in quatuor species, easque bimembres, scilicet in habitum & dispositionem: potentiam & impotentiam, patibilem, qualitatem, & passionem, formam & figuram, quæ divisio.

Probatur. Omnis qualitas, vel determinat substantiam, vel quantitatem substanitæ. Si determinat substantiam, vel eam determinat ab benè aut male essendum operandum, estque habitus & dispositio: vel ab agendum aut patiendum realiter, estque potentia vel impotentia: vel ad agendum aut patiendum intentionaliter, estque patibilis qualitas & passio: Si determinat quantitatem substantiæ, est forma& figura. Ita ferè S. Thomas, 1. 2. qu. 49. art. 2.

Dices.

Dices 1. Aristoteles hîc sic habet: Alius forsan est modus qualitatis, sed illi sunt fere qui maximè celebrantur. Ergo non est adæquata superior divisio.

Nego consequentiã: Ille enim textus ostendit tantũ, quod sæpe diximus, Philosophum in categorijs res exactè non expendere, quandoquidem hic utitur adverbio dubitandi forsan: sed ea afferre, quæ suo tempore vulgata erant, ut ostendunt posteriora illius textus verba: sed illi ferè sunt, qui maximè celebrantur.

Dices 2. Raritas & densitas, asperitas & levitas sunt qualitates: Atqui reduci non possunt ad ullam speciem è superioribus: Ergo plures sunt assignandæ.

Nego majorem. Nam ut ait hic ipse Philosophus, Rarum & densum, asperum, & leve, quale quiddam videntur significare, sed aliena sunt à qualitatis divisione: sitũ enim potiùs verba illa significant.

Singulæ illæ species deinceps sunt discutiendæ.

ARTICULUS PRIMUS,
De Habitu & Dispositione.

HAbitus apud Philosophos sumitur quinque modis: 1. pro modo quodam possessionis, quo sensu est unum ex Post prædicamentis: 2. pro ultimo prædicamento, à quo res habet ut sit vestita, armata, vel ornata: 3. pro qualibet formâ: unde illud effatum, à privatione ad habitum non datur regressus: 4. pro primâ specie qualitatis, abstrahendo à facilè & difficilè mobili. 5. Denique strictè pro primâ specie qualitatis difficilè amobili à subjecto, oppositâ dispositioni strictè sumptæ.

Dispositio sumitur quatuor modis. 1. pro situ: 2. pro quolibet accidente præparante subjectum ad aliud: 3. pro totâ primâ specie qualitatis, quo sensu hic dicit Philosophus, omnem habitum esse dispositionem, non contra: 4. strictè pro primâ specie qualitatis facile amobili à subjecto, quo sensu opponitur habitui strictè sumpto.

Primâ

Prima hæc species Qualitatis vulgò definitur, Qualitas facilitans potentiam ad agendum: sed hæc definitio non est legitima: tum quia characteres sacrametales sunt habitus, nec tamen inserviunt ad operandum: tum quia morbus hic recensetur à Philosopho inter dispositiones, nec tamen inservit ad operandum: tum denique quia secundùm illam definitionem, nulla ratio afferri potest, cur Philosophus habitum præmiserit potentiæ: Superior itéq; definitio non est definitio habitus in genere, sed habitus operativi: de quo in Moralibus.

Definitur ab alijs, Qualitas insensibilis adventitia. Sed etiam malè, nam ut ait S. Thom, 1. 2. qu. 49. art. 2. sunt multæ dispositiones non adventitiæ, sed naturales, sicut sanitas & pulchritudo, quæ etiam afferuntur à Philosopho pro primâ hac specie: Adde quod per illam definitionem reddi non possit ratio, cur habitus & dispositio à Philosopho potentiæ præmittantur.

Difinienda ergo est hæc prima species, Qualitas benè vel malè disponens subjectum, aut secundum se ipsum, aut in ordine ad aliud, puta ad operationem, quæ definitio habetur 5. Metaph. cap. 20. Et probatur, quia in hoc distinguitur hæc prima species à cæteris, quod benè vel malè disponat rem: in alijs enim speciebus non attenditur ratio convenientiæ aut disconvenientiæ, aut si quando attendatur, tunc reducuntur ad primam hanc speciem: unde & ipsæ figuræ, & patibiles qualitates, (inquit S. Thomas art. citato id primum) secundùm quod considerantur ut convenientes aut non convenientes naturæ rei, pertinent ad habitus vel dispositiones. Nam figura prout convenit naturæ rei, & color pertinet ad pulchritudinem: calor autem & frigus secundùm quod conveniunt naturæ rei, pertinent ad sanitatem. Et hoc modo caliditas & frigiditas ponuntur à Philosopho in primâ specie Qualitatis.

Adde quod per hanc definitionē, facile reddatur ratio, cur Philosophus habitum & dispositionem præmiserit potentiæ: cum habitus & dispositio respiciant per se primò

naturam

naturam rei. Potentia autem & impotentia functiones, quæ naturam rei supponunt.

Hæc species continet Habitum & Dispositionem, sicq; dividi potest.

Habitus benè aut malè disponit naturam: vel secũdùm se, ut sanitas, morbus, pulchritudo, &c. vel in ordine ad operationem. Tuncque vel ut principium actionis vel ut terminus actionis: si ut principium actionis, aut se tenet ex parte objecti; estque species impressa: aut se tenet ex parte potentiæ, estque habitus operativus, qui dividitur in supernaturalem aut infusum, ut est Fides, Spes, Charitas; lumen gloriæ & in naturalem, qui iterum subdividitur in corporeum, ut est imaginativus & appetitivus, & spiritualem, ut est intellectualis & moralis. Si habitus est terminus actionis, est species expressa in potentijs cognoscitivis, pondus in potẽtijs appetitivis, & impetus ex parte potentiæ motricis.

Habitus & Dispositio differunt in eo quod Habitus sit difficilè mobilis à subjecto: Dispositio verò facilè mobilis: quod discrimen accidentale tantum est, cum eadem res modo possit esse facilè mobilis & proinde Dispositio, modo difficilè mobilis, & proinde Habitus, ut patet in scientiâ & valetudine, ex Philosopho hîc.

ARTICULUS SECUNDUS,

De Potentiâ & Impotentiâ.

SEcunda species Qualitatis definitur: Qualitas à naturâ datâ, vel ad agendum, vel ad patiendum, vel ad resistendum.

In hoc differunt Potentia & impotentia, quod Potentia sit fortior, ut visus in juvene: Impotentia verò debilior, ut visus in decrepito sene, unde impotentia hic non denotat absentiam facultatis naturalis, sed imbecillitatem ejus.

Differt Potentia ab Habitu: 1. quod Potentia per se primò respiciat actum aut munus: Habitus vero etiam

naturam

naturam rei, ut articulo superiori dictum est. 2. quod omnis Potentia sit à naturâ, non omnis Habitus. 3. quod omnis Potentia activa det operari simpliciter: non autem omnis Habitus operativus, ut patet in habitibus acquisitis.

Divisio hujus secundæ speciei hæc est.

Potentia & Impotentia, dividitur in Activam, Passivam ut est durities.

Activa, vel est vitalis, vel non vitalis, ut vis calefaciendi, illuminandi, &c.

Vitalis est Generica, vel Specifica, ut vis latrandi, hinniendi, &c.

Generica triplex, vegetativa, sensitiva, rationalis.

Vegetativa duplex, Princeps, & est nutrix, auctrix, & genitrix; Ministra, quæ est attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix.

Sensitiva triplex, scilicet Sensus, Appetitus, & Vis motrix. Sensus duplex, Internus, qui dividitur in sensum cõmunem, phantasiam seu imaginationem, memoriam sensitivam, & æstimativam & externus, qui dividitur in visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum. Appetitus duplex, nimirum concupiscens & irascens. Vix motrix duplex, vitalis, ut cordis, pulmonum, &c. & animalis, ut vis gradiendi, volandi, natandi, rependi, & serpendi.

Rarionalis triplex est, Voluntas, Intellectus, & Memoria intellectiva.

ARTICULUS TERTIUS,

De Patibili Qualitate & Passione.

Tertià species Qualitatis vulgò definitur, Qualitas unico sensu externo perceptibilis.

Verum hoc sensu complecteretur tantum qualitates corporeas: ut apud Philosophum hic latius patet: extendit enim etiam se usque ad animam (inquit Philosophus) continetque etiam passiones seu motus animæ tum habituales,

tuales, v. g. promptitudinem ad iraſcendum, dolendum, &c. tum actuales, v. g iram, triſtitiam, &c.

Definienda eſt itaque, Qualitas aut alterationem in ſenſibus cauſans, aut ex non naturali quadam alteratione orta: Sic dulcedo, color, frigus alterant ſenſus quibus percipiuntur: rubor verò erubeſcentis, aut pallor trepidantis, oriuntur ex nō naturali alteratione ſubjecti: Hæcque ſpecies vel eſt Patibilis Qualitas vel Paſſio.

Patibilis Qualitas & Paſſio in eo differunt, quod patibilis qualitas ſit diuturnior, ut rubore ex temperamento, paſſio verò citó, tranſeat; ut rubore ex pudore, quod diſcrimen planè accidentale eſt, ut innuit Philoſophus.

Diviſionem hujus Speciei ſic accipe.

Pattbilis qualitas & Paſſio, vel eſt inſenſibilis ſeu in anima, ut iracundia, ira, &c. vel ſenſibilis, quæ dividitur in viſibilem, ut eſt lumen, color: audibilem ſeu ſonum, ut eſt vox; odorabilem ſeu odorem: guſtabilem ſeu saporē: & tactilem, ut eſt calor, frigus, humiditas, ſiccitas.

ARTICULUS QVARTUS.

De Formâ & Figurâ.

QUarta Qualitatis ſpecies definitur: Qualitas exterius determinativa quantitatis. Et complectitur Formā & Figuram.

Forma & Figura in hoc differunt, quod Forma dicatur in rebus phyſicis & naturalibus: Figura verò in mathematicis & artificialibus. Hinc rotunditas cœli forma eſt, rotunditas verò circuli deſcripti, aut pilæ, figura eſt: quod diſcrimen tantùm accidentale eſt.

Porrò Forma & Figura non diſtinguuntur realiter à quantitate: quia ſunt tantum modi quantitatis, cum nequidem divinitus poſſint eſſe ſine illâ: at Modi non diſtinguuntur realiter à rebus modificatis, ut patebit ex ſequēti diſceptatione.

Hæc quarta ſpecies ſic dividitur.

Forma & Figura, duplex eſt, Naturalis, & Mathematica ſeu artificialis.

Naturalis vel eſt rerum animatarum ut animalis & plantæ: vel rerum inanimatarum ut lapidis, montis,&c. Mathematica ſeu artificialis, duplex eſt, Plana, quæ dividitur in angularem, ut eſt triangulus, & circularem ut eſt circulus: & Solida, quæ duplex eſt quoque, ſcilicet Rotunda, ut ſphærica, conica, ovalis, cyilndrica, & Angularis, ut Cubica, Pyramidalis, & Polygona.

DISCEPTATIO PRÆVIA in ſeptem ultimas Categorias.

DE MODIS IN COMMUNI.

DE Modis accuratiùs diſputare juris eſt metaphyſici: quia tamen antequam ad Metaphyſicam pervenerimus, frequens occurret eorum mentio, ideò primam occaſionem arripere ſtatuimus, ut Modorum naturam propiùs expenderemus, Hîc autem ſeſe offert ſatis commodè, cùm ſequentes Categoriæ inter Modos ſoleant recenſeri.

CAPVT PRIMVM,

De nomine, notione, & exiſtentiâ Modi

MOdus variè ſumitur à Philoſophis. 1. Pro quâlibet differentiâ, quo ſenſu Differentia qualitatis vocatur à Philoſopho cap. de qualitate, Modus Qualitatis.

2. Pro graduum analogorum veluti differentijs: quo ſenſu perſeitas & inalietas vocantur à Thomiſtis, Modi entis tranſcendentis.

3. Pro conceptibus quibuſdam objectivis, qui licet nō habeant propriè rationem generis aut differentiæ, in eſſentiâ tamen ita imbibuntur, ut ab ijs perfectè præſcindi non poſſit eſſentia: quo ſenſu ſimplicitas & infinitudo vocantur à quibuſdam Theologis, Modi intrinſeci Dei.

4. Pro omni limitatione & menſurâ præſcriptâ rei fi-

nitæ, quo sensu dicit August. lib. 4. super Genesim ad litteram cap. 3. Modus est, quem mensura præfigit.

Sed illæ omnes acceptiones valde transcẽdentales sunt: Accipe magis præcisam.

Modus pauló specialiùs sumptus, est in omne, sine quo subjectum esse potest: unde dicitur, Modus, quia per eum res alio quopiã modo se habet. Sic inflexio digiti est Modus digiti, quia per inflexionem alio Modo se habet digitus, quam sine inflexione.

Modus sic sumptus, vel potest divinitùs conservari sine subjecto, vel non. Si divinitus possit conservari sine subjecto, est forma realis & physica, quo sensu S. Thomas, 1. 2. qu. 49. art. 2. dicit, Qualitatem propriè importare Modum quendam substantiæ: si nequidem divinitùs conservari possit sine subjecto, est Modus strictè sumptus: de quo hîc agimus.

Modus strictè sumptus vulgò concipitur ut forma, vel formalitas quædam, sine qua subjectum quidem esse potest; ipsa autem nequidem divinitus esse potest sine subjecto: qualis est subsistentia actualis respectu substantiæ; inhærentia actualis respectu accidentis, figura respectu quantitatis, &c.

Hinc Modus in hoc opponitur formæ physicæ & accidenti physico, quod forma physica & accidens physicum divinitus saltem conservari possint sine subjecto, ut credimus de accidentibus Eucharisticis: Modus autem nequidẽ divinitùs stare possit sine subjecto: unde propter hanc oppositionem cum formâ physica & accidente physico Modꝰ appellari potest forma physica, & accidens metaphysicũ: omnes quippe Modi sunt accidentales metaphysicè id est non essentiales rebus modificatis.

Differt autem modus à re modificatâ, ut inseparabilis quædam determinatio à re determinatâ: sic substantia actualis conservari non potest sine substantiâ, nec inhærentia actualis sine accidente, nec unio sine partibus, nec figura sine quantitate.

Dari

Dari Modos istos nemo dubitat, & satis patet per exẽpla citata.

CAPUT SECUNDUM,

De causis Modorum.

ANtequam causãs Modorum afferamus, priùs examinanda est præcipua difficultas hujus disceptationis, in quo scilicet consistat natura Modi, ex solutione enim hujus difficultatis tota pendet doctrina de Modis.

In explicandâ Modorum naturâ, plurimùm dissentiunt Philosophi. Fatentur quidem omnes Modos identificari realiter cum rebus modificatis, nec ab istis secerni distinctione reali majore, sed quonam modo distinguantur, gravis est inter eos digladiatio.

Quippe Thomistæ quidam defendunt Modos distingui tantum virtualiterà, rebus modificatis.

Scotistæ multi contendunt eos distingui tantum sua distinctione formali: seu ex naturâ rei.

Nominales omnes asserunt eos distingui tantum connotativè.

Recentiores verò quamplurimi volunt eos distingui entitativè, id est tenues quasdam entitatulas & reculas à subjectorum entitate realiter modaliter (ut loquuntur) distinctas supperaddere: unde etiam à cæteris Modistæ nuncupantur, eò quod Modis tantum tribuant.

Omnes istæ sententiæ reducũtur ad hanc quæstionem, Utrum scilicet Modi à rebus modificatis entitativè distinguãtur nec ne. Si enim non distinguant entitativè, parum refert utrum dicantur virtualirer, formaliter, aut connotativè distingui.

CONCLUSIO.

MOdus non est entitas rei modificatæ superaddita.

Probatur 1. authoritate omnium Antiquorum, qui

 de

de modalibus illis entitatibus nullam unquam mentionē fecere, sed ens semper diviserunt in substantiam & accidens, cujus utriusque naturam pluribus explicverunt: nunquam profectò omissuri explicationem Modorum, si eos reputassent entitates quasdam speciales rebus modificatis superadditas, præsertim cum longè plures sint latētioresque Modi, quam substantiæ & accidentia.

Probatur 2. authoritate Philosophi Categoriarum cap. 9. sic loquentis, De reliquis autem Categorijs scilicet de Quando, Ubi: & Habere: quoniam manifesta sunt, nihil de illis dicemus aliud, quam quæ dicta sunt initio. Atqui si illæ Categoriæ essent entitates supperadditæ, non essent ita manifestæ, multæ enim essent faciendæ quæstiones de earum productione, subjecto, multiplicatione, quas faciunt ipsi Modistæ: Ergo ex Philosopho Modi non sunt entitates superadditæ.

Probatur 3. Authoritate S.Thomæ tomo 17. opusculo 48. Tract. 2. de prædic. cap. 1. de diversis modis prædicandi, ubi sic scribit: Modus autem essendi rei alicujus accipi potest dupliciter. Uno modo prout est proprietas realis alicujus rei, differens realiter ab ea, sicut dicimus de aliquo, iste habet bonum Modum, quia est mansuetus vel concors: constat autem quod mansuetudo & concordia, quas diximus Modos, res sunt differentes ab eo, cujus sunt. Secundo modo dicitur Modus, res concepta uno modo respectu sui ipsius, ut est concepta alio modo: qui quidem diversi Modi considerandi non sumuntur ex diversis in re existentibus, sed ex habitudine ad diversa, sub quà habitudine res intelligitur, v. g. substantia secundum quod est subjectum accidentium significatur per Modum substantiæ, quia dicitur substantia à substando: secundum autem quod à nullo priori dependet cui innitatur, significatur ut ens per se & isti Modi sunt idipsum quod substantia, ab eâ differētes sola ratione animæ cōcipientis ipsam secundum diversas habitudines: quæ ratio non est ficta, sed accipitur à re, ita enim in re est, nam & substat accidenti-

dentibus, & nulli innititur, tamen istæ non sunt duæ res distinctæ, sed distinctio inter illas solum est ex ratione, unde tales modi sunt ens reale scilicet, substantia, quæ & substat accidentibus, & nulli innititur, distinctio tamen earum est à ratione. Quibus verbis innuit S. Doctor Modos non esse entitates à rebus, quibus insunt, realiter distinctas, sed esse res ipsas ab intellectu diversimodè conceptas cum fundamento in rebus, desumpto scilicet ex diversis respectibus, quos potest unum habere ad diversa cum quibus conferri potest, ita ut in re aliquâ, tot possint distingui Modi, quot sunt habitudines diversæ, secundùm quas res illa comparari potest & concipi, v. g. Idem Petrus quatenus concipitur esse in se ipso, & non in alio, dicitur subsistens, quatenus concipitur recipere accidentia, dicitur substans, quatenus concipitur influere in aliquem effectum, dicitur causans: quatenus concipitur certo tempori respondere, dicitur durans, &c.

Probatur 4. ex implicantiâ seu contradictione. Si Modus esset quædam entitas superaddita rei modificatæ, Deus posset conservare Modum sine subjecto: sicque Modus non esset amplius Modus. Consequens implicat: Ergo & antecedens. Probatur major. Deus posset supplere causalitatem subjecti respectu Modi: Ergo posset conservare Modum sine subjecto: Consequentia evidens est. Probatur antecedens. Deus potest supplere in genere causæ efficientis causalitatem cujuscunque causæ creatæ respectu effectûs realis, dummodo illa causa nec sit causa interna seu pars componens, nec causa efficiens vitalis: Atqui subjectum Modi neutrum horum dicitur (ut clarũ est:) Ergo Deus posset supplere causalitatem subjecti respectu Modi, si Modus esset entitas distincta. Major est axioma receptissimum apud Theologos, quorum plerique Tractatu de Attributis probant Deum posse supplere causalitatem luminis gloriæ respectu visionis beatificæ, quia lumen gloriæ neque est pars componens, neque causa efficiens vitalis visionis beatificæ: & omnes Tractatu de

Euchariſtiâ, aliam rationem afferre non poſſunt, ut probent accidentia ſtare poſſe divinitùs ſine ſubjecto.

Probatur 5. ex abſurdo. Si Modus eſſet entitas ſupperaddita rei modificatæ. Deus poſſet conſervare rem modificatam ſine omni modo, & ſic poſſet conſervare corpus abſque eo quod eſſet alicubi, & aliquando: poſſet conſervare extenſionem externam ſine ullâ figurâ. Abſurdum conſequens, ut ſatis patet, & patebit in progreſſu: Ergo & Antecedens.

Probatur major: Deus poteſt conſervare id quod eſt naturâ prius ſine eo omni quod eſt naturâ poſterius: ut colligitur ex Ariſtotele 5. Metaph. 11. nam in eo conſiſtit prioritas naturæ, ut id, quod eſt naturâ prius altero, vi ejuſdem influxûs, quo eſt (ſi ſit productum) poſſit conſervari ſine poſteriori, præſertim ſi poſterius non ſit in alio genere cauſæ prius naturâ: & hinc eſt, quod Relata dicantur ſimul naturâ, quia unum nequidem divinitùs conſervari poteſt ſine altero: Atqui res modifica eſſet prior naturá omni ſuo modo, cum haberet reſpectu ejus rationem cauſæ vel activæ vel paſſivæ vel utriuſque ſimul: nec aliunde modus in alio genere cauſæ eſſet prior naturâ re modificatâ ſecundum ſuam entitatem ſpectatâ. Ergo Deus poſſet conſervare rem modificatam ſine omni ſuo modo.

Nec eludunt vim hujus argumenti Adverſarij reſpondendo, Deum poſſe conſervare rem modificatam ſine omni ſuo modo diſtributivè, non autem collectivè ſumpto: Ratio enim noſtra inſtitui poteſt de omni modo etiam collectivè ſumpto, hoc pacto: Deus poteſt conſervare id quod eſt naturâ prius ſine eo omni quod eſt naturâ poſterius. Atqui ſi modi entitativè differrent à rebus modificatis, res modificata eſſet prior naturâ omnibus ſuis modis etiam collectivè ſumptis: cum itaque fateantur Adverſarij Deum non poſſe rem modificatam conſervare ſine omni plane modo, fateantur neceſſe eſt modos non eſſe entitates rebus modificatis ſuperadditas: alioquin e-

verten-

vertenda sunt, vel saltem adulteranda receptissima apud omnes Antiquos axiomata.

Probatur ultimò ab inutili & incommodo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, vel (ut ajunt) frustra fit per plura, quod æquè benè fieri potest per pauciora: Atqui non est necessitas distinguendi realiter modos à rebus modificatis, ut patebit, tum ex solutione objectionum, tum agendo de singulis modis seorsim: & æquè benè omnia explicantur sine modis entitativè distinctis quàm cùm ipsis. Ergo non sunt admitttendi modi entitativè distincti. Imô non tantùm æquè benè explicantur omnia sine modis distinctis, quàm cum ipsis; sed longè meliùs & faciliùs, quia admittendo modos realiter distinctos oriuntur infinitæ propemodum difficultates, Deus bone quàm inutiles: quàm omnium veterum Philosophandi methodo inimicæ, quam intricatæ, & involutæ, ne dicam intricantes & involventes naturales res satis manifestas & apertas: ut patet ex eo quod Modistæ teneantur quædam cudere placita omnibus antiquis inaudita, qualia sunt ista, non datur modus modi: Modi sunt essentialiter determinati ad suas causas activas & passivas, terminos sibi fingere novos & incognitos etiam sibi ipsis, ut cum distinguunt inter subjectum inhæsionis & adhæsionis, cum admittunt novum quoddam productionis genus, nimirum per resultantiam, quibus semotis longè purior est, facilior, & brevior cursus Philosophicus.

Adde istis omnibus intestina Modistarum dissidia, ut cum alij volunt modo esse imbecillioris naturæ, quàm ut producere possint alios modos: alij verò modis hanc fœcunditatem non denegant: cum alij tot admittunt modos distinctos, quot denominationes reales: alij pauciores: quæ jurgia satis produnt inanitatem contrariæ opinionis, unica enim recta via est quæ ducit ad verum, infinitum à quo aberrant inquit Theodoretus oratione 1. de providentiâ.

Objicies 1. Ea distinguuntur realiter, quorum unum

 potest

Exteſt eſſe ſine alio: Atqui res modificata poteſt eſſe ſine modo: v. g. homo ſine ſeſſione: Ergo res modificata diſtinguitur realiter à modo.

Diſtinguo majorem. Si aliud viciſſim poſſit eſſe ſine ipſo, concedo: ſecus, nego: At licet res modificata poſſit eſſe ſine modo: non tamen modus poteſt eſſe ſine re modificata, deberet autem poſſe ſine ipsâ conſervari, ſi ab ea diſtingueretur realiter, ut patet ex primâ ratione.

Inſtabis. Homo non poteſt eſſe ſine animâ: ſed tantùm anima ſine homine: & tamen anima & homo diſtinguuntur realiter: Ergo ad diſtinctionem realem non requiritur ſeparabilitas mutua.

Diſtinguo conſequens. Si res ſe habeant ſicut pars & totum, ut in exemplo allato, concedo: ſecus, nego: Res autem modificata non eſt pars modi nec contra, ut fatētur ipſi Modiſtæ, & proinde ſi modus diſtingueretur realiter à re modificata, poſſet ſaltem divinitùs conſervari ſine ipsâ: cum diſtinctio foret adæquata.

Urgebis. Idem non poteſt eſſe ſine ſe ipſo: Atqui res modificata poteſt eſſe ſine modo: Ergo non eſt quid idē cum Modo.

Diſtinguo majorem. Idem non poteſt eſſe ſine ipſo, entitativè ſpectato, concedo: connotativè ſpectato, id eſt non poteſt eſſe abſque eo quod aliquid exterius connotet, nego: concedo minorem, diſtinguo conſequens: Res modificata non eſt quid idem cum modo, connotativê, concedo: entitativè, nego: ſic creator non eſt quid idem connotativè cum Deo, quia creator ut ſic connotat creaturas exiſtentes, quas non connotat Deus ut ſic: creator tamen eſt quid idem cum Deo entitativè, ut fatentur Adverſarij.

Objicies 2. Quæ habent diverſas definitiones diſtinguuntur realiter: Atqui Modus & res modificata habent diverſas definitiones: Ergo diſtinguuntur realiter.

Nego majorem. Quia eandem rem mens noſtra in plures conceptus ſæpè diſtiſtinguit, eò quod, licet ea en-

titas sit unica realiter, pluribus tamen æquivalet, ut dictũ est de gradibus metaphysicis.

Instabis. Quæ habent diversas essentias distinguuntur realiter: Atqui quæ habent diversas definitiones diversas habent essentias: Ergo distinguuntur realiter.

Distinguo majorem. Quæ habent diversas essentias, id est diversas entitates, distinguuntur realiter, concedo: hoc est quæ habent diversos conceptus, & (ut loquitur Aristoteles) diversos rationes distinguuntur realiter, nego: essentia enim aliquando sumitur pro entitate: sed sæpius pro conceptu alicujus rei: quæ autem habent diversas definitiones, habent quidem diversos conceptus: non tamẽ habent continuò diversas entitates.

Objicies 3. Quoties aliquid est indifferens ad plura debet per aliquid determinari: Atqui si Modus non esset entitas quædam superaddita, sæpè nihil esset, per quod res determinaretur, v.g. nihil reperiretur per quod determinaretur Petrus ut esset Lutetiæ potius, quàm Romæ: Ergo modus debet esse entitas quædam superaddita.

Nego minorem: Res enim determinatur per aliquam causam vel efficientum, vel finalem: sic Petrus, v. g. determinatus est ut sit Lutetiæ potiùs quàm Romæ, ut à suâ causâ productivâ: aut à se ipso per motum alicujus finis gratiâ susceptum: Causæ enim sunt sibi invicem causæ, ut dicitur n. Metaph. 2. & proinde possunt à se invicem determinari, nec est quærenda causa formalis alicujus formæ, sed alia puta efficiens, finalis, aut materialis, ne detur processus in infinitum: nisi velis afferre definitionem ejus, quæ ad causam formalem pertinet: ex 2. Physic. 3, & proinde dici potest causa formalis metaphysica, sicut etiam quodvis abstractum metaphysicum respectu sui concreti, v. g. humanitas respectu hominis, & entitas respectu entis: Et in hoc hallucinantur Modistæ, quod omnia abstracta metaphysica sumant pro formis physicis, ut cum dicunt Petrum constitui formaliter alicubi per Ubicationem, ex quo modo loquendi occasionem sumunt sibi per-

ſuadendi; Ubicationem, & ſimilia abſtracta metaphyſicâ eſſe formas quaſdam phyſicas, & realiter diſtinctas.

Obijcies 4. Actus diſtinguitur realiter à potentiâ, & forma à ſubjecto: Atqui Modus & actus & forma rei modificatæ: Ergo ab ipſa diſtinguitur realiter.

Diſtinguo majorem. Si ſit actus phyſicus & forma phyſica, concedo: ſi ſit actus metaphyſicus & forma metaphyſica, nego. Ut patet de differentiâ quæ non diſtinguitur realiter à genere, ut docuimus agendo de gradibus metaphyſicis: At Modi ſunt tantum actus metaphyſici, formæ metaphyſicæ, accidētia metaphyſica, abſtracta metaphyſica: quæ omnia diligenter ſunt diſtinguenda à Philoſophis.

Obijcies 5. Non poteſt advenire nova denominatio poſitiva, quin adveniat nova entitas diſtincta, v. g. homo non poteſt de non calido, magno, docto, fieri calidus, magnus, doctus, ſine entitate novâ: Atqui multæ adveniunt novæ denominationes poſitivæ repetitæ à Modis, ut cum Petrus incipit eſſe ſimilis, agens, locatus, &c. Ergo Modi ſunt entitates diſtinctæ.

Diſtinguo majorem. Si illa nova denominatio ſit abſoluta, quales ſunt omnes in objectione citatæ, concedo: ſi ſit relativa, nego: At denominationes omnes à modis petitæ ſunt relativæ & connotativæ. Ratio autem diſparitatis eſt, quod denominationes abſolutæ ſint ab alio quolibet ſolutæ,& proinde advenire non poſſunt de novo, niſi ſubjectū in ſe ipſo mutetur: At denominationes relativæ pendent etiam ab extrinſeco, & proinde ut adveniant ſatis eſt ut res denominatæ quoſdam terminos extrinſecos aliter reſpiciant, quam antea reſpicerent, ut patet in denominatione creatoris. Hæc ſolutio eſt S. Thomæ, 3. part. qu. 16. art. 6. ad 2. ubi ſic habet: Quandocunque aliquid de novo prædicatur de altero, cum mutatione ejus de quo dicitur, tunc fieri eſt mutari: & hoc contingit in omnibus, quæ abſolutè dicuntur: non enim poteſt albedo aut nigredo de novo advenire alicui, niſi per hoc quod de

novo

novo mutatur ad albedinem vel nigredinem : ea verò quæ relativè dicuntur, possunt de novo prædicari de aliquo absque ejus mutatione, sicut homo de novo fit dexter absque sui mutatione per motum illius, qui fit ei sinister : Unde in talibus non oportet omne, quod dicitur fieri, esse mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius, & per hunc modum ad Deum dicimus : Domine refugium factus es nobis. Hactenus S. Thomas, ut explicet quomodo vera sit hæc propositio, Deus factus est homo sine ullâ mutatione ex parte Dei.

Objicies ultimò. Non potest dari transitus de contradictoriâ denominatione in contradictoriam sine productione aut destructione alicujus entitatis : v. g. homo non potest de non calido fieri calidus, vel de calido non calidus sine productione aut destructione caloris : Atqui nisi Modi essent entitates rebus modificatis superadditæ, posset dari transitus de contradictoriâ denominatione in contradictoriam sine productione aut destructione alicujus entitatis : nam Petrus v. g. de non existente Romæ posset constitui Romæ sine ullâ entitate novâ. Ergo Modi sunt entitates quædam superadditæ.

Major absolutè negari potest : nam contradictoriæ denominationes non arguūt necessariò diversitatē entitatū in re denominatâ : nam Deus v. g. ab æterno erat indifferens, ut esset decernens vel non decernens productionem mundi, nec tamen fuit indifferens ad diversas in se entitates ; sic etiam unus homo v. g. de non dextro, fit alteri dexter, vel contra, sine productione aut destructione ullius entitatis. Nihilominus,

Distinguo majorem. Non potest dari transitus de contradictoriâ denominatione in contradictoriam sine productione aut destructione alicujus entitatis, in absolutis, concedo : in relativis, nego : At exempla in objectione allata desumuntur à denominationibus absolutis : denominationes autem omnes à Modis petitæ sunt relativæ, ut potè desumptæ ex diversis habitudinibus rei ; & proinde non

 mirum

mirum est si possint advenire aut perire sine acquisitione aut jacturâ ullius entitatis, ut patet etiam ex eo quod Philosophus cap. de substantiâ dicat: orationem de verâ posse fieri falsam sine mutatione sui.

Instabis. Non potest dari transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione reali: Atqui si modus nō esset entitas distincta, daretur ejusmodi transitus: Ergo Modus est entitas distincta.

Distinguo majorem. Sine mutatione vel propriâ & entitativâ, vel impropriâ & connotativâ, concedo: sine mutatione propriâ aut entitativâ necessariò, nego. Mutatio propria & entitativa est acquisitio aut deperditio alicujus entitatis: Mutatio verò impropria & connotativa est habitudo nova, novus respectus, nova relatio & connotatio: potest autem dari transitus de contradictorio in contradictorium cum solâ illâ mutatione impropriâ, ut patet in homine qui de dextro fit sinister alteri sine ullâ mutatione entitatis.

Urgebis. Non potest dari mutatio denominativâ: Ergo nulla solutio.

Distinguo antecedens. In absolutis, concedo: in relativis nego: Nam in relativis aliquid recipere potest novas denominationes,, etsi ipsum non mutetur altero duntaxat mutato, ut docet ipse Philosophus 11. Metaph. cap. ultimo.

Perges. Si posset advenire aliqua mutatio sine entitate superadditâ, Deus posset mutari. Consequens est contra scripturas: Ergo & antecedens.

Distinguo majorem. Deus posset mutari omnino impropriè, id est recipere novas denominationes relativas: concedo: posset mutari propriè, id est posset recipere novas denominationes absolutas & novas entitates, nego: Illud autem tantùm dicitur mutari propriè quod recipit novas entitates aut veteres deperdit. Quòd Deus recipiat novas denominationes relativas, docet S. August. 5. de Trin. cap. 16. ubi postquam fusè probavit Deum in tem-

po-

pore de novo fieri Dominum nostrum, Patrem nostrum, nostrum refugium, sic concludit. Quodque temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relativè dici, non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit, sed planè secundùm accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incpit relativè.

COROLLARIUM.

EX hac nostrâ doctrinâ de Modis facile est colligere causas omnes Modorum: Si enim Modi entitativè sumantur, easdem habent causas ac res modificatæ, quibus scilicet identificantur: Si verò sumantur prout virtualiter distinguuntur à rebus modificatis, pro causâ efficiente, habent vel rem modificatam, à quâ metaphysicè & virtualiter pullulant, ut patet de similitudine, æqualitate, &c. vel aliquod aliud agens, ut patet de figuris artificialibus.

Pro causâ finali habent subjecta ad quæ modificanda & determinanda inserviunt.

Pro materiali habent subjecta, in quibus recipi cogitantur.

Pro formali suam habent definitionem: cum enim Modi sint formæ quædam metaphysicæ, aliam formam habere non possunt à suâ definitione.

Definitur vulgo Modus, actus sine quo subjectum esse potest, non contra,

Definitur ab alijs, Actualis determinatio subjecti: quia Modus nequidem divinitùs esse potest quin actu afficiat subjectum, in quo Modus differt à formâ physicâ.

Modus definitur à S. Thoma tom. 17. opusc. 48. tract. 20. de prædicam. cap. 1. de diversis modis prædicandi. Res concepta uno modo respectu sui ipsius, prout est concepta alio modo.

CAPUT TERTIUM,

Qualis sit Modus.

VNica est proprietas Modi in comuni, nimirum absoluta eius

ta ejus inseparabilitas à subjecto propter illius identitatẽ cum ipso: unde fit, ut nequidem divinitùs stare possit sine subjecto, in quo differt (ut sæpe diximus) ab actu physico, à formâ physicâ, ab accidente physico.

CAPVT QVARTVM.

De divisione Modorum.

CUm Modi apud nos identificentur cum rebus modificatis, totuplicis sunt generis, ac ac res modificatæ: alij sunt supernaturales, ut visio beatifica, alij naturales, ut cognitio philosophyca: alij substantiales, ut subsistentia: alij accidentales, ut inhærentia: alij spiritales ut subsistentia Angeli, alij corporei ut subsistentia saxi. Sed hic dividimus Modos in transcendentales, & categoricos.

Transcendentales illi sunt, qui non constituunt speciale genus categoricum, ut subsistentia de quâ dicemus ultimâ parte Metaphysices, & unio, de quâ dicimus primâ parte Physicæ.

Modi categorici verò seu prædicamentales, sunt illi, qui constituunt speciale prædicamentum, & sunt septem sequentes Categoriæ, scilicet Relatio, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, & Habitus, de quibus deinceps.

SECTIO QVARTA,

De Relatione.

POstquam dictum est de prædicamentis absolutis: ordo doctrinæ postulat ut agatur de relativis, quorum primum est ipsa Relatio.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, notione & existentiâ Relationis.

HOc prædicamentum vocatur ab Aristotele: Relatio, Respectus, Habitudo, Ordo: & quando habet aliam relatio-

relationem ſibi correſpondentem, Correlatio nuncupatur.

Ea autem quæ referunt, vocantur Relata, Reſpectiva: & dum ad ſe invicem referuntur, dicuntur Correlata.

Ens relativum in hoc differt ab abſoluto, quòd abſolutum in ſuo conceptu ſit ab alio quolibet ſolutum, & proinde concipi poſſit ſine alio: relativum verò contra.

In notione Relationis quatuor occurrunt ſæpe conſideranda: puta ſubjectum, terminus, & duplex fundamentũ, ſcilicet, remotum, & proximum.

Subjectum eſt id, quod refertur, & in quo concipitur eſſe relatio: ut homo generans reſpectu paternitatis.

Terminus eſt id, ad quod refertur Relatio, ut homo genitus reſpectu paternitatis.

Subjectum & terminus dum ſimul ſumuntur, vocantur extrema, quia illis tanquam limitibus clauditur Relatio.

Fundamentum remotum (quod ſimpliciter fundamentum dicitur) eſt radix Relationis: quâ poſitâ, nondum ponitur Relatio: ut potentia genitiva reſpectu paternitatis.

Fundamentum proximum (quod vocatur ratio fundãdi) eſt conditio quædam ad Relationem requiſita, quâ poſitâ ſtatim exurgit Relatio, ut generatio activa reſpectu paternitatis.

His omnibus poſitis exurgit Relatio, quæ nihil aliud eſt, quàm reſpectus ſubjecti ad terminum.

Relatio duplex: una rationis, quæ eſt tantùm per mentem, ut paternitas putativa, Relatio ſubjecti, prædicati, &c. alia realis, quæ eſt independens à mente.

Ad Relationem realem quatuor requiruntur conditiones.

Prima, Ut ſubjectum ſit exiſtens: nulla enim forma metaphyſica (qualis eſt relatio,) eſſe poteſt ſine ſubjecto.

Secunda, Ut extrema ſint realiter diſtincta, nihil enim realiter refertur ad ſeipſum.

Tertia,

Tertia, Ut fundamentum remotum (si quod sit,) sit positivum, & realiter distinctum in utroque extremo. Hinc similitudo cæcorum non est Relatio realis, quia nō fundatur in aliquo positivo; & æqualitas personarum divinarum non est etiam Relatio realis, quia fundamentum ejus (puta essentia, potentia, &c.) in personis divinis non multiplicatur.

Quarta, Ut fundamentum proximum (si quod sit) fuerit positum in utroque extremo, quia est conditio sine qua non: Hinc etiam deuominationes externæ, cogniti, amati, & similes non sunt veræ Relationes, quia fundamentum proximum illarum denominationum, non est in rebus denominatis.

Dari aliquas Relationes reales patet, quia nemine cogitante creatura dependet à Creatore, accidens à subjecto, dies à sole: At dependentia est Relatio, cum intelligi non possit sine alio. Adde quòd illæ Relationes habeant omnes conditiones ad Relationem realem requisitas.

Relatio realis dividitur in increatam, quæ reperitur in personis Sanctissimæ Trinitatis, qualis est paternitas divina: & in creatam, quæ reperitur in creaturis, qualis est paternitas humana.

Relatio realis creata subdividitur in realem secundùm esse, seu categoricam: & in relationem secundùm dici.

Relatio secundùm esse categorica est ea, quæ refertur ad purum terminum, hoc est ad terminum, qui nullas alias obeat vices, quam terminandi, qualis est similitudo, æqualitas, &c.

Relatio secundùm dici, est ea, quæ refertur ad aliquem terminum fungentem adhuc alio officio quam termini, v.g. vel objecti, vel causæ, vel effectus, vel mensuræ: qualis est Relatio propositionis ad objectum, scientiæ ad scibile, & moventis ad motum.

Hæc divisio colligitur ex S. Thoma 1. part. qu. 13. art. 17. ad 1. ubi sic habet: Dicendum quod Relativa (nomina) quædam sunt imposita ad significandum ipsas habitudi-

bitudines relativas, ut Dominus, servus, pater, filius, & hujusmodi: & hæc dicuntur Relativæ secundùm esse: quædam verò sunt impositæ ad significandas res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut movens & motum, caput & capitatum, & alia hujusmodi quæ dicuntur relativa secundùm dici: Similia habet quæstione 7. de potentiâ art. 1. ad 11.

Relatio secundùm dici subdividitur in transcendentalē, & non transcendentalem.

Relatio secundùm dici transcendentalis, est eâ, quæ est essentialis alicui enti absoluto, qualis est relatio materiæ ad formas, relationes potentiarum & habituum ad objecta: quæ Relatio ideo non est in hoc prædicamento, quia est differentia essentialis alicujus entis collocabilis in aliâ Categoriâ: proindeque non est in Categoriâ directè, sed reducitur ad Categoriam rei, cujus est differentia.

Relatio secundùm dici non transcendentalis, ea ea, quæ licet referatur ad terminum non purum: non tamen essentialis est ulli enti absoluto, qualia sunt sex ultima prædicamenta. Hinc Aristoteles hîc ponit Situm inter Relationes, & S. Thomas tom. 17. opusc. 48. tract. 2. de prædicamentis cap. 1. de diversis modis prædicandi, docet tria esse prædicamenta absoluta, scilicet, Substantiam, Quantitatem, Qualitatem: & septem respectiva, puta cætera.

Ratio autem, cur Relationes secundùm dici accidentales non sint in hoc prædicamento, est, quia pertinent ad specialia prædicamenta: Relationes autem secundum esse, constituunt speciale prædicamentum, eò quòd ad alia propriè referri non possunt.

Relatio categorica differt à Relatione secuudùm dici in duobus: 1. in eo quod Relatio categorica respiciat purum terminum, non autem Relatio secundùm dici: 2. in eo quod Relatio categorica exigat necessariò terminū existentem: non autem quælibet Relatio secundum dici, ut patet in veritate propositionis.

Præterea Relatio categorica differt adhuc in tribus à transcendentali. 1. quòd transcendentalis sit essentialis subjecto: categorica verò accidentalis. 2. quòd transcendentalis nullum supponat fundamentum; cum enim sit essentialis, est quid primum in re: categorica verò supponat duplex fundamentum. 3. quòd Relatio transcendentalis non tollat rationem absoluti, alioqui vix ullum foret ens absolutum; tollat verò Relatio Categorica.

Itaque Relatio categorica quatuor conditiones supra allatas ad omnem Relationem realem requisitas, exigit adhuc quintam, puta existentiam termini.

Hic agimus expresè de solâ Relatione categoricâ, ex cujus intelligentiâ aliæ facilè poterunt percipi.

Relatio categorica describi potest, Accidens reale referens subjectum ad purum terminum.

Dicitur 1. Acccidens, in quo differt à substantiâ, & relationibus increatis, & transcendentalibus.

Dicitur 2. Reale, per quod Relatio categorica differt à Relationibus rationis.

Dicitur 3. Referens subjectum, in quo differt ab accidentibus absolutis.

Additur, Ad purum terminum, in quo differt ab omnibus Relationibus secundum dici.

Existentia Relationis Categoricæ à quibusdam revocatur in dubium, contra quos sit.

CONCLUSIO.

DAntur Relationes categoricæ. Probatur 1. authoritate omnium Peripateticorum, qui post suum Principem, hîc Relationem inter Categorias recensent.

Probatur 2. Inductione. Nemine cogitante datur æqualitas, inæqualitas, similitudo, dissimilitudo: nam sive cogites sive non, duo ligna sunt æqualia vel inæqualia, duo colorata sunt similia vel dissimilia: Atqui illæ Relationes sunt categoricæ, cum habeant quinque conditiones supra requisitas: Ergo dantur relationes categoricæ.

Proba-

Probatur paritate. Si paternitas creata sit Relatio realis, est categorica, cum sit ad purum Terminum : Atqui est Relatio realis : nam ex Theologis paternitas increata est relatio realis : Ergo & creata. Probatur consequẽtia. Ideo paternitas increata est Relatio realis, quia Pater increatus verê genuit Filium suum : Atqui etiam pater creatus verè genuit suum filium : Ergo par utrobique ratio.

Objicies 1. Non datur comparatio extra mentem : Atqui Relatio Categorica est comparatio : Ergo non datur extra mentem.

Distinguo majorem. Non datur comparatio formalis, (hoc est cognitio comparans) extra mentem, concedo : Non datur comparatio objectiva (hoc est res comparabilis) extra mentem, nego : Relatio autem non est cõparatio formalis, sed objectiva, hoc est, est virtualitas quædam cum aliquo comparabilis.

Objicies 2. Si daretur Relatio categorica, maximè æqualitas inter duo ligna pedalia v. g. At æqualitas illa nõ est est Relatio reâlis, nec proinde categorica, nam vel esset divisibilis vel indivisibilis ; Non divisibilis, alioqui resecto semipede ab uno ligno, remaneret adhuc æqualitas : non etiam indivisibilis, quia recipitur in subjecto divisibili: Ergo æqualitas non est Relatio categorica.

Respondeo æqualitatem illorum lignorum esse divisibilem entitativè, quia identificatur (ut dicemus) cum lignis divisibilibus : esse tamen indivisibilem virtualiter, quia minimâ parte alterutrius ligni resecta æquè perit æqualitas, ac si esset aliquid indivisibile ; sicut numerus centenarius entitativè quidem divisibilis est in centum unitates ; virtualiter tamen est indivisibilis, quia vel unicâ unitate sublatâ perit numerus centenarius in esse centenarij.

CAPUT SECUNDUM.

De causis Relationis Categoricæ.

QUia Relatio categorica dependet, aliquo modo à subjecto, fundamentis, & termino: ideo de illis hoc capite dicimus: tum verò agemus de naturâ ipsius quæ revocatur ad causam formalem.

ARTICULUS PRIOR,

De ijs quæ conferunt ad Relationem categoricam.

QUatuor sunt, quæ faciunt ad Relationem categoricam (ut diximus superiori capite) scilicet subjectum, fundamentum remotum, fundamentum proximum, & terminus: de quibus totidem paragraphis dicendum.

PARAGRAPHUS PRIMUS,

De subjecto Relationis categoricæ.

CUm Relatio ex dictis & dicendis non sit forma quædã physica, non habet subjectum physicum & inhæsionis: sed tantùm Metaphysicum.

Subjectum Relationis duplex est, Quo, & Quod.

Subjectum quod, est suppositum.

Subjectum verò quo, est fundamentum remotum. Sic homo est subjectum quod æqualitatis: quantitas verò hominis subjectum quo.

Porro suppositum est propriè subjectum denominationis, quia Denominationes sunt suppositorum: fundamẽtum verò remotum aliquando est subjectum denominationis, aliquando non: sic quantitas est etiam subjectum denominationis respectu æqualitatis: at potentia genitiva non est subjectum denominationis respectu paternitatis, quippe forma dat tantùm subjecto proximo denominationes, quarum ipsum capax est: sic generatio & corruptio non denominant materiam genitam & corruptam: sed tantùm mutatam.

Quæri-

Quæritur hîc, utrùm Deus sit subjectum aliquarum Relationum realium ad creaturas?

Respondeo primo Deum habere Relationes secundum esse seu categoricas ad creaturas: quia Deus refertur ad creaturas relatione identitatis genericæ, & diversitatis specificæ, ut liquet ex dictis: quæ Relationes categoricæ sunt, cum puros respiciant terminos.

Objicies. Si Deus haberet Relationes categoricas ad creaturas, mutaretur: nam reciperet aliquid in tempore. Falsum consequens. Ergo & antecedens.

Nego majorem. cujus probationem distinguo. Deus in tempore reciperet aliquid connotativum, hoc est inciperet connotare creaturas alio modo, quà antea connotaret, concedo: reciperet aliquid entitativum, hoc est aliquam entitatem sibi superadditam, nego: nam Relatio (ut dicemus) nihil superaddit fundamento.

Instabis. Deus reciperet aliquod accidens ad productionem novæ creaturæ: Ergo mutaretur.

Distinguo antecedens. Deus reciperet aliquod accidens metaphysicum, concedo: physicum nego. At accidens metaphysicum non necessariò mutat subjectum, cum satis sit, quod ab eo connotativè differat.

Respondeo secundo Deum habere Relationes secundũ dici transcendentales ad creaturas; nam ejus potentia & scientia essentialiter referuntur ad creaturas: potentia quippè productiva essentialiter refertur ad producibile, & scientia ad scibile.

Objicies. Si Deus referetur essentialiter ad creaturas dependeret ab illis: Relatum enim dependet à suo correlato. Falsum consequens. Ergo & Antecedens.

Distinguo majorem. Deus dependeret à creaturis dependentiâ connexionis, concedo: dependentiâ causalitatis, nego: Dependentia autem connexionis nullam involvit imperfectionem: hoc enim modo Personæ Sanctissimæ Trinitatis dependent à se invicem per suas Relationes personales.

Respon-

Respondeo ultimò. Deũ habere Relationes secundùm dici accidentales ad creaturas, quales sunt Relationes Creatoris, conservatoris, &c. quæ non sunt quidem essentiales Deo: sed quibus Deus refertur ad creaturas, non tanquam ad puros terminos: sed tanquam ad effectus in fieri & in conservari, Deus enim nemine cogitante est Creator, & Conservator creaturarum.

Obijcies. Ex S. Thoma passim Deus non habet Relationes ad creaturas.

Distinguo. Non habet Relationes quæ adveniant cum adventu fundamenti, concedo: cum adventu solius termini, nego.

Itaque aliquid potest Relationes de novo suscipere duobus modis: 1. cum adventu fundamenti, ut cum ignorans discendo fit similis docto. 2. cum adventu soliùs termini, ut cum doctus fit similis alteri, eo quod alter discat. Fateor Deum non posse recipere Relationes primo modo, alioquin mutaretur: sed contendo posse recipere secundo modo: cum enim in mente etiam S. Thomæ (ut postea dicemus) relatio non distinguatur à fundamento: quid scrupuli impedit, quominus in Deo admittantur Relationes ad creaturas.

Posset etiam dici sanctum Doctorem negare dari Relationes reales in Deo ipsius perfectivas, in quo Deus differt à creaturis, quæ fere semper à suis actionibus aliquid percipiunt boni. Nam qu. 7. de potentiâ art. 10. dicit non esse Relationes in Deo ad creaturas tanquam causæ ad effectum, quia (inquit) aliquod bonum non accrescit creatori ex creaturæ productione, unde (addit) sua actio est maximè liberalis, ut Avicennas dicit.

PARAGRAPHUS SECUNDUS,

De fundamento remoto Relationis categoricæ.

Quatuor vulgo afferuntur fundamenta remota Relationis categoricæ, scilicet substantia vel potius Essentia, Quantitas, Qualitas, & Potentia. Essen-

Essentia fundat Relationes identitatis & diversitatis: sic Petrus habet ad Paulum Relationem identitatis specificæ: ad Bucephalum verò diversitatis specificæ.

Quantitas fundat Relationes æqualitatis & inæqualitatis: omnesque Relationes mathematicas; v. g. dimidij, dupli, &c. sic Petrus per suam magnitudinem æqualis est aut inæqualis Paulo: quantitatesque omnes, varias habent ad se invicem rationes & proportiones.

Qualitas fundat Relationes similitudinis & dissimilitudinis, sic Francus per suum colorem similis est Franco, dissimilis Æthiopi.

Potentia fundat Relationes causæ ad effectum, & effectus ad causam; scilicet potentia activa causæ ad effectū, passiva vero effectus ad causam, ut patet in paternitate & filiatione.

Dixi quatuor vulgo afferri fundamenta remota Relationum Categoricarum: Nam revera tot sunt fundamenta remota Relationum, quot Categoriæ. Sic Ubi, fundamētum est viciniæ, simultatis & distantiæ: Quando, prioritatis, posterioritatis & coætaneitatis, &c.

Et certè si quæ Categoria non fundaret Relationem, maximè ipsa Relatio: nihil enim tam videtur ineptum ad Relationem fundandam quàm ipsa Relatio; At Relatio potest fundare aliam Relationem: nam Relationes in abstracto habent ad se invicem Relationem identitatis vel diversitatis: Relata verò in concreto habent, Relationes similitudinis vel dissimilitudinis; nam duæ paternitates æquè sunt ejusdē speciei, ac duæ humanitatis: & duo patres tam sunt similes in eò quod sunt patres, quàm duo homines albi in eo quod sint albi.

Obijcies. Non datur forma formæ: Ergo non datur Relatio relationis.

Distinguo antecedens. Non datur forma formæ homogenea, concedo: heterogenea, nego. Sic non datur anima animæ, nec mens mentis: sed datur mens animæ, & scientia mentis. Distinguo consequens. Ergo non datur Rela-

Relatio relationis homogenea, concedo: heterogenea, nego. Sic non datur paternitas paternitatis: sed datur ejus identitas & diversitas.

Instabis. Si daretur Relatio relationis: daretur processus in infinitum: Falsum consequens. Ergo & Antecedens.

Distinguo majorem, daretur processus in infinitum, concedo: Si daretur Relatio relationis heterogenea, daretur processus in infinitum, nego: Itaque fateor non dari Relationem relationis illi homogeneam: nam æqualitas v. g. se ipsâ æqualis est ex Philosopho 5. Metaph. 15. Sed contendo dari Relationem relationis illi heterogeneam, nec tamen sequi processum in infinitum, non enim infinitæ sunt Relationis species.

PARAGRAPHUS TERTIUS,

De fundamento proximo Relationis categoricæ.

DUo sunt fundamenta proxima Relationum categoricarum, eaque bimembria: scilicet unitas & numerus, actio & passio, quorum meminit Philosophus 5. Metaph. cap. 15. Ratio est, quia omnis Relatio categorica vel est inter res quarum una est causa alterius, vel inter res quarum una non est causa alterius. Si primum, fundatur in actione vel passione: si secundum, fundatur in unitate vel numero: Ergo duo tantum sunt fundamenta proxima bimembria relationis categoricæ, scilicet unitas & numerus, actio & passio.

Unitas (supple conformitatis) seu convenientia, in essentiâ fundat identitatem, in quantitate æqualitatem, in qualitate similitudinem. Hinc Philosophus loco citato sic scribit: Eadem sunt quorum essentia est una, similia quorum qualitas una, æqualia quorum quantitas una. Potest addi quod in Ubi fundet simultatem, & in Quando coætaneitatem.

Numerus seu disconvenientia, in essentiâ fundat diversitatem,

fratem, in quantitate inæqualitatem, omnesque relationes arithmeticas, v.g. dimidij, dupli in qualitate & quibusdam alijs dissimilitudinem: in Ubi viciniam vel distantiam, in Quando prioritatem & posteritatem, &c.

Actio fundat relationes causarum ad effectus v.g. Parentum ad liberos.

Passio fundat relationes effectuum ad causas, v.g. Liberorum ad Parentes.

Dices ex Aristotele loco citato, quædam Relationes fundantur in mensurâ & mensurabili v.g. relatio scientiæ ad scibile, sensûs ad sensibile: Ergo plura sunt quàm duo fundamenta proxima Relationum.

Distinguo antecedens. Quædam Relationes secundùm dici fundantur in mensurâ & mensurabili, concedo: quædam Relationes secundùm esse fundantur in mensurâ & mensurabili, nego. Loquitur ergo Philosophus eò loci de fundamentis proximis omnium Relationum: ut patet ex eo quod afferat etiam exempla relationum transcendentaliũ, v.g. sensus ad sensibile & scientiæ ad objecta: nos autem hic agimus duntaxat de fundamentis proximis Relationum categoricarum.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

De termino Relationis categoricæ.

QUæres primo utrùm Relatio categorica includat suum terminum. Respondeo negativè.

1. Quia Relatio est ordo ad terminum, ordo autem non includit, sed connotat tantùm id ad quod est ordo.

2. Quia Relatio divina non includit terminum, v.g. paternitas divina non includit filium: cum ab eo realiter distinguatur: Ergo nec creata.

3. Quia relativum opponitur suo correlativo, ex Aristotele in postprædicamentis. Atqui si Relatio includeret terminum, duo correlata non opponerentur, cum eadem includerent. Ergo non includit.

Objicies. Terminus est de essentiâ Relationis: Ergo

Relatio ipsum includit. Probatur antecedens. Illud est de essentiâ alicujus rei sine quo res illa concipi nō potest; Atqui Relatio concipi non potest sine termino: Ergo Terminus est de essentiâ Relationis.

Nego antecedens. Ad probationem distinguo majorē, Illud est de essentâ alicujus rei, sine quo incluso res concipi non potest, concedo: sine quo connotato res concipi non potest, nego: sic non potest concipi scientia sine objecto connotato, nec tamen objectum est de essentiâ, cum scientia possit existere sine objecto. Ita à pari licet concipi non possit Relatio sine Termino connotato, non sequitur Terminum esse de essentiâ Relationis, sed tantum cō notationem Termini.

Instabis. Dicere connotationem Termini esse de essentiâ relationis, est dicere ipsam relationem esse de essentiâ Relationis.

Nego. Connotatio enim non est integra Relatio, sed tantùm differentia Relationis: Relatio quippe habet duo, scilicet quod sit veluti forma, & quod sit relativa, unde vulgò dicitur habere duplex esse; nimirum esse in, & esse ad. Habet esse in, quatenus forma: & esse ad, quatenus relativa & connotativa: Primum vocatur esse genericū quia Relationi commune est cum alijs formis: Secundum vocatur esse differentiale, quia per illud ens relativum differt ab absolutis.

Quæres 1. Utrùm Relatio multiplicetur numero pro multiplicatione Terminorum?

Respondeo affirmativè contra plerosque Thomistas. probatur 1. ex Aristotele hîc. Relata categorica sunt simul naturâ: Atqui non essent simul naturâ, nisi Relationes multiplicarentur numero pro multiplicatione numericâ Terminorum: paternitas enim hominis prior esset etiam tempore filiatione secundi sui filij: Ergo Relatio multiplicatur numero pro multiplicatione numericâ terminorum.

Probatur 2. Relatio multiplicatur specie ad multipli-
catio

rationem specificam terminorum: sic paries albus aliam & aliam specie relationem habet ad parietem album & nigrum: Ergo à pari multiplicatur numero ad multiplicationem numericam terminorum.

Obijcies 1. Si homo haberet multas paternitates ad multos filios, esset multi patres. Falsum consequens. Ergo & antecedens.

Nego sequelam: Ad multiplicationem enim concreti non sufficit multiplicatio formæ; sed requiritur multiplicatio subjecti. Unde artifex callens multas artes, non dicitur multi artifices, propter unitatem subjecti. Ad multiplicationem autem concreti substantivi non sufficit multiplicatio suppositi; Unde in Sanctissima Trinitate tres personæ non dicuntur multi Dij propter unitatem formæ, puta Deitatis.

Obijcies 2. Unica est Relatio generis ad multas species: Ergo Relatio non multiplicatur ad multiplicationem terminorum.

Distinguo consequens. Relatio non multiplicatur ad multiplicationem terminorum partialium, concedo; totalium, nego: At una species est tantùm partialis terminus generis: Terminus enim totalis ille est, qui etsi unicus esset possibilis, sufficeret ad Relationem; At unica species possibilis non sufficit ad genus.

Obijcies 3. Unica est Relatio filij ad patrem & ad avum: Ergo Relatio non multiplicatur secundum multiplicationem terminorum.

Distinguo consequens. Relatio non multiplicatur secundum multiplicationem terminorum subordinatorum, concedo: non subordinatorum, nego. At patet & avus sunt termini subordinati, quia eo præcisè quo filius est filius patris, est quoque filius avi: Ergo sufficit unica filiatio ut sit utriusque filius.

Objicies ultimò. Non possunt esse multa accidentia solo numero distincta in eodem subjecto, v. g. non possunt multæ esse rotunditates in eodem corpore; Atqui si Re-

latio multiplicaretur juxta multiplicationem numericam terminorum, essent multa accidentia solo numero distincta in eodem subjecto, v. g. multæ paternitates in eodem homine: Ergo non multiplicatur.

Distinguo majorem. Non possunt esse multa accidentia solo numero distincta in eodem subjecto, si illa accidentia habeant idem munus, concedo: si habeant diversa munera, nego: sic in eodem oculo simul sunt species multorum hominum solo numero diversæ, quia habent diversos effectus, scilicet concurrunt ad visiones distinctorum hominum: Ita à pari in eodem homine possunt esse multæ paternitates, quia ei tribuunt diversos effectus formales, cumque constituunt patrem diversorum hominum, seu liberorum.

Quæres ultimò, utrùm Relatio terminetur ad absolutum, vel ad relativum?

Respondeo. Relationem non terminari ad oppositam Relationem, sed ad fundamentum ejus: v. g. similitudinē Petri non terminari ad similitudinem Pauli, sed ad ejus albedinem.

Probatur 1. Relatio terminatur ad aliquid se priùs, cùm relatio pendeat à suo termino juxta illud effatum, Posito fundamento & termino exurgit Relatio. At opposita Relatio non est prior sua relatione, cum ex Philosopho Relata sint simul naturâ: Ergo Relatio non terminatur ad oppositam Relationem, sed ad fundamentum ejus.

Probatur 2. Si Relatio terminaretur od oppositam relationem, Relatio penderet à se ipsâ: namque quod pēdet ab alio, pēdet ab eo omni eo à quo aliud dependet: At in sententiâ adversariorum paternitas v. g. pendet à filiatione tanquam à termino, & filiatio à paternitate: Ergo in eorum sententia paternitas pendet à se ipsâ: quod absurdum.

Ex hac responsione sequitur quod si fundamentum Relationis sit relativum, Relatio referatur ad relativum, ut patet in similitudine unius patris cum alio patre: si verò sit

rò sit absolutum, (ut sæpius contingit) Relatio refera tur ad absolutum: ut patet in paternitate. Ratio à prior est quod fundamentum unius Relationis sit semper ter minus formalis oppositæ.

Obijcies 1. Ex Aristotele hîc Ala non est avis, sed ala ti ala Ergo Relatio ex Aristotele non refertur ad absolu tum, sed ad relativum.

Nego consequentiam. Ideo enim tantùm hoc dicit Philosophus, quod velit in Relationibus semper efferri terminum adæquatum: Atavis non est terminus adæquatus alæ: multa enim habent alas (ut subdit ipse Philophus quæ non sunt aves, ut muscæ & scarabæi.

Obijcies 2. Ex eodem Philosopho hic: Sublatis omnibus à domino præter esse domini, & omnibus à servo præter esse servi, adhuc dominus erit servi dominus: sed in tali hypothesi Relatio domini ad nihil poterit terminari, nisi ad relativum. Ergo Relatio terminatur ad relativum.

Nego minorem: Nam restabit adhuc in servo facultas & obligatio obediendi, ad quam terminabitur Relatio domini: quando autem Aristoteles dicit, sublatis omnibus à servo præter esse servi, addit, Adventitijs seu ascititijs, hoc est, quæ nihil faciunt ad servum in ratione servi, v. g. sublata albedine, figura, & cæteris.

Obijcies 3. Relationes divinæ referuntur ad suas correlationes, v. g. paternitas divina ad filiationem. Ergo relatio terminatur ad correlationem.

Distinguo antecedens. Referuntur ad suas correlationes sumptas prout sunt personalitates seu formæ hypostaticæ constituentes personas in esse personarum, concedo: prout sunt relationes formaliter referentes personas constitutas, nego: nam filiatio divina v. g. licet sit simplex virtualitas, habet tamen duo ratione distincta: quod sit personalitas constitutiva verbi divini in esse personæ: 2. quod Verbum divinum secundùm modum nostrum concipiendi constitutum referat ad patrem Divinum; pater-

nitas autem divina refertur ad filiationem Verbi divini priori modo consideratam: non posteriori.

Obijcies 4. Relatio terminatur ad suum oppositum. Ergo ad relativum.

Distinguo. Relato terminatur ad suum oppositum, & ad relatium materialiter, hoc est ad id, quod oppositum & relativum est, concedo: ad oppositum & relativū formaliter, hoc est quatenus oppositum est & relativum, nego. Nam paternitas v. g. terminatur ad id, quod ex parte termini facit ut pater sit pater, at hoc non præstat filiatio: verùm generatio passiva: si quis enim peteret cur Petrus sit pater Pauli, v. g. ridiculum esset respondere, quia Paulus est filius Petri: sed respondendum esset, quia Paulus genitus est à Petro.

Instabis. Relativum definitur per suum correlativum v. g. pater per filium: Ergo relativum terminatur ad correlativum.

Distinguo antecedens. Eodem modo, relativum definitur per suum correlativum materialiter sumptum, concedo: formaliter sumptum, nego: Definitio enim exacta dari debet per aliquid prius definito: At unum relativum formaliter sumptum non est prius altero, cum relata sint simul natura, & proinde unum relativum non non debet definiri per alterum formaliter, sed tantum materialiter sumptum.

Objcies ultimo. Relatio terminatur ad terminum, ut terminus est: Atqui terminus ut terminus, est quid relativum: terminus enim est terminati terminus: Ergo Relatio terminatur ad relativum.

Nego minorem: terminus enim dicitur terminus, non quod referatur ad illud: sed quod aliud referatur ad ipsum, sed quod terminet, & hinc,

Confirmatur nostra sententia. Relatio terminatur ad terminum, ut est terminus: Atqui terminus ut terminus est, non est relativus: alioqui non amplius esset terminus, sed subjectum: Ergo relatio non refertur ad terminum ut ad relativum.

ARTI-

ARTICULUS POSTERIOR,

De naturâ Relationis categoricæ

EXpositis omnibus quodammodo facientibus ad Relationem categoricam: agendum est de ejus naturâ, quæ ut benè percipiatur tria præstanda sunt. 1. Videndum est quænam sit entitas ejus: deinde ejus definitio afferenda est: demum agendum est de ejus specificatione.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De entitate Relationis categoricæ.

QUatuor sunt opiniones de entitate Relationis categoricæ.

Prima est multorum Modistarum arbitrantium Relationem categoricam esse entitatem quandam modalem realiter superadditam fundamento.

Secunda est quorundam Nominalium existimantium Relationem categoriam esse denominationem externam petitam à solo termino.

Tertia est aliorum Nominalium asserentium Relationem categoricam esse aggregatum per accidens conflatū ex subjecto, fundamento, & termino.

Quarta est reliquorum Philosophorum decentium Relationem distingui tantum connotativè à fundamento: cum quibus sit

I. CONCLUSIO.

RElatio categorica non est entitas superaddita fundamento.

Probatur 1. authoritate Philosophi passim.

1. In hoc tractatu cap. de substātiâ, ubi dicit, propositionem de vera fieri falsam sine mutatione sui: Atqui si Relatio esset entitas superaddita, non posset de verâ fieri falsa sine sui mutatione, deberet enim recipere entitatem modalem falsitatis, quæ est Relatio.

2. 5. Metap. cap. 2. sic habet: In relatis contingit altero mutato, verificari alterum nihil mutatum: Atqui

hoc non contingeret si Relatio esset entitas superaddita.

3. Eadem verba repetit 11. Metaph. cap. ultimo.

4. Deniq; probat ex professo nostram sententiam eodem medio ultimi Metaph. 4. his verbis. Relatio non est ens quoddam, ut patet ex eo quod neq; generetur neque corrumpatur, neque habeat motum.

Probatur 2. authoritate S. Thomæ opusc. 48. cap. 2. hujus prædicamenti: ubi sic loquitur: Cum autem dico quod similitudo Socratis habet albedinem ejus ut fundamentum: non est intelligendum, quod similitudo Socratis sit aliqua res in Socrate alia ab albedine, sed solùm est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum: si enim similitudo adderet supra albedinem Socratis aliquam rem, nullo modo posset aliquis alteri fieri similis sine sui mutatione: fit autem homo alicui similis sine sui mutatione: nam si quis in Indiâ fieret modo albus, fieret similis mihi, & ego sibi, nullâ in me factâ mutatione, similitudo enim in me nullam rem addit supra albedinem, quæ sit realiter in me ut patet.

Hîc addi posset luculentissimus ejusdem Authoris textus citatus disputatione de Modis, desumptus ex 3. part. q. 16. art. 6. ad 2. ex quibus omnibus authoritatibus, sic argumentor. Non datur ulla entitas realis in creatis, quin detur illius causa productiva: Atqui non datur causa productiva Relationis: Ergo non est entitas realis. Probatur minor tum authoritate Philosophi, qui duobus ultimis locis docet ad Relationem non dari motum: tum authoritate S. Thomæ locis citatis docentis hominem posse fieri similem alteri aut dextrum sine mutatione sui: tum hac hypothesi: Supponamus jam dudum unicum esse parietē album in mundo, eumque Parisijs, & nunc de novo extrui alterum apud Indos; paries Parisinus fiet similis Indico: Atqui non potest afferri causa productiva illius novæ similitudinis: Nam causa illius productiva, vel esset paries Indicus, ejusve artifex: vel paries Parisinus. Non paries Indicus, ejusve artifex, quia agens non potest

agere

agere in distans nihil agendo per medium: Non etiam paries Parisinus, nam unde proveniret hæc nova fœcunditas in ruinoso pariete tamdiu sterili?

Respondent Adversarij, novam hanc fœcunditatem provenire ex eo quod ponatur paries Indicus, qui est conditio sine qua paries Parisinus non potest esse similis Indico.

Refelluntur. Conditio sine qua non, debet semper esse propè agens, ut patet in approximatione ignis, quæ est conditio ad combustionem, & in cognitione, quæ est conditio ad amorem: Atqui paries Indicus non est propè Parisinum: Ergo non est conditio sufficiens ad fœcunditatē parietis Parisini.

Distinguunt majorem. Conditio sine qua non, debet semper esse propè agens, in âbsolutis, concedunt: in relativis, negant.

At præterquam quòd hæc responsio est manifestissima petitio principij, convincitur falsitatis exemplo amoris rationalis aut sensitivi, qui licet sit essentialiter relativus ad cognitionem, quam supponit ut conditionem, nunquā tamen poni potest, nisi cognitio sit prope agens, imò in ipso agente.

Probatur 3. ex absurdo. Si Relatio esset entitas superaddita, sequeretur ad volatum muscæ omnes creaturas mutari realiter recipiendo in se novas entitates majoris vel minoris distantiæ: Ridiculum consequens: Ergo & antecedens.

Probatur 4. efficacissimâ paritate. Deus denominatur in tempore relativè Creator sine ulla entitate sibi supperadditâ: Ergo ad novam denominationem relativam non opus est ejusmodi entitate, etiam in creaturis.

Negant paritatem: Quia Deus, inquiunt, non est capax mutationis, & proindè nihil potest recipere: At verò creaturæ ut potè mutabiles, possunt recipere novas entitates.

Refutantur. Licet Deus non recipiat in se ullam enti-

tatem ſupperadditum, non deſinit recipere denominationes relativas: Ergo à pari licet creaturæ non recipiant ullas entitates ſuperadditas, non deſinunt recipere de novo denominationes relativas.

Confirmatur. Ex eo quod Deus in tempore denominetur Agens ad extrâ ſine ullâ entitate ſibi ſuperadditâ propter ſuam immutabilitatem, concludunt omnes Philoſophi etiam Adverſarij, agentia tranſeunter operantia, etiam errata, denominari agentiā ſine ullâ entitate in ſe receptâ: Ergo à pari ex eo quod Deus denominetur relativè Creator ſine ullâ entitate ſibi ſuperadditâ, jure concludimus omnia entia etiam creata, poſſe denominari relativè ſine ullâ entitate Relationis in ſe receptâ.

Probatur ultimò ex inutilitate. Deus à duobus parietibus albis tollat omnem modum ſuperadditum, (hoc enim Deum poſſe probavimus ratione noſtrâ ſecundâ contra entitates modales:) adhuc duo parietes albi erunt ſimiles: Ergo non opus eſt ullâ entitate ſuperadditâ: ut duo alba ſint ſimilia: & ita dicendum de cæteris.

Reſpondent duos illos parietes in tali hypotheſi fore ſimiles negativè, non poſitivè.

Verum petunt principium: nam ideo (inquiunt) in tali hypotheſi parietes non eſſent ſimiles poſitivè, quia non haberent formas ſuperadditas, quantum proprium eſt reddere ſubjecta ſimilia: eſſent autem ſimiles negativè, quia dicerentur ſimiles, nec tamen haberent ullam formam ſimilitudinis ſperadditam. At idipſum eſt quod quæritur: cōtendimus enim omnia ſimilia, eſſe tantū ſimilia negativè illo ſenſu, hoc eſt eſſe ſimilia ſine ullâ formâ ſimilitudinis ſuperadditâ: nam ex Philoſopho 5. Met. c. 15. Similia ſunt, quorū qualitas una, hoc eſt quæ habēt qualitates homogeneas, ideoq; eô præcisè quo ſunt qualitates homogeneæ in duobus ſubjectis, in illis eſt vera ſimilitudo.

Objicies 1. Ea diſtinguuntur realiter, quorum unum poteſt augeri altero nullo modo aucto: Atqui poteſt augeri Relatio non aucto fundamento, ut ſi pariete. A, retinente

tinere albedinem ut quatuor, paries B, antea albus ut ſex amitteret duos gradus albedinis, augeretur ſimilitudo parietis A, non auctâ, illius albedine: Ergo Relatio diſtinguitur realiter à fundamento.

Nego majorem. Nam eſſentia & entitas in corporibus non diſtinguuntur realiter & tamen dum creſcunt corpora naturalia, augetur eorum entitas, non auctâ eſſentiâ.

Inſtabis, Illa ſaltem diſtinguuntur realiter, quorum unum poteſt augeri altero diminuto: Atqui in exemplo allato augetur ſimilitudo parietis diminutâ ejus albedine, quæ eſt fundamentum: Ergo ſimilitudo diſtinguitur realiter ab albedine, & proinde Relatio à fundamento.

Diſtinguo majorem. Si unum augeatur propriè altero propriè diminuto, concedo: ſecus, nego: At in exemplo nobis objecto Relatio non augetur propriè & entitativè: ſed impropiè tantum & denominativè, ſicuti detractô ſanguine ab homine augetur debilitas, & ereptis pecunijs augetur paupertas.

Objicies 2. Magis diſtinguntur albedo & ſimilitudo, quam duæ albedines, cum minùs conveniant. Atqui duæ albedines diſtinguuntur realiter: Ergo albedo & ſimilitudo diſtinguuntur realiter.

Si adverſarij argumentarentur in formâ, deberent concludere albedinem & ſimilitudinem diſtingui pluſquam diſtinctione reali majori: quænam verò foret illa diſtinctio plus quam realis major?

Major etiam illius objectionis falſiſſima eſt in eorum principijs, quia ſecundum ipſos, duæ albedines diſtinguuntur diſtinctione reali majori: albedo verò & ſimilitudo ſolâ diſtinctione minori.

Diſtinguo tamen majorem: Magis diſtinguuntur albedo & ſimilitudo formaliter & per mentem, quàm duæ albedines, concedo: magis diſtinguuntur à parte rei, nego: nam ex majori diſtinctione mentali, non ſequitur major diſtinctio realis: magis enim diſtinguũtur mentaliter animalitas, & rationalitas: quàm duæ animalitates: non tamen propterea magis diſtinguuntur realiter.

Il.

II. CONCLUSIO.

Relatio categorica non est denominatio externa petita à termino.

Probatur 1. ex Aristotele, qui reponit Relationem inter Categorias: at denominationes externæ exulant à Categoriis.

Probatur 2. ratione. Similitudo parietis A, cum pariete B, potius sumi debet ab albedine internâ, quàm ab externa: Ergo relatio non est denominatio externa petita à termino. Probatur antecedens. Similitudo parietis A, debet sumi ab eo, quod est causa: cur paries A, sit similis parieti B. Atqui causa cur paries A, sit similis parieti B, potius est albedo ipsi interna, quam externa: ideo enim similis est, quia habet in se qualitatem homogeneam qualitati parietis B. Ergo similitudo parietis A, cum pariete B, sumi potius debet ab albedine internâ, quam ab externâ.

Objicies. Ab eo petitur denominatio relativa, quo posito ponitur talis denominatio, & quo sublato tollitur: Atqui posito & sublato termino, ponitur & tollitur denominatio relativa: Ergo relatio est denominatio externâ petita à termino.

Distinguo majorem. Ab eo petitur denominatio relativa, quo posito vel sublato, ponitur vel tollitur talis denominatio: si illud sit forma denominans, concedo: si sit tantum condito sine quâ non, nego: Sic positâ aut sublatâ approximatione ignis ad stupam, ponitur aut tollitur denominatio comburentis, & tamen hæc denominatio non repetitur ab approximatione, quia approximatio est tantùm conditio sine quâ non: non autem causa cur ignis comburat: ita à pari denominatio patris v. g. non petitur à filio, quia filius tantùm conditio sine quâ non, non autem causa cur pater sit pater.

III. CONCLUSIO.

Relatio categorica non est aggregatum per accidens ex subjecto, fundamento, & termino.

Probatur 1. ex Aristotele, apud quem Relatio est ens categoricum, entia autem per accidens non sunt categorica.

Probatur 2. ijsdem rationibus, quibus probavimus paragrapho quarto superioris articuli relationem categoricam non includere suum terminum.

Probatur 3. Si paternitas v. g. esset quoddam aggregatum ex homine generante, & genito, non esset potior ratio, cur prædicaretur de generante, quam de genito: Falsum conseq. Ergo & anteced.

Probatur 4. Si relatio esset aggregatum per accidens, paternitas v. g. non posset prædicari de suo subjecto: & sic falsa esset hæc propositio, Homo qui genuit, est pater, quia totum collectivum (qualis foret relatio) non potest prædicari substantivè de sua parte: Falsum consequ. Ergo & antecedens.

Probatur ultimò. Paternitas & filiatio distiguuntur realiter, cum relativè opponantur, ex Philosopho ipso: Atqui si relatio esset aggregatū ex subjecto, fundamento & termino, paternitas & filiatio non distinguerentur realiter, cum eadem includerent: Ergo relatio non est ejusmodi aggregatum.

Obijcies. Non potest esse relatio categorica sine subjecto, fundamento & termino: Ergo illa omnia dicit.

Distinguo consequens. Relatio categorica illa omnia dicit, diverso modo, scilicet fundamentum in recto & intrinsecè, terminum verò in obliquo & connotativè, concedo: Illa omnia dicit intrinsecè, nego: Sicut enim visio albi dicit quidem actionem visûs & albedinem, sed actionem visus intrinsecè, albedinem verò extrinsecè tantum & connotativè: ita relatio categorica dicit quidem fundamentum intrinsecè, terminum verò extrinsecè tantum & connotativè.

ULTIMA CONCLUSIO.

RElatio categorica est ipsum fundamentum, prout connotat terminum.

Sequitur ex dictis. Nam refutatis alijs opinionibus, nihil restat aliud in quo reponatur ratio relationis categoricæ, quam in fundamento, non quidem absoltè & seorsim spectato: nam potentia genitiva v. g. potest esse in homine sine paternitate: sed in fundamento prout connotat terminum.

Assertio est S. Thomæ opusc. 48. citato, ubi sic habet: Non est intelligendum quod similitudo Socratis sit aliqua res in Socrate alia ab albedine, sed solum est ipsa albedo Socratis ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad Terminum.

Confirmatur validissima paritate. Relatio transcendentalis nihil aliud est, quam res ipsa prout connotat essentialiter terminum; ut fatentur omnes Philosophi: sic relatio scientiæ nihil est aliud, quam ipsa scientia, prout connotat essentialiter objectum: Ergo à pari relatio categorica nihil est aliud quam ipsum fundamentum, prout connotat accidentaliter purum terminum, v. g. similitudo unius parietis, nihil est aliud quam ipsius albedo, prout connotat accidentaliter alterius albedinem.

Obijcies. Ea distinguuntu realiter, quorum unum potest esse sine alio: Atqui fundamentum potest esse sine relatione, v. g. potentia genitiva sine paternitate. Ergo relatio distiinguitur realiter à fundamento.

Distinguo majorem. Ea distinguuntur realiter, quorū unum potest esse sine altero entitativè sumpto, concedo: connotativè spectato, nego. Distinguo minorem. Fundamentum potest esse sine relatione, v. g. potenta genitiva sine paternitate, formaliter & connotativè sumptâ, concedo: realiter & entitativè sumptâ, nego: quippe Anchises, v. g. ante natum Æneam jam habebat paternitatem entitativè: & quod nondum pater denominaretur, non oriebabatur ex defectu entitatis intrinsecæ, ad id requisitæ, sed ex defectu termini, qui est conditio sine quâ non respectu relationis categoricæ.

Instabis. Entitas formæ non potest esse in subjecto, quin ci tri-

ei tribuat suam denominationem : Atqui ex concessis ante natum Æneam Anchises non habebat denominationem patris : Ergo non habebat entitatem paternitatis.

Distinguo majorem Entitas formæ non potest esse in subjecto, quin ei tribuat suam denominationem absolutam, concedo : relativam, nego. Potentia itaque genitiva ante natum filium denominat hominem generativum, sed non genitorem : sicut omnipotentia divina ab æterno denominabat Deum omnipotentē, sed nondum creatorem. Ratio disparitatis inter utramque denominationem est, quod denominatio absoluta pendeat à solâ formâ, denominatio verò relativa pendeat insuper à termino tanquā à conditione sine qua non.

PARAGRAPHUS SECUNDUS,

De definitione Relationis categoricæ

ARistoteles hîc duas affert definitiones relatorum in concreto.

Prima habetur statim initio hujus capitis his verbis: Relata sunt ea, quæ id quod sunt aliorum esse dicuntur, sive quomodolibet aliter cum alio conferuntur. Quæ definitio (inquit S. Thomas opusc, 48. cap. 1. hujus prædicamenti post ipsum Philosophum hîc) comprehendit omnia relativa tam secundùm esse, quàm secundùm dici : tam relativa realia, quàm relativa rationis : omnia enim dicuntur ad alia, scilicet ad correlativa, vel in habitudine casûs genitivi, propter quod dicit, aliorum esse dicuntur ut pater filij pater (vel potius parens prolis parens) sive quomodolibet alter, id est in habitudine cujuscunque casus, sive dativi, ut similis simili similis ; sive accusativi, ut mons parvus ad montem magnum : sive ablativi ut majus minore majus.

Secunda definitio Relatorum traditur ab Aristotele non procul à fine hujus capitis his verbis : Relata sunt, quibus hoc ipsum est esse, ac ad aliquid quodammodo se habere. Quæ definitio convenit solis relativis categoricis ex S.

Thoma

Thomâ opusc. citato cap. 2. hujus prædicamenti. Quamquam enim videatur hæc definitio cum priore coincidere, multùm tamen ab eâ discrepat. Prior enim definitio convenit omnibus relativis; posterior verò solis relativis categoricis. Non enim idem est totam essentiam relativorũ sitam esse in comparatione, ac relata, id quod sunt aliorũ dici: nam caput dicitur capitati caput, nec tamen tota capitis natura in relatione consistit, cum sit etiam quid substantiale & absolutum, & cognosci possit caput absque eo quod cognoscatur cujus sit caput: ex Aristotele hic.

Relatio in abstracto definiēda est in genere, Ordo subjecti ad terminum: non autem ad aliud, quia relationes personales Sanctissimæ Trinitatis non sunt ad aliud.

Relatio categorica vulgò definitur, Accidens Reale, cujus totum esse est ad aliud se habere: quæ definitio colligitur ex secundâ Definitione Aristotelicâ.

Exactiùs Relatio categorica definitur, Accidens Reale referens suum subjectum ad purum terminum. Quæ definitio explicata est cap. 1.

PARAGRAPHUS ULTIMUS,
De specificatione Relationis categoricæ.

Triplex est unitas & distinctio, scilicet, numerica, specifica & generica.

Quæritur hîc præsertim de unitate specificâ Relationisnam.

Diximus paragrapho ultimo articuli superioris, Relationem multiplicari numero pro multiplicatione numericâ terminorum totalium & non subordinatorum.

Certum est etiam Relationem multiplicari numero pro multiplicatione numericâ fundamentorum præsertim in nostrâ sententiâ, quæ identificat Relationes cum fundamentis. Et proinde ad unitatem numericam Relationis requiritur entitas fundamenti & termini: ad distinctionem verò numericam sufficit numerica alterutrius distinctio: multiplicato enim alterutro exurgit novum esse Ad: & proinde nova Relatio.

Certum

Certum quoque est unitatem genericam Relationis repeti ab unitate genericâ fundamentorum remotorum, sicut & distinctionem genericam ab eorum distinctione genericâ: unde illæ Relationes sunt ejusdem generis, quæ fundantur in eodem prædicamento; diversi verò, quæ fundantur in diversis prædicamentis, dummodo prædicamenta illa non fundent Relationes ejusdē appellationis: tunc enim istæ Relationes nequidem differunt specie, ut patet in similitudine duorum patrum, & duorum alborum.

Difficultas ergo tantùm est de unitate specificâ: unde scilicet specificetur Relatio.

Specificari est speciem & naturam ab aliquo sumere.

Unum specificari potest ab alio duobus modis, scilicet intrinsecè & extrinsecè.

Res specificatur intrinsecè per partem suam constitutivam physicam vel metaphysicam; hoc est per formam vel per differentiam essentialem: sic homo specificatur intrinsecè physicè per animam rationalem: metaphysicè verò per rationalitatem.

Res specificatur extrinsecè, per id, ad quod dicit ordinem essentialem v. g. scientia specificatur extrinsecè per scibile, & omnis potentia, habitus, & actus, per objecta.

Consentiunt omnes, Relationes specificari intrinsecè per suas differentias essentiales: Verùm quia illæ non innotescunt.

Quæritur hîc à quonam Relationes specificentur extrinsecè & quo ad nos?

Constat 1. Relationes non specificari à subjectis, quia idem subjectum Relationes habet diversæ rationis, v. g. idem homo Relationes diversitatis, æqualitatis, similitudinis, paternitatis, &c.

Constat 2. Relationes non specificari à solis fundamentis remotis: nam eadem albedo v. g. fundat similitudinē & dissimilitudinem.

Constat 3. Relationes non specificari à solis terminis, quia

quia eadem albedo poteſt terminare ſimilitudinem & diſſimilitudinem.

Conſtat denique Relationes non ſpecificari à fundamẽtis & terminis ſimul materialiter ſumptis, quia ſimilitudines inter duos homines doctos, & inter duos parietes albos ſunt ejuſdem ſpeciei, licet habeant fundamenta & terminos diverſæ ſpeciei: contra verò æqualitas & inæqualitas ſunt diverſæ ſpeciei, licet habeant fundamenta & terminos ejuſdem ſpeciei.

I. CONCLUSIO.

Relationes ſpecificantur à fundamento & termino formaliter ſumptis.

Probatur. Relatio eſt ordo, quem habet ſubjectum beneficio fundamenti ad terminum. Ergo fundamentum & terminum eſſentialiter reſpicit: Ergo ab ambobus ſpecificatur. Atqui non ſpecificatur ab illis materialiter ſumptis, (ut modo diximus:) Ergo ſpecificatur ab illis formaliter & ſecundum diverſas rationes fundandi & terminandi ſumptis. Unde ſimilitudines omnes ſunt ejuſdem ſpeciei: quia licet qualitates, in quibus fundantur, ſpecie differat; Non differunt tamen ſpecie, prout fundant ſimilitudines: fundant enim ſimilitudines, non prout qualitates ſunt ſimpliciter, ſed prout ſunt qualitates habentes unitatem ſeu convenientiam. Similia enim ſunt, quorum qualitas una, 5. Metaph. 15. eo ferè modo quo licet unitates hominum & equorum materialiter ſumptæ differant ſpecie, non differunt tamen ſpecie ſumpta formaliter prout componunt numerum vi diſtinctionis realis, quam habent à ſe invicem, quæ ſcilicet ejuſdem eſt rationis in ipſis.

II. CONCLUSIO.

Relationes ſpecificantur etiam à ſuis effectibus formalibus

Probatur. Omnis forma ſpecificatur à ſuo effectu formali, v. g. quantitas ab extenſione, ubi à locatione, &c. Atqui Relationes ſunt formæ quædam metaphyſicæ: Ergo ſpe-

go specificantur à suis effectibus formalibus, id est ab illis denominationibus, quas tribuunt subjectis. Ratio à priori est, quia res specificantur à proprijs finibus, id est ab intrinsecis finibus ad quos tendunt: effectus autem formales sunt proprij & interni fines formarum.

Itaque sicut habitus specificantur proximè ab actibus, remotè verò ab objectis: Ita Relationes specificantur proximè à suis effectibus formalibus: remotè verò à fundamentis & terminis formaliter sumptis. Quærenti enim v. g. cur omnes similitudines sint ejusdem speciei; respondetur, id inde oriri quod tribuant eosdem effectus formales suis subjectis eaque eodem modo denominent: Urgenti verò cur omnes similitudines eodem modo determinent sua subjecta; respondetur rationem esse, quia sunt inter fundamenta & terminos ejusdem penitùs rationis secundum rationes formales fundandi & terminandi.

CAPVT TERTIVM,

De proprietatibus Relationis.

QUinque hîc refert Philosophus, Relationis affectiones. Prima. Relatio habet contrarium, sic similitudo contraria est dissimilitudi. Sed (ut inquit ipse Philosophus) hoc non convenit omni Relationi: neque enim duplo aliquid contrarium est.

Secunda. Relatio suscipit magis & minus: datur enim simili similius; non tamen omnia, quæ cum aliquo comparantur, admittunt magis & minus: unum enim duplũ non est magis duplum quàm aliud, ex ipso Philosopho. Hæ ergo duæ proprietates Relationi conveniunt tantum ratione sui fundamenti, ut docet S. Thomas Opusc. 48. cap. 5. hujus prædicamenti his verbis. Sciendum quod Relativa quorum fundamenta & termini suscipiunt magis & minus, & contrarietatem: & ea quoque suscipiunt magis & minus & contrarietatem: quorum verò fundamenta

menta & termini non suscipiunt magis & minus nec contrarietatem, nec & ipsa suscipiunt.

Tertia. Relata reciprocantur in obliquo: Sic omnis parens est prolis parens, & vicissim omnis proles est parētis proles. Sed ut illud ritè fiat, Relata referenda sunt ad propria correlata. v. g. non est dicendum quod pater sit filij pater, sed prolis, quia potest esse pater filiæ. Quod si correlata non habeant propria nomina, necessarium est fingere nomina (inquit hic Aristoteles) v. g. dicendum est quod Temo sit Temonati Temo, quod caput sit capicaput.

Quarta. Relata sunt simul naturâ: hoc est, Relatum non potest esse sine altero, seu Relata & necessariam habent ac indissolubilem connexionem, & se mutuò tollunt: quæ proprietas cōvenit tantum Relationibus categoricis, scientia enim v. g. posterior est scibili, ex ipso Aristotele hic.

Quinta. Relata sunt simul cognitione & definitione: Non enim unum Relatum cognosci potest sine altero, nec definiri quin fiat alterius mentio: & hanc ob rem circulus in Relativis non est vitiosus, ut docet Porphyrius cap. de Specie.

CAPVT QVARTVM,

De divisione Relationis.

DIvisionem Relationis in genere totam explicuimus primo capite, eamque hic breviori adhuc ordine subjicimus.

Relatio in genere vel est realis, vel rationis, ut relatio subjecti, prædicati, &c.

Relatio realis vel est increata, ut paternitas divina, filiatio divina, spiratio activa & spiratio passiva: vel creata, quæ duplex est, scilicet secundum esse, seu categorica, & secundum dici; quæ duplex quoque est, transcendentalis ni-

lis nimirum seu essentialis, & non transcendentalis, ut Relatio propositionis contingentis ad objectum.

Divisio Relationis categoricæ hæc est cujus explicatio patet ex iis quæ docuimus paragr. 2. & 3. articuli prioris capitis secundi.

Relatio categorica duplex, una ratione fundamenti remoti; altera verò ratione fundamenti proximi.

Relatio categorica ratione fundamenti remoti dividitur in eam quæ fundatur in essentiâ ut identitas, diversitas: in quantitate, ut æqualitas, inæqualitas, & proportiones omnes mathematicæ: in qualitate, ut similitudo & dissimilitudo: in ubi, ut vicinia & distantia: in quando, ut prioritas, posterioritas & contemporaneitas.

Relatio categorica ratione fundamenti proximi dividitur in eam quæ fundatur in unitate essentiæ, quæ est identitas, quantitatis quæ est æqualitas, qualitatis quæ est similitudo, ubi quæ est simultaneitas, & quando quæ est contemporaneitas: in numero, essentiæ quæ est diversitas, quantitatis quæ est inæqualitas & proportiones mathematicæ; qualitatis quæ est dissimilitudo; ubi, quæ est vicinia & distantia: quando quæ est prioritas & posterioritas: in actione, ut relatio causæ ad effectus; & passione, ut relatio effectus ad causam.

Relatio realis potest adhuc dividi in mutuam, & non mutuam.

Relatio non mutua est ea, quæ non habet correlationē sibi correspondentem, qualis est relatio propositionis ad obiectum non existens.

Relatio mutua est ea, quæ habet correlationem sibi respondentem, ut paternitas.

Relationes mutuæ aliæ sunt æquiparantiæ, quæ sunt ejusdem appellationis, ut similitudo, æqualitas, &c. aliæ disquiparantiæ, quæ sunt diversæ appellationis, & proinde inæqualis dignitatis: hæcque inæqualitas venit vel à naturâ, ut inter creatorem & creaturam: vel à fortunâ, ut inter Regem & subditos: vel ab arbitrio, ut inter maritum

tum & uxorem. Relatio dignior vocatur à S. Thoma o. pusc. 48. hîc Superpositionis: inferior verò, suppositionis. Vulgus Philosophorum docet dari quasdam Relationes categoricas non mutuas, contra quos fit.

CONCLUSIO.

NUlla datur relatio categorica non mutua

Probatur 1. Si quæ Relatio categorica non esset mutua, maximè Relatio creaturæ ad Deum: Atqui illa est etiam mutua, quia cum in nostra sententia Relatio non sit entitas supperaddita, nihil periculi est admittere Relationes de novo advenientes Deo, ut probavimus ubi de subjecto Relationis, & certè tam Deus est naturæ diversæ à creatura, quàm creatura à Deo.

Probatur 2. Referri Relatione mutuâ, nihil est quam esse duo entia, quæ vicissim ita sumi possunt sine fictione, ut modo unum ponatur in recto, alterum in obliquo: modo vice versa: Atqui si rectè instituatur comparatio inter extrema Relationis categoricæ, semper id fieri potest, ut hîc fusè probat Philosophus demonstrans maximè propriam relatorum affectionem esse reciprocari in obliquo.

Objicies 1. Philosophus Metaph. cap. 15. docet, mensurabile, scibile & intelligibile dici ad aliquid, non quòd ipsa referantur ad aliud, sed quod alia referantur ad ipsa: Ergo omnes Relationes non sunt mutuæ.

Respondeo 1. hanc objectionem nobis non adversari, quia non est de Relationibus categoricis, ut patet exemplo Philosophi.

2. Philosophum ibi non negare relationes illas esse mutuas, sed tantum velle nonnulla relativa proprio nomine carere: appellationemque desumere à termino, ad quem referuntur; sic, quod mensuratur à mensurâ mensurabile denominatur: sic objectum scientiæ à scientiâ vocatur scibile, & objectum intellectus intelligibile ab intellectu nuncupatur.

Objicies 2. Si Relatio categorica esset mutua: darentur

tur duo prædicamenta Relationis: nam Relatio categorica in genere haberet aliam relationem ſibi ex adverſo correſpondentem, quæ proinde non poneretur in eodem prædicamento cum ipſa: Falſum conſequens. Ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem. Si Relatio categorica ſumpta in ſuppoſitione ſimplici (id eſt pro ſeipſa) eſſet mutua, darentur duo prædicamenta relationis, concedo: ſi relatio categorica ſumpta in ſuppoſitione perſonali (hoc eſt pro ſuis inferioribus) eſſet mutua, darentur duo prædicamenta relationis, nego. Non dico autem ipſum prædicamentum relationis eſſe mutuum: ſed omnes ejus ſpecies eſſe mutuas.

SECTIO PRIMA,
De Actione.

CAPUT PRIMUM,
De nomine, notione, & exiſtentia Actionis.

Actionem hic ſumunt Philoſophi pro qualibet actione: non autem ſpeciatim, prout opponitur effectioni, quo poſteriori ſenſu diximus de actione in Prolegomenis Logicæ: & hoc modo.

Actio concipitur ut forma quædam, à quâ res denominatur formaliter agens; ſic à viſione animal denominatur formaliter calefaciens; ſicut enim calor denominat ignem formaliter calidum; ita calefactio ignem denominat formaliter calefacientem: & omnis actio denominat ſuum principium agens.

Dari Actionem inficiari nemo poteſt, niſi agendo.

CAPUT

CAPVT SECVNDVM

De causis Actionis

CAusa efficiens Actionis (si quæ sit) est agens, à quo scilicet actio fit ut quo.

Causa finalis Actionis, est terminus: Actio enim est veluti via tendens ad terminum: sic generatio tendit ad substantiam, augmentatio ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, &c.

Causa materialis in quâ actionis, est ipsum, agens: Actio enim recipitur in agente, ut infra docebimus: causa materialis circa quam, est terminus circa quem versatur actio.

Causa formalis actionis alia non est ab ejus definitione.

Actio definitur ab Aristotele 3. Phys. 3. Actus hujus in hoc, id est, actus agentis in patiens.

Definitur vulgò, Actus agentis, ut agens est. Actio verò categorica definienda est, Accidens, à quo res denominatur agens.

Terminus Actionis est id ad quod tendit actio. Terminus per actionem transeuntem productus, vocatur effectus, terminus verò per actionem immanentem productus, dicitur Actus: terminus per actionem acquisitus tantum non productus, retinet nomen termini.

Quæritur utrùm Actio sit entitas quædam modalis distincta ab agente & termino?

CONCLUSIO.

ACtio non est entitas distincta ab agente & termino.

Probatur 1. ex Aristotele, qui 5. Phys. 2. & 11. Metaph. ultimo, docet ad actionem non dari motum: Atqui si actio esset entitas quædam distincta, ad actionem daretur motus: receptio enim illius entitatis in subjecto, esset motus, seu mutatio, ex ipsis Adversarijs, qui vel ob id unum

num nolunt actionem transeuntem recipi in Deo, ne Deus agendo mutetur.

Probatur 2. authoritate S. Thomæ, qui qu. 7. de Potentia art. 10. ad 8. sic ait: Illud à quo denominatur aliquid, non oportet quod sit semper forma secundùm rei naturam, sed sufficit quod significetur per modum formæ grammaticè loquendo: denominatur enim homo ab Actione, & indumento & ab alijs ejusmodi, quæ revera non sunt formæ. Et opusc. 48. cap. 3. hîc, docet calefactionem nihil esse aliud quàm calorem influxum: & cap. 5. sic scribit: Licet Actio, & passio, & forma, quâ aliquid movetur, sint una res, tamen propter diversam denominationem quam important, vel diversum respectum importatum, sunt diversa prædicamenta.

Probatur 3. à priori. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: Atqui non est necessitas distinguendi realiter Actionē ab agente & termino, quia si quæ esset necessitas, maximè ut mediante Actione dependeret terminus ab agente: Atqui potest terminus immediatè pendere ab agente: si enim in sententiâ Modistarum actio pendet immediatè ab agente, quidni & terminus?

Respondent, disparitatem esse, quia Actio fit ut quo: & proinde non eget alio intermedio, quo fiat: terminus verò fit ut quod.

Contra. Si actio sit entitas distincta, ut volunt Adversarij, fit etiam ut quod, quia eodem modo res fit, quo est: v. g. Res, quæ est independenter à materiâ, fit quoque independenter à materiâ, & contra: Atqui si Actio sit entitas distincta, est ut quod: Ergo fit ut quod. Probatur minor. Sola existentia est ut quo, quia illa sola forma existit ut quo, cujus effectus formalis est reddere subjectum existens ut quod: Atqui solius existentiæ effectus formalis est reddere subjectum existens ut quod: Ergo sola existentia existit ut quo: & proinde si actio sit entitas distincta, existit ut quod.

Probatur ultimò exemplo creationis. Creatio non est

entitas distincta ab agente & termino: Ergo nec ulla alia actio: Patet consequentia: Si enim anima equi, v. g. quæ est indifferens ut creetur à Deo, vel ab agente naturali educatur ex materiâ, possit determinari sine ullo modo superaddito, ut à Deo creetur, & non producatur ab agente naturali: quilibet effectus quantumvis indifferens de se ad multas causas, poterit determinari ad unam potiusquam ad aliam causam sine ullo modo distincto. Itaque

Probatur antecedens. Si creatio foret entitas distincta ab agente & termino, vel reciperetur in creatore, vel in creaturâ: Neutrum dici potest: nam non potest recipi in creatore, alioqui Deus creando mutaretur: non potest etiam dici, quod recipiatur in creaturâ, quia quod est prius naturâ, non potest recipi in posteriori: Atqui creatio foret prior naturâ creaturâ: Ergo non posset recipi in creaturâ.

Distinguunt Axioma. Quod est prius naturâ, non potest recipi in posteriori, tanquam in subjecto inhæsionis, concedunt: tanquam in subjecto adhæsionis, negant. At (inquiunt) Creatio est tantùm in creaturâ adhæsivè, nõ autem inhæsivè.

Inania verba: namque sive creatio foret in creaturâ adhæsivè, sivè inhæsivè, penderet essentialiter à creaturâ, vel tanquam á causâ, vel saltem tanquam à conditione: ea enim est infirmitas Modi, ex ipsis Adversarijs, ut nec esse nec fieri possit etiam divinitùs sine re modificata: Ergo creatio esset posterior creaturâ, à quâ scilicet penderet tanquam à termino, vel saltem tanquam à conditione: quod tamen falsum est, cùm creatio sit via ad creaturam.

Actio ergo apud nos nihil est aliud quàm agens, prout influit in terminum, vel terminus prout pendet ab agente: quippe

Duobus modis sumitur actio, scilicet principativè pro agente, quatenus agens est, & terminativè pro termino quatenus attingitur ab agente. Primo modo non distinguitur

guitur realiter ab agente: distinguitur sæpius secundo modo, ut effectus à causâ.

Unde colliges actionem recipi in agente si principativè sumatur: in patiente verò, si terminativè sumatur.

Objicies 1. Possunt esse agens & terminus sine actione, v. g. potest esse sol supra nostrum horisontem, & lumen in aëre, etiamsi sol non producat lumen, Deo denegante concursum soli, & se solo lumen conservante: Ergo Actio est entitas distincta ab agente & termino.

Distinguo antecedens. Possunt esse agens & terminus sine actione: si agens & terminus absolutè spectentur, concedo: si spectentur formaliter & connotativè, hoc est agens prout actu influit in effectũ, & effectus prout actu pendet ab agente, nego.

Quæres, quid sit agens actu influere in effectum, & effectum actu pendere ab agente?

Respondeo, esse agens exercere officium causæ respectu effectus: dare esse effectui: esse actu principium effectus: & effectum incipere esse ab agente, & actu produci ab agente.

Si rursum quæras quid hoc sit:

Respondeo, te vitiosè quærere: sunt enim definitiones causæ efficientis & effectus; at non datur definitio definitionis, sicut nec forma formæ.

Sed petes, cur sol nunc potius producat lumen, quàm in hypothesi allatâ?

Respondeo, rationem esse, quia Deus nunc præbet cõcursum soli, quem in tali hypothesi denegaret, ut ipse supposuisti.

Quod si pergas petendo quid sit ille concursus divinus?

Dicam nihil aliud esse, quam ipsum Deum simul influentem cum cum sole in productionem luminis.

Objicies 2. Illa distinguuntur realiter, quorum unum potest variari, alio non variato: Atqui variari potest actio non variato termino, ut si lumen quod à sole produ-

citur nunc, produceretur postea à solo Deo: Ergo actio distinguitur realiter à termino.

Distinguo minorem. Variari potest actio principativè sumpta non variato termino, concedo: variari potest actio terminativè sumpta non variato termino, nego: At fateor actionem principativè sumptam distingui realiter à termino.

Objicies 3. Causa distinguitur realiter ab effectu: Atqui actio est causa termini: Ergo distinguitur realiter ab illo.

Distinguo minorem. Actio principativè sumpta est causa termini, concedo: Actio terminativè sumpta est causa termini, nego: alioquin idem esset causa sui ipsius.

Instabis. Agens est causa actionis: Ergo ab eâ distinguitur realiter.

Distinguo antecedens. Agens est causa Actionis, terminativè sumptæ, concedo: principativè sumptæ, nego.

Objicies ultimò. Via distinguitur realiter à termino: Atqui actio est via quædam media inter agens & effectū: Ergo ab illis distinguitur realiter.

Distinguo majorem. Si sit via propriè dicta, concedo: si sit tantum via metaphorica, nego: actio autem est tātùm via metaphorica, & secundùm modum nostrum concipiendi.

CAPUT TERTIUM.

De proprietatibus Actionis.

DUæ hîc afferuntur à Philosopho Actionis & Passionis proprietates.

Prima: Actio & Passio, habent contrarium: sic calefactio adversatur frigefactioni.

Secunda: Actio & Passio suscipiunt magis & minus: sic calefactio intensior esse potest, vel remissior.

Hæ tamen affectiones actioni & passioni competunt tantùm ratione terminorum; unde dum termini nec habent

bent contrariũ, nec suscipiunt magis & minus, Actiones quoque & Passiones nec contrarium habent, nec suscipiunt magis & minus: ut patet in generationibus.

CAPUT QUARTUM,

De divisione Actionis.

ACtio in genere dividi potest octo modis.

1. Ratione entitatis in increatam, qualis est generatio Verbi divini: & creatam, qualis est generatio hominis. Item in spiritualem, qualis est intellectio: & corpoream, qualis est calefactio.

2. Ratione principij in naturalem seu necessariam, quæ non fit ex mentis advertentiâ: nec ex determinatione voluntatis, ut motus cordis, & in liberam quæ fit ex determinatione voluntatis, estque objectum Philosophiæ moralis, ut jejunium, elemosyna, &c.

3. Ratione termini, in intentionalem, quæ producit imagunculas in sensibus: & in realem, quæ aliquid aliud producit: hæcque vel est substantialis, quæ producit substantiam, ut generatio hominis: vel accidentalis, quæ producit accidens, ut calefactio.

4. Ratione principij & termini simul, in univocam, quâ agens producit terminum ejusdem secum naturæ: qualis generatio equi: & in æquivocam, quâ agens producit terminum diversæ à se naturæ, qualis est generatio muli.

5. Ratione termini à quo, in creativam, quâ aliquid fit ex nihilo: & non creativam, qua effectus fit ex præsupposito subjecto, quæ dicitur eductio, quatenus terminatur ad formam: Generatio verò quatenus terminatur ad totum: sic productio animæ equi, dicitur eductio, productio verò ipsius equi, generatio.

6. Ratione subjecti in immanentem & transeuntem. Prior vocatur à S. Thoma lectione primâ in primum E-

thicorum, Actio: Posterior vero, Effectio, quia scilicet terminus prioris dicitur Actus, posterioris verò Effectus.

Actio immanens est ea, quæ nihil producit extra agēs: ut visio. Et duplex est, scilicet, emanatio, & actio vitalis.

Emanatio est actio immanens tendens ad aliquid debitum & proveniens à sola essentiâ vel ejus potentia, ut spontanea aquæ frigefactio, descensus gravium, &c.

Actio vitalis est Actio immanens, quæ elicitur à potentiâ adjuta alio comprincipio; ut explicabitur in libris de Animâ.

Actio transiens est ea, quæ facit aliquid extra agens, & duplex est: scilicet applicativa quæ nihil producit, ut latio: & productiva, quæ producit aliquid, ut calefactio.

7. Ratione modi, in naturalem, quæ fit naturæ viribꝰ, ut ambulatio: & supernaturalem, ad quam creatura à Deo elevatur: qualis est visio beatifica.

Ultimò denique, ratione durationis, in instantaneam, quæ momento peragitur, qualis est illuminatio: & successivam, quæ eget tempore ut fiat, qualis est calefactio.

SECTIO SEXTA,

De Passione

Omni Actioni sua correspondet Passio aliquo modo: nimirū Actioni, ut productiva est, productio passiva: ut verò Actio supponit subjectum, ita & Passio propriè dicta seu receptio, quæ sola ponitur in prædicamento Passionis: sicut sola Actio ei opposita in prædicamento Actionis.

Ex divisionibus Actionis facile est colligere divisiones Passionis:

Eædem sunt etiam proprietates Actionis & Passionis. Quare duo tantùm hîc restant capita.

CAPUT PRIUS,

De nomine, notione, & existentiâ Passionis.

Passio sumitur multis modis.

1. Pro

1. Pro proprietate, quæ manat ab essentiâ, in eáque recipitur. Sic vis ridendi est Passio hominis.

2. Pro tertiâ specie qualitatis parum diuturnâ, qualis est pallor ex timore.

3. Pro productione passiva], quo sensu Creari Passio quædam est.

4. Pro receptione quadam, quâ passum recipit aliquid ab agente, quo sensu constituit hoc prædicamentum.

5. Strictius & popularius pro receptione alicujus noxij & disconvenientis: ex 5. Metaph. 21. quo sensu qui recipit sanitatem non dicitur pati, sed qui incidit in morbum: & hoc sensu, quò qualitas recepta magis est noxia, eò major est Passio: hinc dicimus Passionem Christi Domini fuisse maximam, Hoc autem contingit non tantùm quando qualitas ex naturâ sua est noxia, qualis est morbus: sed etiam quando per accidens nocet propter excessum, ut animæ lætitia: & propter hanc rationem actiones appetitus sensitivi vocantur à Philosophis moralibus, Passiones, quia fiunt cum mutatione corporis non naturali.

Passio hîc concipitur ut forma, à qua res denominatur patiens, seu recipiens. Nam Pati, apud Philosophos nihil aliud est, quam recipere.

Dari Passiones, plus satis experimur quotidiè, novas identidem mutationes subeundo.

CAPVT POSTERIVS,

De causis Passionis.

CAusæ Passionis patent ex ijs quæ dicta sunt de causis Actionis: tantùm afferenda est ejus definitio.

Definitur, Actus hujus ab hoc. V. g. illuminatio passiva est actus aeris à sole: Vulgò definitur, Actus patientis ut patiens est, seu Accidens, à quo res denominatur patiens.

Apud Modistas Actio & Passio non distinguuntur reali-

ter : & proinde cum superiori sectione probaverimus Actionem non esse entitatem modalem , probavimus quoque eadem operâ Passionem non esse modum distinctum. Videndum tantùm superest, quomodo apud nos Actio & Passio distinguantur.

Sicut Actio sumitur duobus modis, scilicet principativè pro agente, quatenus agens est : & terminative pro termino , prout fit : ita Passio sumitur quoque duobus modis , scilicet subjectivè, pro patiente, quatenus recipit : & terminativè pro termino, quatenus recipit. Hoc posito.

Dico 1. Actionem & Passionem terminativè sumptas non distinguitur realiter.

Est mens Philosophi, qui 3. Phys. 3. dicit quod actio & passio distinguuntur, sicut via Thebis Athenas, & Athenis Thebas : & sicut distantia unius ad duo, & duorum ad unum : & sicut aclive & declive : Similia reperit 11. Metaph. 8.

Est etiam mens S Thomæ opusc. 48. cap. 3. de Actione : ubi sic habet : Licet Actio & Passio , & forma quâ aliquid movetur, sint una res, tamen propter diversam denominationem , quam important, vel propter diversum respectum importatum sunt diversa prædicamenta : sic calor, v.g. prout est actus solis in aerem, est Actio : prout est actus aeris à sole , est passio : prout est actus aeris transeuntis à non calido ad calidum , est motus. Unde patet actionem & passionem, & motum terminativè sumpta non differre realiter : sed tantùm virtualiter & definitione,ut docet etiam ex professo Philosophus 3. Phys. 3. ubi sic habet : Sunt quidem unum, sed eorum ratio non est una.

Dico 2. Actionem principiativè sumptam distingui realiter in actionibus transeuntibus. Probatio facilis est : nam Actio principiativè sumpta, est agens, Passio subjectivè sumpta, est patiens, : Atqui in Actionibus transeuntibus agens & patiens distinguuntur realiter : Ergo Actio principiativè sumpta , & Passio subjectivè sumpta in illis distinguuntur realiter.

Dixi,

Dixi, in Actionibus transcendentibus, nam cum in immanentibus idem sit agens & patiens, Actio & Passio in illis non possunt ullatenus distingui realiter.

SECTIO SEXTA,
De Quando.

QUando prius explicamus, quam Ubi: quia Ubi maximam habet connexionem cum Situ, ut patet ex nostra divisione Accidentis categorici.

Quando definitur à S. Thoma opusc. 48. hic, Quod ex adjacentiâ temporis relinquitur.

Definitur vulgò, forma, à qua res est formaliter in tempore.

Definitur clarius, Duratio rei creatæ. Agemus 2. parte Physicæ de speciebus durationis.

Proprietates communes quatuor ultimarum categoriarum, duæ tantum solent afferri à Philosophis, quas in sequentibus Sectionibus non repetemus.

Prima est, quod quatuor ultimæ Categoriæ non habeant contrarium, supple ratione sui.

Secunda est, quod hæc ultima prædicamenta non suscipiant magis & minus, eodem sensu.

Posset addi tertia pro Qando, Quod scilicet Quando sit fundamentum prioritatis, posterioritatis, & coætaneitatis. Hinc omnes homines vel sunt nostri majores, vel posteri. vel coætanei.

Sed hic rursùm nobis dimicandum est cum Modorum patronis, qui durationes creatas modaliter distinguunt à rebus durantibus: contra quos sit

CONCLUSIO.

DUratio non distinguitur à re durante.

Probatur 1. authoritate Philosophi, qui cap. ultim Categoriarum dicit, nihil esse aliud dicendum de Quando quàm quod dixi in antepræducamentis: Atqui si Quando seu duratio esset entitas superaddita rei duranti, multa forent de illa dicenda: cum explicandæ forent ejus causæ

& proprietates. Ergo Quando non est entitas distincta à re durante.

Probatur 2. paritate. Ita se habet Duratio ad existentiam, quomodo se habet conservatio ad productionem: sicut enim conservatio est cõtinuata rei productio, ita Duratio est continuata rei existentia: Atqui ex ipsis Modistis conservatio non distinguitur modaliter à primâ productione, saltem dum effectus conservatur ab ijsdem causis, à quibus productus est: Ergo Duratio non distinguitur modaliter ab existentiâ rei durantis.

Probatur 3. ab inutilitate. Non sunt multiplacanda entia sine necessitate: Atqui non est necessitas Durationis modalis: sublata enim qualibet entitate mihi superaddita, dummodo meam entitatem Deus conservet, adhuc durarem: Ergo non est admittenda Duratio modalis.

Obijcies 1. Quod est indifferens debet ab aliquo determinari: Atqui homo de se v. g. est indifferens ut vivat hoc sæculo, vel alio: plus vel minus. Ergo debet ab aliquo determinari: Atqui illud à quo determinatur est Quando modale: Ergo datur quando modale.

Concesso toto primo argumento: nego antecedens subsumpti: determinatur enim homo ut vivat hoc sæculo, vel alio, plus vel minus, à suis causis productivis, & conservativis.

Obijcies 2. Ens permanens & ens successivum distinguuntur realiter: Atqui res durans sæpe est permanens, ut Angelus; Duratio verò semper est successiva: Ergo distinguuntur realiter.

Distinguo majorem. Res permanens, & ens successivũ distinguuntur realiter, si ens successivum sit successivum intrinsecè & entitativè, concedo: si sit successivum extrinsecè tantùm & connotativè, nego: At Duratio Angeli successiva tantùm est connotativè virtualiter, eò quod correspondeat varijs temporis partibus: non autem entitativè & formaliter: eò ferè modo quo ejus substantia est tantùm extensa virtualiter, non autem formaliter.

Insta-

Instabis. Duratio Angeli non est tota simul: Ergo est successiva.

Distinguo. Duratio Angeli non est tota simul, connotative, hoc est, simul non connotat omnia tempora, concedo: non est tota simul entitative, hoc est, non habet simul omnem suam entitatem, nego: & eodem modo distinguenda est consequentia.

SECTIO NONA,

De Ubi.

VBi concipitur ut id, quo res est formaliter in aliquo loco: non autem in omni loco: nam, ubiquitas, qua Deus est in omni loco, non est ubi, sed ubique: proindeque non habet locum in hoc prædicamento.

Dari Ubi patet: quia non sumus nullibi.

Ubi hoc habet sibi proprium, ut sit fundamentum relationum localium distantiæ, & simultaneitatis.

Duplex est Ubi: scilicet definitivum & circumscriptivum: nam Ubi repletivum, quo Deus omnia replet, non est Ubi, ut diximus, sed ubique.

Ubi definitivum, est illud, quo res est tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci: quale est Ubi Angeli, & animæ rationalis.

Circumscriptivum, est illud, quo res est tota in toto loco, sed non tota in qualibet parte loci, quale est Ubi naturale corporum.

Utrumque subdividitur in fluens, quod res habet in motu: & permanens, quod res habet in quiete, &c. in Physicis ubi de loco.

Modistæ magnifaciunt Ubicationes modales, quas statuunt tanquam formas quasdam à loco & re locatâ distinctas, penitus intransferibiles localiter: contra quos sit

CONCLUSIO.

VBi non est entitas à loco & locato distincta.

Probatur 1. authoritate Philosophi citatâ in disceptatione contra Modos in communi, & ex 8. Phys. cap 7. ubi

docet solum motum localem ex omnibus motibus non mutare esse sui subjecti.

Probatur 2. authoritate S. Thomæ, qui 1 part. qu. 10. art. 3. sic habet. Mobile secundùm locum non est in potentiâ ad aliquid intrinsecum, in quantum ejusmodi : sed solum ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum.

Probatur 3. Ubi & esse in loco sunt polionyma, ut colligitur ex 3. Phys. 5. circa finem ; sicut vestis & indumentum : nam, ubi est ? & in quo loco est ? ex cōmuni mortalium omnium sensu, sunt quæstiones idem prorsus significantes : Atqui ad quæstionem, in quo loco est ? semper respondetur per aliquem locum externum , v. g. in Lycæo , in foro : Ergo ad quæstionem , Ubi est ? sic est respondendum , ut patet ex ipso Philosopho, qui affert hæc exempla pro Ubi. Ergo Ubi non est quid distinctum à re prout connotat locum.

Probatur 4. Sublato quolibet Ubi modali, res foret adhuc alicubi : impossibile enim est rem esse, & nullibi esse, ut hîc supponimus probandum in Physicis. Ergo non op9 Ubi modali ut res sit in loco.

Valdè cruciantur Modistæ in hoc digerendo argumento. Aliqui dicunt quod in tali hypothesi res nullibi foret: & hoc in Physicis : Alij respondent non posse rem conservari sine omni Ubicatione collectivè, sed tantum distributivè sumptâ , & illos refutavimus secundâ nostrâ ratione entitates Modales in communi. Plerique respondent quod admisâ tali hypothesi res foret alicubi negativè, non positivè . & isti sic

Refelluntur. Sublato quolibet Ubi modali, res adhuc corresponderet alicui parti virtuali immensitatis Dei , à quo conservaretur : Ergo esset alicubi positivè, quid enim obstaret ?

Quia res non haberet (inquiunt) Ubicationem modalem positivam, per quam esset in loco.

At, Si hoc sit esse in loco positivè, contendo nihil esse in loco positivè, sed tantum negativè : hoc est, sine ullâ Ubicatione distinctâ, ut potè prorsus superfluâ. Obi-

Objicies 1. Potest esse Petrus, & hic locus v. g. classis, absque eo quod Petrus sit in classe: Ergo ut Petrus sit in classe, opus est aliquâ Ubicatione classicâ distinctâ.

Distinguo antecedens. Possunt esse Petrus & classis divisim, absque eo quod Petrus in classe, concedo: possunt esse conjunctim, id est, classis includens & Petrus inclusus absque eo quod Petrus sit in classe, nego.

Instabis. Possunt esse Petrus & classis absque eo quod sint conjunctim: Ergo Petrum & classem esse conjūctim addit aliquid utrique.

Distinguo consequens. Addit aliquid utrique connotativum & relativum, concedo: entitativum & absolutum, nego.

Urgebis inquisitivè, Quare Petrus potiùs sit in classe, quam alibi?

Respondeo. Quia ad classem se movit, non ad alium locum.

Perges petendo quare hoc?

Respondeo. Ut doceat vel discat quia ex Aristotele 2. Phys. 3. Causæ sunt sibi mutuò causæ.

Insistes quærendo per quid Petrus sit in classe?

Respondeo. Per circumscriptionem à classe, hoc est, quia parietibus classis continetur & ambitur.

Objicies 2. Omnis motus debet habere aliquem terminum: Atqui terminus motûs localis, est Ubi modale: Ergo debet admitti tale Ubi.

Nego minorem. Nam terminus motùs localis, est locus, ad quem tendit, ut patet ex laudatâ authoritate sancti Thomæ.

Instabis. Omnis motus debet producere suum terminū: Atqui motus localis non producit locum: Ergo locus nō est terminus motûs localis.

Major potest absolutè negari: nam augmentatio est motus ad quantitatem, nec producit tamen quantitatem, cum quantitas sit ingenerabilis sicut materia, cujus est individua comes: sed tantum augmentatio unit quantitatē alimen-

alimenti quantitati viventis: Ita à pari motus localis non producit suum terminum, sed tantum ei mobile applicat. Nihilominus

Distinguo majorem. Omnis motus debet producere suum terminum, si sit motus productivus, concedo: si sit tantum applicativus, nego: At motus localis est merè applicativus ad locum.

Urgebis. Omnis actio est productiva: Atqui omnis motus est actio: Ergo omnis motus est productivus.

Posset quis negare minorem: Nam Aristoteles 1. de Generatione cap. 6. dicit, movere in, plus esse (id est latiùs patere) quàm facere: & 2. de Generatione cap. 2. ait, grave & leve non esse factiva: attamen

Distinguo majorem. Omnis actio est productiva, id est facit aliquid quod antea non erat, quomodocunque tandem id fiat, concedo: id est producit novam entitatem, nego: quippe pleræque actiones artificiales nihil producunt propriè, sed tantùm vel unum alteri applicant, ut textoria quæ tantum fila filis inserit: vel unum ab alio detrahunt, ut statuaria.

SECTIO PENULTIMA,

De Situ.

Situs latè sumptus est dispositio partium alicujus corporis.

Duplex autem est dispositio partium alicujus corporis: Una absoluta, quæ est partium corporis in ordine ad se invicem: altera quæ est corporis in ordine ad varias partes loci.

Prima est permanens, saltem in viventibus: secunda mutabilis.

Prima pertinet ad prædicamentum absolutum, puta ad qualitatem cujus est species, vocaturque Figura. Secunda constituit unum prædicamentum relativum, puta Situm.

Situs

Situs sumitur duobus modis, scilicet genericè prout communis est omnibus corporibus animatis & inanimatis, v.g. arboribus, regionibus, ædificijs, &c. & specificè prout convenit solis viventibus.

Situs in genere definitur, Accidens quo corpus habet suas partes certo dispositas modo in ordine ad locum. Si post ly corpus addatur animatum, definitio conveniet Situi specificè sumpto.

Situm non esse entitatem modalem probavimus refutando Ubi modale: fatentur enim Modistæ Ubi modale & Situm non distingui realiter.

Itaque corpus prout est in loco simpliciter, est Locatũ: prout autem est tali modo in loco, est situm. Et hinc quia aliud est secundùm conceptum rem esse in loco, & esse tali modo in loco, Ubi & Situs distinguuntur formaliter, constituuntque diversa prædicamenta.

Situs dividitur in absolutum, qui competit corpori in ordine ad solum locum: & in relativum, qui competit corpori, in ordine ad aliud corpus.

Situs relativus sextuplex numeratur, scilicet sursùm & deorsùm: dextrorsùm & sinistrorsum, antrorsùm & retrorsùm, ut explicabimus in Physicis disp. de Loco.

Situs absolutus dividi potest invitalem, qualis est situs animalis vel plantæ: & non vitalem, qualis est situs regionis, aëris vel ædificij.

Situs animalis triplex est, scilicet propriùs seu naturalis, arbitrarius, & violentus.

Situs naturalis est ille, quem vivens ex naturâ suâ exigit, ut in homine esse erecto capite, in belluis esse demisso capite.

Situs arbitrarius est ille, quem vivens sponte sumit, ut genuflexio in homine.

Situs violentus est ille qui est contra propensionem nativam viventis, ut inversio corporis in homine.

Sic perstringitur divisio Sitûs.

Situs dividitur in absolutum & relativum.

Situs

Situs absolutus vel est vitalis, vel non vitalis, ut situs alicujus regionis lineâ, sub polis, &c. Vitalis dividitur in proprium seu naturalem, ut in homine esse erecto capite, in belluis prono: in arbitrarium, ut stare, genu flectere, sedere, jacere supinum, laterale, pronũ; inclinari antrorsum, retrorsum: & in violentum, ut inversio corporis in homine.

Situs relativus dividitur 1. ratione longitudinis, ut sursùm, deorsùm: 2. ratione latitudinis, ut dextrorsùm, sinistrorsùm. 3. denique ratione profunditatis, ut antrorsum, retrorsum.

SECTIO ULTIMA,

De Habitu

VArias Habitûs acceptiones tradidimus agendo de primâ specie qualitatis.

Habitus hîc concipitur circumpositio corporis utilis (id est ornantis vel vestientis) corpus animalis.

Definitur, Accidens à quo animal denominatur vestitũ vel ornatum.

Ad Habitum tres requiruntur conditiones.

Prima est, ut non sit corpus physicè unitum animali: hinc pili, plumæ & squammæ non sunt Habitus eorum quibus conveniunt à naturâ.

Secunda, ut deferatur ab animali vestito, in quo differt Habitus à loco, lineis, & stragulis.

Tertia ut sit utile, hoc est vestiat vel ornet, unde compedes, manicæ, laquei non sunt Habitus.

Habitum non esse entitatem modaliter distinctam, patet tum ex Aristotele citata dissertatione de Modis in communi, tum ex S Thoma qu. 7. de potentiâ art. 10. ad 8. ubi sic scribit: Denominatur ab actione & indumento & ab alijs hujusmodi, quæ revera non sunt formæ: tum ex eo quod nulla sit necessitas talis modi: secluso enim quolibet modo superaddito satis homo intelligitur vestitus vel ornatus ex solâ circumpositione vestimenti aut ornamenti, togæ v. g. vel coronæ. Obici-

Obijcies. Si Habitus non esset modus distinctus, esset tantum ens per accidens, diceret enim multa entia completa: Falsum consequens cum Habitus constituat unum prædicamentum: Ergo & antecedens.

Nego majorem. Ad probationem, distinguo. Habitus diceret multa entia completa, sive intrinsecè & entitativè, sive extrinsecè & connotativè, concedo: diceret multa intrinsecè & entitativè, nego: Habitus enim dicit tantum intrinsecè ipsum hominem, sed prout connotat vestem vel ornamentum, sicut paternitas dicit tantum intrinsecè hominem generantem, sed prout connotat genitum: Ubi dicit tantum corpus locatum, sed prout connotat locum: & ita dicendum de Actione, & Passione, Quando, & Situ.

Divisio Categorica Habitus hæc est.

Habere duobus præsertim modis dicitur.

1. Indutum esse, quod dicitur vel ratione vestimenti: quòd vulgò quadruplicis est generis, scilicet domestici, ut v. g. virilis pileatum esse, muliebris, ut syrma gestare: forensis ut togatum esse: militaris ut galeatum esse: ecclesiastici, secularis vel monachalis. Vel ratione rei vestitæ, quæ aut totius est, ut togatum esse: aut partis, ut calceatum esse, galeatum esse.

2. Ornatum esse, ut esse annulatum, esse coronatum, &c.

EPILOGUS.

Universam nostram de decem prædicamentis doctrinā paucis complectitur S. Thomas opusc. 48. cap. 3. de prædicamēto Relationis sic pronuntians: Dicendum quod divisio entis in decem prædicamenta, est divisio in decem diversa secundùm rem: vel quantum ad hoc, quod dicunt diversas res intrinsecè & realiter, sicut Substantia, Quantitas, & Qualitas, quæ comparantur ad invicem sicut diversæ res vel in quantum dicunt diversas res extrinsecè, quia unum importat aliquam rem diversam, quam non importat reliqum, quales sunt cætera Categoriæ.

DISPVTATIO VLTIMA,

De Postprædicamentis.

POstprædicamenta sunt affectiones quædam pluribus Categorijs communes, quas explicat Philosophus post expositionem suarum Categoriarum.

Quinque sunt apud Philosophum, scilicet opposita, Modi prioris & posterioris, Modi essendi simul, species Motus & Modi habendi, quibus aliqui non immeritò addunt Magis & Minus.

De Modis essendi simul, de speciebus Motus, & Modis habendi, satis dictum est in Compendio Logico: quare hîc tantùm dicemus de cæteris.

SECTIO PRIMA,

De Oppositis.

OPpositio duplex est: scilicet simplex seu incomplexa, quæ est rerum vel terminorum: & complexa quæ est propositionum. De complexâ satis diximus secundâ parte Compendij Logici: hîc accuratè agimus de simplici.

Oppositio simplex est specialis pugna inter duo, seu est repugnantia duorum, quæ ita inter se pugnant, ut simili modo non pugnent cum alio diversæ speciei: & proinde

Opposita definiuntur, Ea quæ ita inter se pugnant ut simili modo non pugnent cum alio diversæ speciei, ut scientia & scibile, scientia & error, scientia & ignorantia, scientia & non scientia

Disparata verò apud Philosophos, sunt ea quæ ita inter se pugnant ut simili modo pugnare possint cum alijs diversæ speciei, ut homo, & equus.

Dixi, apud Philosophos: nam apud Theologos ea omnia vocantur disparata, quæ nec sunt propriè opposita, nec formaliter connexa: unde apud illos paternitas divina & spiratio activa in Patre divino, vocantur Relationes

dispa-

disparatæ: sicut filiatio & spiratio activa in Verbo divino.

Pugnare hic est incompossibilia esse: unde omnia entia aut pugnant ut calor & frigus, aut amica sunt ut rationale & animal, aut sunt indifferentia ut calor & humor.

Oppositio simplex quadruplex est, nempe Relativa, Contraria, Privativa & Contradictoria. Ita Philosophus hic ex 10. Metaph. 7.

Probatur ratione: Omnis oppositio vel est inter duo entia, vel inter ens & non ens, (nam inter duo non entia nulla est Oppositio, sed potiùs convenientia.) Si oppositio sit inter duo entia, vel inter duo entia relativa, & est oppositio relativa: vel inter duo entia absoluta & est Oppositio contraria. Si verò Oppositio sit inter ens & non ens: vel inter ens & non ens secundùm quid & est Oppositio Privativa: vel inter ens & non ens simpliciter, & est Contradictoria.

Ex quo ratiocinio patet, illam divisionem non esse immediatam, quia Oppositio posset immediatè dividi in Positivam, quæ est inter duo entia, & Negativam, quæ est inter ens & non ens: & postea Positiva subdividetur in Relativam & contrariam: Negativa verò in Privativam & Contradictoriam.

Objicies. Omnia Opposita sunt relativa: Oppositum enim dicitur opposito oppositum: Ergo non est quadruplex Oppositio.

Distinguo antecedens. Omnia Opposita formaliter sumpta sunt relativa, cōcedo: materialiter & entitativè sumpta, sunt relativa, nego: Fateor ergo omnia Opposita formaliter sumpta ratione suæ oppositionis esse relativa: Nam contrarium est contrario contrarium, contradictorium, contradictorio contradictorium: sed nego Opposita materialiter sumpta v. g. album & nigrum, esse relativa: nam ut hic ait Philosophus, album non dicitur nigri albū, sed nigro contrarium.

Quæres quænam sit maxima & minima inter illas Oppositiones?

Respon-

Respondeo Oppositionem relativam esse omnium minimam: nam ambo relata possunt aliquando esse ejusdem speciei, ut contit in Relationibus æquiparantiæ: cætera verò Opposita nunquam sunt ejusdem speciei.

Post Oppositionem Relativam sequitur contraria, quæ scilicet est inter entia ejusdem generis: cum duæ sequentes nullatenus conveniant in essentia.

Postea sequitur Privativa, quæ est inter ea quæ in essentia quidem non conveniunt, sed tamen conveniunt in subjecto.

Denique contradictoria est omnium maxima, quia est inter ea quæ nec in essentia conveniunt, nec in subjecto. Unde de illis hoc ordine dicemus incipiendo à Relativâ, ut etiam fecit Philosophus hîc.

ARTICULUS PRIMUS,

De Oppositione Relativâ.

RElatio ratione suæ essentiæ pertinet ad Categoriam Relationis, ubi de ea fusè egimus: ratione verò Oppositionis, spectat ad Postprædicamenta, sicut calor ratione entitatis, spectat ad qualitatem, ratione verò contrarietatis huc spectat.

Relativè opposita definiuntur hîc à Philosopho, Quæ id quod sunt oppositorum esse dicuntur: vel quomodolibet aliter ad ipsa referuntur: sic duplum est dimidij duplũ, sic sciẽtia est scibilis sciẽtia, & scibile est ab aliquâ scientiâ scibile.

Oppositio relativa est pugna inter duo relata, ut inter præceptorem & discipulum, inter scientiam & scibile.

ARTICULUS SECUNDUS,

De Oppositione Contrariâ.

COntrarietas sumitur duobus modis.

1. Latè pro qualibet incompatibilitate duorum, quo sensu docuimus differentias ejusdem generis divisivas esse contrarias: & Aristoteles 1. Physic. docet principia terminativa generationis naturalis esse contraria.

2. Propriè pro ſpecia quadam ſpecie oppoſitionis inter qualitates poſitivas, quæ ſeſe mutuò ab eodem ſubjecto expellunt: de quâ hîc.

Contrarietas propriâ definitur, Oppoſito inter duo extrema poſitiva, quæ ſub eodem genere poſita maximè diſtant, & ab eodem ſubjecto mutuò ſe expellunt.

Contraria ex Philoſopho hîc, ſunt ea quæ idipſum quod ſunt ſecundùm eſſentiam nequaquam ad ſe invicem dicũtur: quaquam ſibi invicem contraria dicantur: neque enim bonum dicitur mali bonum, ſed malo contrarium.

Definiuntur vulgo, extrema poſitiva, quæ ſub eodem genere poſita maximè diſtant & ab eodem ſubjecto mutuò ſe ſe expellunt.

Dicuntur 1. Extrema: quæ particula tenet locum generis communis omnibus oppoſitis.

Dicuntur 2. Poſitiva, in quo contrario differunt à Privativis & Contradictorijs, quorum alterutrum extremum negativum eſt.

Dicuntur 3. Poſita ſub eodem genere, ſupple, ſive proximo, ut albedo & nigredo ſub genere coloris, ſive remoto, ut juſtitia & injuſtitia ſub genere habitus. Hinc Ariſtoteles 7. Top. 2. dicit contraria eſſe aut ſub eodem genere, ut patet in primo exemplo, vel ſub contrarijs generibus, ut patet in ſecundo exemplo: juſtitia enim eſt proximè ſub virtute, injuſtitia verò ſub vitio.

Dicuntur 4. Maximè diſtare, ſupple diſtantia entitatis, & ſocietatis, quia ſimul ſociari non poſſunt in eodem ſubjecto, ſaltem naturaliter, & in intenſo gradu.

Dicuntur denique, ſe ſe mutuò expellere, per quod differunt à relativis, quæ non ſe expellunt ab eodem ſubjecto.

Objicies. Virtus & vitium ſunt contraria, & tamen nõ maximè diſtant: nam magis diſtat vitium à vitio, quàm uirtus à vitio, magis diſtat avaritia à prodigalitate, quàm liberalitas à prodigalitate: Ergo contraria non benè definiuntur.

Diſtin-

Distinguo majorem. Virtus & vitium sunt contraria, in genere moris, concedo: in genere entis, nego. Distinguo minorem. Magis distat vitium à vitio, quam virtus à vitio, in genere entis, concedo: in genere moris, nego. Unde nego consequentiam. Virtus enim maximè distat à vitio in eo genere in quo ei adversatur, adversatur autem ei in genere moris: & quidem aliquando duplici vitio, uni per excessum, alteri per defectum, tanquam duplici termino partiali: At in genere Entis virtus non in omnibus opponitur vitio, sed ei aliquomodo similis est, scilicet ratione actûs physici & materialiter sumpti: sic liberalitas similis est prodigalitati, quia in eo conveniunt liberalitas & prodigalitas, quod ambæ inclinent ad dandum.

Quæres quomodo contraria sese expellant ab eodem subjecto? Cui quæstioni ut fiat satis:

Notandum est duplicem esse explsionem, effectivam scilicet & formalem.

Expulsio effectiva est actio, quâ agens expellit formam ab aliquo subjecto activè introducendo aliam incompatibilem, sic ignis expellit frigus ab aquâ, in eam calorem introducendo.

Expulsio formalis est exclusio formæ à subjecto propter unionem alterius incompossibilis, sic calor receptus in aquâ ab eâ expellit formaliter frigus. His præsuppositis.

Respondeo, definitionem superiorem intelligendam esse de expulsione formali, quia licet quædam contraria se expellant activè, ut calor & frigus, quædam tamen non se expellunt activè, ut albedo & nigredo: sed omnia expellunt sese formaliter: definitio autem tradi debet per aliquod commune omni definitio.

Quinque hîc enumerantur à Philosopho contrariorum affectiones.

Prima. Bono nihil adversatur nisi malum: at malo non tantùm bonum sed & malum: sic virtuti nihil adversatur nisi vitium, at vitio & virtus adversatur & alterum vitium, puta avaritiæ & liberalitas & prodigalitas.

Secun-

Secunda. Posito uno contrariorũ in naturâ, necesse nõ est reperiri alterum: in quo contraria differunt à relativis categoricis.

Tertia. Contraria non possunt esse simul in eodem subjecto.

Quarta. Contraria eidem subjecto alternatim inesse possunt: unde datur regressus à contrario in contrarium, ut à sanitate ad morbum, & rursus à morbo ad sanitatem, ut ait hic ipse Philosophus.

Ultima. Contraria vel sunt sub eodem genere proximo, ut albedo & nigredo sub genere coloris, vel sub contrarijs generibus, ut justitia & injustitia sub virtute & vitio, vel sunt ipsa genera contraria, ut virtus & vitium.

Duæ aliæ addi possunt.

Prior. Contraria juxta se invicem posita magis elucescunt.

Posterior. Contrariorum eadem est potentia & scientia: sed non eadem assuetudo: sic eadem est potentia & scientia benè & malè vivendi: sed non est eadem assuetudo utriusque: ut docet Philosophus 5. Ethic. 1.

Contraria hic dividit Philosophus in mediata inter quæ datur medium, ut albedo & nigredo, inter quas multi sunt colores: & in immediata inter quæ non datur medium, & proinde quorum alterutrum necessariò inest semper subjecto capaci, qualia sunt morbus & sanitas.

Dividitur 2. in extrema quæ sunt exquisitè contraria, qualia sunt calor & frigus, itemque albedo & nigredo: & non extrema quæ non sunt exquisitè contraria, qualia sunt exquisitè contraria, qualia sunt tepor & frigus, itemque rubedo & nigredo.

Dividuntur 3. in contraria secundùm essentiam, quæ ne quidem in gradu remisso stare possunt simul, qualia sunt amor & odium, assensus & dissensus: & in contraria secundùm intensionem, quæ possunt esse simul in gradibus remissis, qualia sunt calor & frigus, de quibus posterioribus.

Quæri-

Quæritur, nunquid possunt simul stare in gradibus intensis per absolutam Dei potentiam. V.g. nunquid in aqua possint esse simul divinitûs summum frigus & summus calor?

Respondeo id fieri posse.

Probatur. Potentia ad aliquos gradus qualitatis nondum repleta, potest naturaliter repleri totidem gradibus qualitatis contrariæ. V g. potentia aquæ non repleta octo gradibus frigoris, repletur naturaliter aliquibus gradibus caloris: Atqui subjectum affectum summo frigore, scilicet frigore ut octo, potest adhuc divinitùs recipere alios octo gradus frigoris ut fatentur omnes Philosophi, qui dicunt intensionem posse crescere in infinitum syncategorematicè, Deo volente: Ergo subjectum affectum summo frigore scilicet ut octo, potest divinitûs recipere summum calorem. Si enim potentia naturalis potest recipere naturaliter tot gradus cōtrariæ qualitatis, quot desunt propriæ, quidni potentia obedientialis possit obedientialiter recipere tot gradus qualitatis contrariæ, quot adhuc posset propriæ?

Probatur 2. à pari. Locus jam repletus uno corpore, potest iterum divinitûs alterum per penetrationem recipere, licet proprium sit corporum sese ab eodem loco expellere: Ergo à pari subjectum repletum una qualitate contrariâ, potest adhuc aliam recipere, quamvis proprium sit qualitatum contrariarum intensarū sese ab eodem subjecto expellere.

Dices. Deus non potest impedire effectus formales formarum: Atqui expulsio ab eodem subjecto est effectus formalis contrariorum: Ergo Deus non potest impedire quominus contraria se expellānt ab eodem subjecto.

Distinguo majórem. Deus non potest impedire effectꝰ formales, primarios, concedo: secundarios, nego: sic Deus non potest impedire quominus gravitas reddat corpus grave, sed potest impedire quominus reddat corpus gravitans, ut olim fecit respectu divi Petri supra aquas ambulan-

bulantis. Deus non poteſt impedire quominus fluiditas reddat aquam fluidam, ſed poteſt impedire quominus reddat aquam actu fluentem, ut olim præſtitit in exitu Iſrael de Ægypto: At expulſio eſt tantùm effectus ſecundarius caloris, frigoris, & ſimilium contrariorum, proindeque poteſt à Deo impediri:

ARTICULUS TERTIUS,
De Oppoſitione Privativa.

PRivatio aliquando ſumitur pro deteriori ſpecie qualitatum oppoſitorum, quo ſenſu nigredo dicitur privatio candoris: aliquando pro qualitate imminuta, quo ſenſu potentia debilis vocatur impotentia: aliquando pro negatione, quo ſenſu planta dicitur cæca: aliquando pro abſentia formæ in ſubjecto apto quidem, ſed non ſecundum ſpeciem aut tempus, quo ſenſu talpa & catulus poſſunt dici cæci, ex 5. Metaph: 22. Sed

Privatio propriè dicta definitur, Abſentia formæ in ſubjecto apto ſecundùm ſpeciem & tempus.

Dicitur 1. Abſentia, quæ particula tenet locum velut generis privationi cum negatione communis.

Dicitur 2. In ſubjecto apto, quibus verbis privatio differt à negatione quæ eſt in ſubjecto inepto.

Dicitur 3. Apto ſecundùm ſpeciem: hinc ſi talpa ſecundum ſpeciem non habeat aptitudinem ad videndum, non poteſt dici cæcus propriè.

Additur, Et ſecundum tempus: hinc catulus ante novem dies non eſt propriè edentulus aut cæcus, quia ante illud tempus nec aptus eſt ad dentes nec ad videndum.

Privatio triplex diſtingui poteſt: Metaphyſica, moralis, & phyſica.

Privatio metaphyſica eſt mera non repugnantia in re non habente poſitivam aptitudinem, qualis eſt mæra poſſibilitas.

Privatio moralis eſt abſentia formæ quam quis habere tenetur ſub peccato: quâlis eſt ignorantia ſymboli Apoſtolorum in Chriſtiano adulto.

Privatio Physica est absentia formæ in subjecto habente positivam aptitudinem ad formam, de quâ solâ hic est sermo.

Hæc duplex est, scilicet maximè propria, quæ est in subjecto exigente formam, ut cæcitas: & minus propria, quæ est in subjecto indifferenti, ut tenebræ.

Oppositio privativa est pugna inter formam & privationem ejus, vel inter informatum esse & privatum esse: nam ut ait Philosophus hîc: ut cæcitas visui opponitur, sic cæcum esse opponitur visivo esse.

Forma prout opponitur privationi, vocatur à Philosopho, habitus.

A privatione ad habitum non datur regressus, inquit hîc Aristoteles, Axioma est, sed explicandum.

1. A privatione ad habitum ejusdem speciei datur naturaliter regressus, tum immediatus, tum mediatus: homo enim qui non videt, potest immediatè videre si aperiat oculos: & materia alicujus hominis post multas conversiones potest iterum informari naturaliter aliâ animâ rationali, ut contingit in Antropophagis, imò potest iterū informari naturaliter materiâ eâdem anima rationali, dūmodo non fuerit totalis privatio, ut si quis aliquo suo mēbro abscisso vesceretur.

2. A privatione tollente tantùm actum non potētiam, datur naturaliter regressus ad habitum; ut patet in dormientibus qui experrecti adhuc vident.

3. A qualibet privatione potest dari divinitùs regressus ad habitum: nam credimus resurrectionem mortuorum.

Axioma itaque verum duntaxat est duobus sensibus.

1. A privatione totali ad habitum eundem numero, non datur naturaliter regressus, alioqui possibilis esset naturaliter reproductio.

2. A privatione tollente actum simul & potentiam, nullus datur naturaliter regressus ad habitum. Unde nulla sunt certiora miracula, quàm ea quibus subjectum revocatur ab ejusmodi privationibus ad habitus oppositos, ut in resurrectione mortui, & illuminatione cæci.

ARTICULUS QUARTUS.

De Oppositione Contradictoria.

OPpositio contradictoria est pugna inter ens & non ens: & proinde,

Contradictoria sunt ens & negatio ejus, ut homo & nō homo, justus & non justus, &c.

Philosophus docet proprium esse quarto modo contradictoriorum, ut alterum semper necessariò verum sit de quolibet subjectò, alterum falsum: quod non reperitur in cæteris oppositis: ut proinde patet, quod subjectis non existentibus cæterorum oppositorum neutrum conveniat: Antichristus enim jam nec est pater nec filius nec sanus nec æger, nec videns nec cæcus: At jam est pater vel non, est sanus vel non, est videns vel non.

Hanc proprietatem alij concipiunt his verbis: Inter duo contradictoria non datur medium, quia si inter contradictoria daretur medium, vel daretur medium per participationem, vel per exclusionem. Neutrum dici potest. Non primum, quia nihil fit per participationem entis. Nō etiam secundum, quia nihil est quod simul excludat esse & non esse: nam ut ait Philosophus, Quodlibet est vel non est.

Objicies. Inter videns & non videns, datur cæcus: Ergo inter duo contradictoria datur medium.

Distinguo antecedens. Inter videns & non videns datur cæcus: si non videns sumatur specificè, concedo: si simatur genericè, nego. Itaque

Negatio genericè seu in communi, est quævis absentia formæ in subjecto; & sic sumpta.

Dividitur in privationem & negationem specificam.

Privatio specifica est absentia formæ in subjecto apto, ut carentia visûs in homine.

Negatio specifica est absentia formæ in subjecto inepto ut absentia visûs in lapide.

Oppositio autem contradictoria est inter affirmationem

& negationem genericam; proindeque nullum agnoſcit medium.

Recentiores quidam ſtudio novitatis potiùs, quàm veritatis, negationibus & privationibus omnem denegant exiſtentiam realem, proindeque duplicem tantùm admittunt oppoſitionē rerum, relativam ſcilicet & contrariam: contra quos ſit

CONCLUSIO.

PRivationes & negationes verè exiſtunt.

Probatur 1. authoritate Philoſophi, qui hîc docet ſubjecto capaci neceſſe eſſe alterutrum Privativorum in eſſe: & paulò ante ſic loquitur: ut affirmatio & negatio inter ſe oppoſitæ ſunt, velut ſedet & non ſedet, ſic res, quæ ijs continentur, ut ſedere & non ſedere, ubi Ariſtoteles negationem vocat rem.

Probatur 2. authoritate veterum omnium Peripateticorum, qui poſt ſuum Principem 3. Phyſicorum ſtatuunt Privationem eſſe principium corporis naturalis in fieri, quod eſſe non poſſet, niſi Privatio eſſet quid reale.

Probatur 3. ratione. Nemine cogitante cæcus eſt cæcus, eſt umbra, ſunt tenebræ, eſt abſentia viſûs in lapide: Ergo Privationes & Negationes exiſtunt nemine cogitante.

Obijciunt 1. Non magis datur negatio à parte quam affirmatio: Atqui non datur affirmatio à parte rei. Ergo neque negatio.

Cavillatio mere ſophiſtica, quæ proinde ſolutionem nō meretur. Attamen

Diſtinguo majorem. Si Negatio ſumatur pro judicio negativo, concedo: ſi pro ente negativo, nego: & eodē modo diſtinguenda conſequentia. Negativum itaque eſt quid æquivocum, nam & opponitur affirmativo & poſitivo. Fateor non dari negativum extra mentem, prout negativum opponitur affirmativo: At contendo dari, ſi opponatur poſitivo: tam enim eſt cæcitas in cæco, quàm viſus in Lynceo.

Instant nugando. In eodem æquivoco illud tantùm est negativum quod habet vim negandi: sicut illud tantùm est calefactivum quod habet vim calefaciendi: Atqui Privationes non habent vim negandi, cum illa vis solius mētis sit propria. Ergo Privationes non sunt entia negativa.

Distinguo majorem. Illud tantùm est negativum quod habet vim negandi: si negativum sumatur prout opponitur affirmativo, concedo: si sumatur prout opponitur positivo, nego: sicut enim ens positivum est id quod habet vim ponēdi aliquid, non quidem effectivè sed formaliter, in rerum naturâ: ita ens negativum illud est quod habet vim tollendi aliquid non quidem effectivè, sed formaliter, à rerum naturâ: sic nox tollit diem formaliter, & umbra radium. Unde sicut negatio mentalis idipsum removet à subjecto propositionis, quod ei attribuit affirmatio: sic negatio simplex seu ens negativum id ipsum removet à rerum naturâ, quod in ea ponit ens positivum.

Objicies 2. Existere est proprietas entis realis: Atqui Privationes & Negationes non sunt entia realia: Ergo nō existunt.

Distinguo minorem. Privationes & Negationes non sunt entia realia, positiva, concedo: negativa, nego. Distinguo consequentiam. Privationes & Negationes non existunt, positivê, concedo: negativè, nego.

Instant. Existere negativè, est non existere.

Distinguo. Est non existere positivè & per existentiam positivam, concedo: per existentiam negativam, nego.

Quæres quid sit existere negativè & per existentiam negativam.

Respondeo idem esse, ac esse nemine cogitante, & tamen nullam ponere entitatem solidam in rerum naturâ: quippe existere realiter in communi, est esse nemine cogitante: ens enim reale in communi est, ut dicit sanctus Doctor 1. part, qu. 48. art. 2. ad 2. quod respondetur ad quæstionem, An est. Eorum porrò quæ sunt nemine cogitante, quædam ponunt entitates quasdam in rerum na-

turâ, ut lumen, visus, radius, vita, &c. & ea dicuntur entia positiva, positivè existentia, & per existētias positivas: quædam nullam ponunt entitatem solidam, sed potius tollunt, ut tenebræ, cæcitas, umbra, mors, &c. & ea vocantur entia negativa; existentia negativè, & per existentias negativas: & sic cæcitatem esse dicimus in oculo, vel quamcunque aliam Privationem, inquit sanctus Doctor ibidem.

Urgent ly negativè destruit omnem terminum cui adjungitur, sic videre negativè non est ullo modo videre, manducare negativè non est ullo modo manducare: Ergo si privationes & negationes existunt tantum negativè, nullo modo existunt.

Distinguo antecedens, ly negativè destruit omnem terminum cui adjungitur, nisi illum contrahat & dividat, concedo: si contrahat & dividat, nego: At ly negativè contrahit & dividit ly existere realiter: sicut enim bona sunt duplicis generis scilicet positiva, ut aquæ habere frigus, & negativa, ut aquæ non habere calorem, melius enim est aquæ non habere calorē, quàm habere, & proinde ei bonum est, cum comparativum supponat positivū, sic entia & existentia sunt duplicis generis, scilicet positiva, & negativa, ut superius explicuimus: itaque ly negativè terminos transcendentales dividit tantùm, plerosque alios destruit, unde non mirum est, si destruat terminos in objectione citatos, videre scilicet & manducare, cum non sint transcendentales.

Objicies 3. Si negationes essent reales, sequeretur ante mundum conditum fuisse aliquid reale præter Deum, erant enim negationes omnium entium, quæ jam sunt: Falsum consequens: Ergo & antecedens.

Nego majorem. Probationem distinguo Erant negationes impropriæ, id est, non erant res, concedo: erant negationes propriæ, hoc est absentiæ in subjectis existentibus ineptis, nego. Dum autem dicimus negationes existere negativè, intelligimus de illis negationibus, quarum

subiec-

ſubjecta actu exiſtunt, v. g. de negatione visûs in lapide, rationis in bruto: non autem de negatione ſimpliciter, ſeu de ipſo nihilo.

SECTIO SECUNDA,

De Modis Prioritatis & Poſterioritatis

QUinque Modos Prioritatis & Poſterioritatis attulimus & explicuimus in Compendio Logico, ſcilicet Prioritatem Temporis, qualis eſt inter Adamum & nos: Cõſequentiæ, qualis eſt inter animal & hominem: Ordinis, qualis eſt inter majorem & minorem: Dignitatis, qualis eſt inter ſcientiam ſpeculativam & practicam: & Naturæ ſeu Cauſalitatis, qualis eſt inter Præmiſſas & Concluſiones.

Addunt illis Theologis Prioritatem originis, vi cujus perſona divina producens prior eſt ſecundum modum noſtrum concipiendi perſonâ productâ, eò quòd ipſam producat, cum omnimodâ tamen ſimultaneitate temporis, dignitatis & naturæ. Hanc prioritatem vocant, Prioritatem inſtantis à quo, non autem, inſtantis in quo, eò quod vi illius verum non ſit dicere, unam perſonam eſſe in inſtanti in quo non eſt alia: ſed tantùm unam perſonã eſſe ab aliâ.

SECTIO ULTIMA.

De Magis & Minus.

MAgis & Minus generatim, tum ad extenſionem, tum ad intenſionem pertinet. V. g. dum corpus dicitur altero magis aut minus longum, pertinent ad extenſionẽ: dum verò dicitur magis aut minus candidum, ad intenſionem. Speciatim veró & propriè, pertinent ad ſolam intenſionem & remiſſionem, & hæc acceptio eſt hujus loci.

Magis, ſeu Intenſio, eſt augmentum qualitatis in eâdẽ parte ſubjecti vel circa eandem partem objecti. Sic dum aqua calida magis incaleſcit, dicitur calor intendi, & dum id quod jam ſcimus, perfectius addiſcimus, ſcientia noſtra dicitur intendi. Minus,

Minus, seu Remissio, est diminutio qualitatis in eadem parte subjecti, vel circa eandem partem objecti: Sic dum calor minuitur, aut scientia oblivione obliteratur, dicitur remitti.

Porro intendi & remitti dicuntur de formis seu qualitatibus: suscipere autem magis & minus de subjectis formarum, ut innuit Philosophus cap. de Qualitate sub finem.

Partes Intensionis vocantur gradus: quia intensio qualitatis divisibilis est in infinitum, sicut extensio quantitatis: ideo posset dividi ad libitum in plures vel pauciores gradus; sicut quantitas in plures aut pauciores partes ad libitum distribuitur.

Nihilominus, summam Intensionem naturalem Philosophi metiuntur octo gradibus. Unde quando dicunt ignē v. g. esse calidum ut octo, idem est ac si dicerent ignem ita esse calidum, ut nihil possit dari calidius: quando dicunt aquam esse calidam ut quatuor, idem est ac si dicerent aquam esse tepidam.

Medici loquuntur tantùm de quatuor gradibus intensionis: sed quartus gradus Medicorum est octavus Philosophorum: incipiunt enim Medici numerare ab excessu, hoc est à quinto gradu: unde quando dicunt aliquid esse calidum ut unum, idem est ac si dicerent physicè illud esse calidum ut quinque. Ratio autem cur sic loquantur, est, quia habent tantum rationem activitatis physicæ: at res naturales agunt tantùm physicè rationē qualitatis excedentis, secundum illud tritum, Omnis actio est à proportione majoris inæqualitatis.

TRACTATVS TERTIVS, DE PROPOSITIONE.

IN LIBRUM ARISTOTELIS de Interpretatione.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

Liber quem aggredimur inſcribitur de Interpretatione. Interpretatio vulgò deſignat orationem clariorem, aliam obſcuriorem idiomate eodem vel diverſo, præſertimque diverſo explicantem: hic vero ſignificat orationem, quæ animi ſenſa interpretatur, proponit, enuntiat; unde etiam Interpretatio, propoſitio, enuntiatio promiſcuè appellatur.

Objectum ergo hujus libri eſt Propoſitio.

Finis eſt cognitio Propoſitionis in ordine ad conſtructionem orationis logicæ, præſertimque Argumentationis & Syllogiſmi, cujus ſcilicet eſt principium materiale, ut dicemus.

Author hujus libri eſt Ariſtoteles, ut patet ex eo quod cap. 6. citat ſuas reprehenſiones ſophiſticas, & cap. 13. citat ſua Topica. Hic Liber continet 16. capita, quorum primo Philoſophus, 2. definit Nomen, 3. Verbum, 4. Orationem, 5. Enuntiationem, 6. Affirmationem & Negationem, quatuor ſequentibus & ultimo proprietates Enuntiationum, præſertimque Oppoſitiones exponit: reliquis capitibus difficiliores Propoſitionis ſpecies, ſcilicet propoſitiones infinitas, complexas & modales explanat.

Nos verò, quia duplex eſt Propoſitio, ſcilicet interior ſeu mentalis, quæ dicitur Judicium, & exterior vocalem & ſcriptam complectens, quæ dicitur ſimpliciter Propoſitio, Enuntiatio, Interpretatio: ideo hunc Tractatum in duas Diſputationes diſtribuemus, duabus illis Propoſitionibus explicandis deſtinatas: & quia Propoſitio exterior, notior eſt quoad nos, interiori, cujus ſcilicet ſignum eſt, ex Philoſopho ſub finem hujus operis: idcircò prius agemus de illâ, quàm de iſtâ.

DISPUTATIO PRIOR,

De Propoſitione Externa.

Hic omittimus tertium caput de proprietatibus Propoſitionis,

tionis, quia in Compendio fusè explicuimus omnes præter veritatẽ de qua agemus secunda parte Logicæ. Omittemus etiam quartum caput de divisionibus Propositionis, quæ ex Compendio etiam repetendæ sunt. Itaque duo tantum nobis restant capita.

CAPUT PRIUS,

De Nomine, Notione & existentiâ Propositionis.

PRopositio sic dicitur, ut jam monuimus, quia proponit animi sensus, propter quam rationem vocatur etiam Interpretatio & Enuntiatio, quia interpretatur & enuntiat alijs quod est in mente.

Propositio, dum controvertitur, vocatur Quæstio: dum ab omnibus vel à plerisque doctis, ut certa supponitur, dicitur Principium, Effatum, Axioma, in practicis Maxima, in Geometricis Postulatum, in Theologicis Oraculum: & in popularibus proverbijs Adagium: Dum præter spem & apparentiam vera est, vocatur, Paradoxum: dum est Conclusio scientiæ speculativæ, appellatur Theorema: dum verò est conclusio scientiæ practicæ, dicitur Problema, quo etiam ultimo nomine sæpius intelliguntur Propositiones quæ in utramque partem propugnantur.

Quoniam Propositio species est Orationis, repetendum est ex Compendio, Orationem definiri hîc ab Aristotele, Vocem significativam ex instituto, cujus aliqua pars separata significat, ut dictio, non autem ut affirmatio & negatio: & orationem duplicem esse, unam imperfectam, quæ perfectum sensum non generat, sed animum Auditoris relinquit suspensum, ut (Quos ego:) alteram perfectã quæ perfectum sensum generat, quæque dividitur in eam, quæ non est veri aut falsi Significativa, qualis est oratio imperativa & interrogativa: & in eam, quæ est veri aut falsi significativa, quæ est Propositio de qua hic solum agimus, cum cæteræ Orationes ad Oratores & Poetas pertineant, ut ait Philosophus cap. 4.

Itaque

Itaque bene exprimitur Propositio hîc cap. 4. Sermo, cui inest veritas aut falsitas.

Dari Propositiones patet ex judicijs quæ ferimus.

CAPUT POSTERIUS,

De causis Propositionis

Causa efficiens Propositionis, est Intellectus adjutus aliquando Logicâ artificiali.

Causa finalis, est manifestatio conceptuum: cum enim homo sit animal politicum seu sociale, ex Aristotele 1. Polit. 2. debet posse suos conceptus alteri manifestare, quod non potest præstare nisi per Propositionem, quæ etiam ab hoc officio appellationem desumit. Causa autem finalis Propositionis, ut consideratur à Logicâ, est confectio orationis logicæ, præsertimque Argumentationis, cujus est pars & principium.

Causa formalis veluti physica Propositionis, est Copula, metaphysica verò, Definitio,

Propositio definitur à Philosopho 1. Prior. 1. Oratio affirmans vel negans aliquod de aliquo. Et hîc cap. 4. Oratio verum vel falsum significans. Sed pace Aristotelis, illæ non sunt accuratæ definitiones, sed potius divisiones, sicut hæc oratio: Animal est videns rationale, vel irrationale, potius est divisio, quàm definitio animalis.

Melius ergo definitur Propositio, Oratio judicativa, seu, Oratio interpretativa judicij: quia istæ definitiones constant genere & differentiâ.

Potest etiã definiri veluti physicè per partes distinctas, ex quibus constat: Oratio constans subjecto, prædicato & copulâ.

Causa materialis circa quam Propositionis, sunt res de quibus agit Propositio: ex qua vero, sunt termini ex quibus constat, subjectum scilicet, & prædicatum seu attributum.

Termini porrò apud Logicos duo tantùm sunt in genere Nomen scilicet & verbum.

Nomen & verbum sunt voces : Voces sunt signa : ideoque hîc agendum foret de Terminis, Vocibus & signis. Sed quia Tractatu quarto primæ partis Compendij logici de illis abundè diximus, hîc tantùm quærendum est quid significent Termini : quod sequentibus Articulis præstabimus.

ARTICULUS PRIMUS,
De significatione Terminorum in communi.

SIgnum est id quod potentiæ cognoscenti aliud à se repræsentat : & proinde cum omnes Termini sive mentales, sive vocales, sive scripti, demptis Terminis non significativis, aliud à se repræsentent, sunt signa : Sed quæritur qualia sint signa ? cui quæstioni ut fiat satis,

Repetendæ sunt ex Compendio divisiones Signi in formale & instrumentale, in naturale & arbitrarium, in personale seu suppositivum & impersonale seu manifestativũ. His præsuppositis,

Respondeo 1. Terminos omnes esse signa manifestativa rerum, quia res manifestant ijs quibus loquimur : mẽtales quidem nobis & Deo, vocales autẽ hominibus præsentibus, scripti verò ábsentibus, sive quoad locum, sive quoad tempus.

Respondeo 2. Terminos omnes esse signa suppositiva rerum : quia illud est signum suppositivum alicujus rei, cui tribuuntur ea omnia quæ illi rei competunt, In propositionibus tribuuntur terminis & omnia quæ rebus cõpetunt, ut patet inductione : Ergo Termini omnes sunt signa suppositiva rerum. Nec dicas idem non posse esse signum suppositivum & manifestativum ejusdem, & proinde Terminos non posse esse signa manifestativa & suppositiva rerum : Falsum enim est antecedens : nam simulachrum à fabro factum in funere regio, est simul signum suppositivum regis., cum ei honores regij deferantur, &

eiusdem

ejuſdem ſignum man feſtativum, cum regem repræſentet.

ARTICULUS SECUNDUS,

De ſignificatione Termini mentalis.

TErmini mentales, ſunt conceptus noſtri mentales, ut potè qui in propoſitionibus mentalibus ſubijciantur & prædicentur.

Quæritur qualia ſint ſignâ Termini mentales?

Reſpondeo 1. Terminos mentales eſſe ſigna formalia, quia ſcilicet abſque ſui cognitione explicata res manifeſtant cogitantibus: beneficio enim conceptuum res cognoſcimus, etiam ſi de ipſis conceptionibus non cogitemus.

Reſpondeo 2. Terminos mentales eſſe ſigna naturalia, quia ſemper apud omnes idem ſignificant, ex Philoſopho cap. 1. non enim aliter concipit res Europeus, quàm Aſiaticus aut Afer.

ARTICULUS TERTIUS,

De ſignificatione Termini vocalis.

NOn hîc eſt quæſtio de vocibus inarticulatis, per quas animalia ſuos affectus, ſuaſque paſſiones teſtantur, reſque ſibi jucundas aut injucundas indicant, illæ enim voces naturaliter ſignificant: cùm enim animalia ad artificium confugere nequeant, natura illis voces debuit indere naturaliter ſignificativas, ſed

Agitur de Vocibus articulatis, & quidem humanis, quæ verum ſermonem, veramque orationem conſtituunt, quibus homo non ſolùm ſuos motus exprimit, ſed etiam interiores mentis ac voluntatis actiones manifeſtat, quibus juſta & injuſta declarat, dat præcepta, leges promulgat, ſocietatem fovet, ex Ariſtotele 1. Polit. 2. de quibus.

Quæres 1. quid Voces humanæ ſignificent?

Reſpondeo 1. Voces humanas eſſe ſigna inſtrumentalia non formalia, quia non prius ſignificant quàm cognoſcantur.

scantur. Hinc Apostolus 1. Cor. 14. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus.

Respondeo 2. Voces esse signa conceptuum manifestativa, quia eos exprimunt: non tamen suppositiva, quia non sumuntur pro conceptibus: unde dum de conceptibus nostris loqui volumus, utimur vocibus quibusdam, quæ solos conceptus significant, v. g. sic censeo, sententia nostra est, &c.

Respondeo 3. Voces humanas esse signa naturalia loquentis, & quarundam animi commotionum, v. g. doloris aut gaudij. Patet experientia: nam ex voce loquentis colligimus, utrùm sit mas vel fœmina, senex vel juvenis, tristis vel lætus: at ratio est, quia omnis effectus est signũ naturale suæ causæ.

Respondeo 4. Voces tantùm esse signa arbitraria, non naturalia, verum & conceptuum.

1. Quia signa naturalia apud omnes eadem sunt: sic risus ubique gentium lætitiam significat, & gemitus dolorem: Atqui Voces non sunt eædem apud omnes gentes, ex Aristotele hic cap. 1. aliter enim loquitur Gallus, aliter Anglus: hinc Apostolꝰ sic habet, ut modo dictũ est. Si ergo nesciero virtutem vocis, &c.

2. Signa naturalia eadem sunt perpetuò: unde eodem adhuc modo nunc rident homines, quo ridebant à sexcentis annis: Atqui voces non sunt eædem perpetuo, etiam apud eandem nationem: hinc Poeta,

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.

3. Eadem nomina aliquando significant res plane diversas, ut nomina æquivoca: & diversa nomina res plane easdem, ut polyonima: quod non contingeret si voces essent signa naturalia.

Obiici-

Obijcies 1. Habetur in Genes. quod omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus: Ergo voces illæ naturaliter significabant.

Nego consequentiam. Sensus enim sacri Textus est, nomina ab Adamo viventibus imposita, eadem adhuc fuisse tempore Moysis, non autem naturaliter significasse: alioqui non opus fuisset institutione & impositione Adami.

Obijcies 2. Sapientis est imponere nomina rebus: Atqui non esset Sapientis, si nominum significatio foret arbitraria: Ergo non est arbitraria.

Distinguo majorē. Si agatur de nominibus derivativis, concedo: si de primitivis & radicalibus, nego. Quippe suppositâ significatione vocabulorum primitivorum, res debent appellari nominibus rectè derivativis: sic posito quod ly scribere significet id quod significat, ly scriptor, debet potius tribui scribæ, quam sartori: ly scriptorium potius thecæ in qua reconduntur instrumenta scribendi quam officinæ sartoris.

Obijcies 3 Verba magica producunt id quod significant: Ergo significant naturaliter.

Distinguo antecedens. Producunt moraliter, concedo: physicè, nego: Non est credendum ipsa verba per suam virtutem tales effectus attingere, sed Dæmones propter pactum, ad prolationem verborum eos effectus producũt. Idem dicendum (omnis absit à comparatione injuria) de verbis sacramentalibus quæ non physicè sed moraliter tantùm operantur, in probabiliore Theologorum sententiâ.

Obijcies 4. Illæ voces, coaxare, pipire, ululare, significant naturaliter: Ergo quædam voces significant naturaliter.

Distinguo antecedens. Illæ voces naturaliter significãt, quoad aptitudinem, hoc est naturalem habent aptitudinē, ut hanc potius quàm illam actionem designent, concedo: quoad actum, nego: Nam ut actu hanc actionem significent, habent ab hominum arbitrio, cum aliam planè significare potuissent.

Imo

Imò fateor voces universim spectatas maximam habere à naturâ opportunitatem, ut aliquid indeterminatè significent & sint humanæ societatis instrumenta. 1. Quia facile efformantur & repetuntur, nec loquentium alia impediunt officia. 2. Quia cognitu ita faciles sunt, ut etiam ab hebetibus percipiantur & retineantur. 3. Quia pro rerum significandarum varietate, facile variātur: & hinc est quod sermo dicitur homini naturalis, quia duce naturâ institutus est. Et hæc est mens Platonis in Cratilo, ubi docet vocabula partim ex institutione significare: naturaliter quidem quoad aptitudinem: ex instituto verò quoad determinationem.

Quæres 3. An Voces significent prius res quàm conceptus vel contra? Ut huic quæstioni fiat satis.

Notandū est Voces spectari posse dupliciter. 1 ut sunt signa societatis & secundùm intentionem: 2. ut sunt signa disciplinarum & secundùm executionem. Hoc posito.

Respondeo 1. Voces ut signa politica primariò significare conceptiones, homines enim ut potè animalia civilia & socialia, eo fine instituerunt sermonem, ut ejus beneficio suos sibi invicem conceptus declararent.

Respondeo 2. Voces spectatas ut organa disciplinarum didascalica, & secundùm executionem, primariò significare res. 1. Quia disciplinæ intendunt tantum res manifestare. 2. Quia auditor priùs cogitat de rebus, quàm de mente loquentis, cum ad hanc plerumque non advertat. 3. Quia quando volumus nostros conceptus primariò declarare, utimur specialibus vocibus ad id destinatis, v, g. ita sentio, hæc est mea mens: Ergo cæteræ voces conceptus nostros immediatè non manifestant. 4. Quia vocib9 humanis duæ conveniunt proprietates complexæ, scilicet veritas & falsitas per ordinem ad res: atque veracitas & mendacitas per ordinem ad conceptum loquentis: Atqui veritas & falsitas magis necessariò & proinde priùs vocibus competunt, quàm veracitas & mendacitas: si quando enim voces à dormientibus proferantur, veræ sunt aut

fallæ,

falsæ, non autem veraces aut mendaces: Ergo voces secundùm executionem prius significant res, quàm conceptus.

Quæres 4. An voces possint distinctius significare res, quàm author vocum cognoverit.

Respondeo. Voces de se nullam habere vim physicam excitandi cognitionem sive claram siue obscuram: sed tātùm movendi species quæ sunt in auditore: quæ si obscuræ sunt obscuram pariunt cognitionem: si claræ, claram: si nullæ nullam: ut patet ex eo quod dum audimus idioma ignotum, nihil planè cognoscimus: unde per accidens est ad voces, quod talem aut talem rei notitiam excitent.

Quæres 5. Quid sit loqui humano modo.

Respondeo, cum S Augustino principiorum Dialecticæ cap. 5. Loqui est articulatâ voce signum dare, id est, efferre voce, quod mente conceptum est: unde, ut aliquis loquatur debet tria præstare, 1. rem mente appehendere: hinc verbum mentis: 2. excogitare voces quibus rem illam vult exprimere: hinc verbum cordis. 3. Denique voces illas proferre: hinc verbum oris.

Quæres ultimò, quomodo discamus loqui?

Respondeo. Nos addiscere beneficio memoriæ hoc modo. 1. Dum aliquam rem aut vocem percipimus, remanet in mente nostra illius rei aut vocis species & imago. 2. Dum species quædam ad nostram mentem pervenit, si quæ similis in memoriâ delitescat, statim propter sympathiam excitatur: sicque facit ut recordemur actu. 3. Ex duabus speciebus in mente simul impressis dum una excitatur, statim & excitatur altera ex lib. de Memoriâ & Reminisc. v. g. cum infans exhibito sibi pomo audit vocem illam, pomum, imago rei & imago soni simul in ejus memoriâ exarantur, contrahuntque aliquam inter se societatem: unde si postea nominetur illi pomum, etiam re oculis non exhibitâ, imago vocis excitat imaginem similem soni in memoriâ delitescentem, & simul imaginem rei

propter

propter affinitatem contractam inter duas illas imagines, eo quod simul introductæ sint. Si verò puer videat pomum nemine loquente, excitatur in ejus memoria imago illius fructus: simulq; propter affinitatem, imago vocis: quo fit ut statim à matre petat pomũ. Quod si describeretur hodie in memoriâ imago rei tantùm, v.g. Elephantis, cras verò imago vocis tantùm, nulla contraheretur inter illas imagines cognatio, nec scire posses quid significaret vox, Elephas, nec viso Elephante scires quomodo vocaretur. Hæc colliguntur ex Aristotele lib. de Memoriâ & Reminsc. cap. 2. Et ex hac specierum affinitate contingit ut res obscænæ quibusdam vocibus modestè possint ab omnibus nominari, non alijs. Hinc S. August. Princi. Dialect. 7 sic habet. Sensum, animũq; rei deformitas offenderet, nisi turpitudo, quæ significata est, decore verbi significantis operiretur.

ARTICULUS QUARTUS,

De significatione Termini scripti.

QUæres 1. Quid scripturæ significent?

Non est sermo de scripturis hyeroglificis & emblematicis, quæ res immediate significant sed de scripturis propriè dictis, quibus voces designantur.

Respondeo scripturas quatuor significare. 1. scribentem sicut effectus causam: hinc cognoscuntur homines per chirographos. 2. voces: 3. res: 4. conceptus.

Quod scripturæ significent priùs voces quàm res, patet: quia non percipimus res scriptis mandatas, nisi prius perceperimus voces seu quod idem est, nisi possimus legere: legere autem est scripturæ vim percipere. Hinc S. August. in Principijs Dialect. sic habet: Inspectis à legente litteris occurrit animo quod voce prorumpat.

Quæres 2. Qualia signa sint scripturæ?

Respondeo primò esse signa instrumentalia, quia nihil significant nisi priùs cognoscantur.

Respondeo 2. scripturas esse tantùm signa arbitraria, ut pa-

ut patet ex eo quod varia ſint in varijs idiomatibus, ut ait ipſe Philoſophus hîc cap. 1. imò & in eodem idiomate poſſint pro hominum beneplacito variè immutari, ut patet ex epiſtolis quæ furtivis ſcribuntur notis.

DISPUTATIO POSTERIOR,

De Propoſitione interiori.

PRopoſitio interior ſeu mētalis, vocatur judicium, quia eſt operatio mentis quâ judicium ſeu ſententiam ferimus de aliquo objecto.

Diviſiones Judicij eædem ſunt ac diviſiones Propoſitionis; quæ ejus interpres eſt, quare repetendæ ſunt ex Cōpendio. Eædem ſunt etiā utriuſque affectiones, quæ proinde aut explicatæ ſunt in Compendio aut in ſecunda parte Logicæ explicabuntur. Itaque hic tantùm agendum eſt de natura Judicij. Verùm quia Judicium ſpecies eſt operationis mentis: ideo priùs agendum eſt de operatione mentis in genere, quàm natura Judicij diſcutiatur.

CAPUT PRIUS,

De operationibus Mentis.

OPeratio mentis dicitur Intellectio.

Definitur, Operatio vitalis ab intellectu elicita circa rem intelligibilem.

Breviùs definitur, Cognitio ſpiritualis.

Dicitur Cognitio, quæ particula tenet locum generis intellectioni cum ſenſatione communis.

Additur ſpiritualis, quæ particula eſt differētia diſtinctiva intellectionis à ſenſatione.

CONCLUSIO.

TRes tantùm ſunt Mentis operationes.

Probatur. Tot ſunt operationes, quot ſunt modi quibus

bus Intellectus versari potest circa rem intelligibilem: Atqui tres sunt modi quibus intellectus versari potest circa rem intelligibilem: nam vel Intellectus versatur circa objectum nihil dicendo nec ferendo sententiam, vel ferendo sententiam: Si primum exercet actionem quæ dicitur, Apprehensio: si secundum, vel fert sententiam sine probatione discursivâ, & hinc Judicium: vel cum probatione discursiva, unde Discursus: Ergo tres tantùm sunt mẽtis operationes.

Quidam recẽtiores addunt Methodũ pro quartâ mentis operatione, sed malè: Nam Methodus vel concipit quomodo ordinanda sit aliqua disciplina non ferendo judicium, vel ferendo judicium: tuncque vel fert judicium sine probatione vel cum probatione: si primum, est Apprehensio, si secundum est Judicium, si tertium est discursus, nec quidquam quartum excogitari potest: Ergo Methodus non est quarta mentis operatio.

Objiciunt. Ex multis apprehensionibus certo dispositis modo exurgit Judicium, ut secunda mentis operatio & ex multis judicijs connexis exurgit Discursus tanquã tertia mentis operatio: Ergo à pari ex multis discursibus ordinatis exurgit. Methodus tanquam quarta mentis operatio.

Respondeo 1. Ex hoc argumento sequturum processum in infinitum in speciebus operationis mentis: posset enim dici eodem modo quod ex multis quartis operationibus exurgeret quinta, ex pluribus quintis sexta: & sic deinceps.

Respondeo 2. Falsum esse antecedens, quod scilicet Judicium constet ex apprehensionibus, aut discursus ex judicijs, ut dicemus capite sequenti, sed interim dato gratis antecedente.

Nego paritatem, Ratio disparitatis est, quod in Judicio sit quædam formalis connexio explicata per verbum substantivum sum, es, est, (inquit Philosophus hic cap. 11.) in discursu sit etiam quædam formalis unio explicata per

parti-

culam illativam, ergo: At in Methodo non possit afferri ulla formalis unio specialis distincta ab unione copulativâ & illativâ.

Quæres ad quam mentis operationem possit Methodus revocari?

Respondeo. Revocari posse ad quamlibet, ut patet ex refutatione eorum qui contendunt eam esse quartam mẽtis operationem: nihilominus commodius revocari posse ad Judicium: est enim mentis actio, quâ judicamus aliquam disciplinam certo modo esse tractandam.

Apprehẽsio, est operatio, quâ intellectus simplici intuitu fertur in objectum nihil dicendo, vel (ut plerique loquuntur) sine ullâ affirmatione aut negatione, ut Deus, Deus Sanctus.

Judicium, est operatio quâ intellectus aliquid dicit de aliquo, ut Deus est Sanctus, Deus non est crudelis.

Discursus, est operatio, quâ intellectus ex uno pluribusve judicijs aliud deducit; ut Deus est Sanctus, ergo est colendus.

Porro Apprehensio vocatur prima mentis operatio, Judicium secunda, Discursus tertia: quia discursus necessariò supponit judicium, & judicium (saltem in nobis) apprehensionem, quæ proinde prima est omnium.

CAPUT POSTERIUS,

De Iudicio

JUdicium sic dicitur, quia per istud, judicium seu sententiam ferimus de aliquo.

Finis ejus, est sola cognitio, si sit speculativum: cognitio verò simul cum opere, si sit practicum.

Causa ejus efficiens & materialis in quâ, est intellectus, quia judicium ab intellectu elicitur, & in eo recipitur.

Causa verò formalis, est definitio.

Vulgò Judicium definitur, Operatio mentis affirmans vel

vel negans: sed malè: est enim potiùs judicij divisio quàm definitio. Quippe

Judicium duplex est, affirmans & negans.

Affirmans, quod dicit unum de alio, & vocatur, assensus, annutus; & ab Aristotele, compositio, quia componit & conjungit prædicatum cum subjecto.

Negans, quod unum removet ab alio, & vocatur, dissensus, abnutus; & ab Aristotele, divisio, quia dividit & removet prædicatum à subjecto.

Melius ergo definitur judicium, Operatio quâ mens de aliquo subjecto fert sententiam.

Unica est de Judicio difficultas, utrùm scilicet sit quid simplex vel compositum.

CONCLUSIO.

JUdicium est simplex qualitas. Probatur 1. Si Judicium non esset simplex qualitas, maximè quia esset quid constans ex multis apprehensionibus: Atqui hoc dici nō potest, positis enim quibuscunque apprehensionibus subjecti, prædicati & copulæ, imo & integræ propositionis, potest non sequi Judicium. Sic apprehendimus singuli hanc propositionem, arenæ maris sunt numero pares & omnia quæ in mari continentur, nec tamen judicamus: Ergo judicium est simplex qualitas.

Probatur 2. Si Judicium non esset simplex qualitas, sed plures includeret actus, vel singuli actus versarentur circa singulas partes propositionis, vel singuli circa omnes. Non primum, alioquin essent plures apprehensiones, non autem Judicium, cum judicium ferri debeat circa omnia, de quorum convenientiâ vel disconvenientiâ judicat: Nō etiam secundùm, quia singuli illi actus essent totidem judicia, & proinde judicium esset simplex qualitas; quod intendimus.

Judicium ergo consistit in simplici annutu vel abnutu mentis, expresso per has particulas, est, non.

Objicies 1. Judicium ab Aristotele vocatur, compositio. Ergo est compositum.

Distin-

Distinguo antecedens. Vocantur compositio formalis, hoc est forma componens mentaliter prædicatum cum subjecto, concedo: compositio entitativa, quasi constet ex multis entitatibus nego. Distinguo consequens. Ergo Judicium est compositum, virtualiter, objectivè, repræsentativè, concedo: formaliter & entitativè, nego.

Objicies 2. Si Judicium nostrum esset simplex qualitas, non differret ab Angelico. Falsum consequens: Ergo & antecedens.

Distinguo majorem. Si esset simplex qualitas, tum formaliter, tùm suppositivè, concedo: si esset simplex tantùm formaliter, nego. In eo ergo differunt Judicium humanū & Angelicum, quod humanum præsupponat apprehensiones subjecti & prædicati: imò & apprehensionem comparativam integræ propositionis: Angelicum verò, saltē ut plurimum non præsupponat.

Objicies 3. Talis est propositio mentalis, qualis vocalis: Atqui propositio vocalis est entitativè composita. Ergo & mentalis.

Distinguo majorem. Talis est propositio mentalis, repræsentativè & objectivè, qualis vocalis, concedo: talis est formaliter & entitativè, nego: alioquin esset corporea, sicut vocalis. Sunt ergo similes illæ propositiones in repræsentando, non in essendo, præsertim quoad compositionem: quod enim lingua per plura verba oris exprimit, id intellectus, qui est potentia superior, per unicum verbū mentis sibi exhibere potest, juxta illud effatum, quæ sunt dispersa in inferioribus sunt unita in superioribus.

Hinc colliges discursum mentalem esse quoque simplicem qualitatem: nam ita se habet discursus mentalis ad judicia, quomodo Judicium mentale ad apprehensiones: sicut ergo Judicium mentale non constat formaliter ex multis apprehensionibus, ita nec discursus mentalis constat formaliter ex pluribus judicijs, ut probari potest per eadem prorsus argumenta: unde sicut judicium mentale consistit formaliter in simplici annutu vel abnutu expresso per

so per particulas, est, non : ita discursus mentalis consistit formaliter in simplici judicio illativo ut sic, expresso per particulam Ergo, aut aliam æquivalentem.

SECVNDA PARS LOGICÆ.

DE PROPRIETATIBUS Orationis Logicæ.

CUm Oratio logica sit veritatis manifestativa, tres sibi proprietates vendicat, scilicet, Veritatem; Certitudinem, & Evidentiam, ut potè quæ ad veritatē illustrandam maximè conducant.

Quia verò non est prolixa earum explicatio, ideo eas unico Tractatu expendemus, ad quem omnia redigemus, quæ Logicus nosse debet de tribus illis Orationis logicæ luminibus.

TRACTATUS UNICUS, *De Veritate, Certitudine, & Evidentiâ.*

HIc sequemur ordinem intentionis, juxta quem Veritas præcedit Certitudinem, & Evidentiam Certitudo : Idcirco enim quærimus Evidentiam, ut certi simus de veritate.

SECTIO PRIMA, *De Veritate.*

OMnia quæ spectant ad Veritatem, tribus capitibus complectemur : quorum Primo agemus de veritate secundùm se, Secundo de veritate apprehensionis, Tertio de veritate Judicij.

CAPUT PRIMUM, *De Veritate & Falsitate secundùm se.*

Veri-

VEritas generatim est conformitas rei cum suâ regulâ, v.g. imaginis cum prototypo: & sic sumpta

Duplex est, scilicet veritas rei, de quâ agemus secundâ parte Metaphysicæ, & veritas signi de quâ hîc.

Veritas signi, est conformitas signi cum re significatâ, v.g. Fletus cum dolore interno.

Et quia signum duplex est ut diximus in Compendio, scilicet reale & logicum, idcirco veritas signi, alia est signi realis, qualis veritas tabellæ: alia signi logici, seu sermonis, qui verus est dum dicit res ut sunt, falsus verò, cum dicit res ut non sunt: ex Platone in Cratilo non longè ab initio.

Veritas logica duplex est, scilicet veritas cognitionis, & veritas locutionis.

Veritas cognitionis, est conformitas cognitionis cum objecto: Falsitas cōtra est cognitionis cum objecto difformitas.

Veritas locutionis est conformitas orationis cum rebus significatis: Falsitas contra, orationis cum rebus significatis difformitas.

Veritas locutionis differt à veracitate, quod veritas desumatur à conformitate cum rebus, veracitas verò à conformitate cum cognitione loquentis. Falsitas etiam locutionis eodem modo differt à Mendacitate, in eo quod Falsitas sit difformitas locutionis cum rebus, Mendacitas verò difformitas locutionis cum mente loquentis: unde mētiri est contra mentem ire. Hinc qui narraret quædam falsa bonâ fide, falsum diceret, nec tamen mentiretur: contra verò, qui referret quædam vera, ea credens falsa, mentiretur, nec tamen falsum diceret.

Veritas & Falsitas cognitionis, (quæ appellatur veritas formalis, ad discrimen veritatis ipsius objecti, quæ dicitur veritas obiectiva) duplex est, scilicet simplex & cōplexa.

Veritas & Falsitas simplex seu incomplexa, ea est, quæ competit cognitionibus affirmationis & negationis expertibus, qualis etiam reperitur in cognitionibus sensuum.

Veritas & Falsitas complexa ea est, quæ reperitur in cognitionibus judicativis.

CAPUT SECUNDUM.
De Veritate & falsitate Apprehensionis.

Licet omnis Apprehensio sit formaliter simplex qualitas, nihilominus objectivè modò simplex est: modò complexa.

Apprehensio objectivè simplex, est ea, quæ repræsentat objectum formaliter unicum, ut apprehensio Dei.

Apprehensio objectivè complexa, est ea quæ repræsentat objectum compositum, aut veluti compositum, ut apprehensio Dei sancti. His positis,

Constat 1. nullam Apprehensionem capacem esse veritatis aut falsitatis complexæ: ex Aristotele in fine Antepredicamentorum, & cap. de Oppositis; Quia veritas & falsitas complexæ conveniunt tantum cognitionibus judicativis.

Constat. 2. Apprehensionem quamlibet, tum simplicem tum complexam, capacem esse veritatis incomplexæ, ut patet in apprehensione Dei aut Dei sancti.

Constat 3. Apprehensionem complexam esse capacem falsitatis incomplexæ: quia potest esse difformis objecto ut patet in apprehensione quam damnatus habet de Deo ut crudeli

Sed difficultas est utrùm Apprehensio objectivè simplex, sit capax falsitatis incomplexæ.

CONCLUSIO.

Apprehensio simplex nullius falsitatis est capax.

Probatur. Ut cognitio sit falsa, debet apprehendere objectum alio modo quàm sit: Atqui Apprehesio simplex non potest attingere objectũ alio modo quàm sit, alioqui foret Apprehensio complexa contra hypothesim: attingeret enim objectum, & alium modum objecti: Ergo Apprehen-

prehensio simplex non est capax falsitatis. Hoc ratiociniū fundatur in Aristotele 3. de Animâ 6. ubi sic habet: Falsitas in compositione semper consistit.

Confirmatur. Si nobis se offerat aurichalcum, vel concipimus aurichalcū, vel aurum ad præsentiam aurichalci: Si aurichalcum, falsa non est Apprehensio, cum sit conformis objecto: si aurum, non est etiam falsa propter eandē rationem: objectum enim illius Apprehensionis in tali hypothesi, non erit aurichalcū, utpotè quod nullo modo attingatur: Ergo Apprehensio simplex non potest esse falsa.

Objicies. Tam apprehēsio auri ad præsentiam aurichalci falsa est, quam apprehensio baculi curvi ad præsentiam recti: Atqui hæc falsa: Ergo & illa.

Nego paritatem. Disparitas est quod apprehensio baculi curvi ad præsentiam recti, repræsentet objectum aliter quàm sit: repræsentat enim illum baculum & alium modum baculi quàm ipsi de facto competat: At verò apprehensio auri ad præsentiam aurichalci, nullo modo repræsentat aurichalcū: Ergo nō est illi difformis, nec proinde falsa.

Instabis. Illa apprehēsio deberet esse cōformis aurichalco cui de facto non est conformis: Ergo est falsa.

Distinguo consequens. Est falsa occasionaliter, In quā tum dat occasionem falsi judicij, concedo: formaliter nego. Hoc modo multa entia dicuntur falsa, ut falsum aurum, falsa gemma: non quòd revera talia sint, nam falsum aurum non est aurum, falsa gemma non est gemma, sed quid aliud, v. g. chrystallus. Hæc itaque & similia falsa dicuntur, quia nata sunt sui falsam parere existimationem, ex eo quod præ se ferant speciem quandam externam rerum, quarum virtutem intimè non gerunt.

CAPUT TERTIUM.

De veritate & falsitate Iudicij.

HIc duo controversa sunt. Primum, utrùm veritas aut falsitas insit omni Judicio & Propositioni? Secundum, utrùm eadem propositio de verâ possit fieri falsa vel contra?

ARTICULUS PRIOR,

Utrum omnis Propositio vera sit vel falsa?

QUia Propositio interpres est Judicij, ideo quod de Propositione concludemus, erit quoque de Judicio intelligendum.

CONCLUSIO.

OMnis Propositio vera est aut falsa. Probatur 1. authoritate Aristotelis qui cap. 4. de Interpretatione sic habet. Non omnis Oratio est Enuntiatio, sed ea sola cui verum aut falsum convenit dicere.

Probatur 2. ratione. Omnis Propositio vel est conformis objecto, vel non: si primum, est vera: si secundum, est falsa: Ergo omnis Propositio vera est aut falsa.

Confirmatur. Omnis Propositio dicit aliquid de objecto: vel ergo dicit aliquid quod est, vel quod non est: si primum, vera est: si secundum, falsa: Ergo, &c.

Sed quia præcipua difficultas hujus articuli, est de Propositionibus de futuro contingenti practicis, promissorijs, & falsificantibus, ideo de illis hic speciatim agendum est.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Utrùm Propositionum contradictoriarum singularium de futuro contingenti una sit determinatè vera & altera determinatè falsa.

UT hæc quæstio, totius Logicæ celeberrima, percipiatur, omnes ejus termini sunt diligenter observandi. Primo Agitur de Propositionibus contradictorijs, hoc est quarum una negat idipsum quod altera affirmat, quales sunt istæ, Anti-christus peccabit, Anti-christus non peccabit.

2. Agi-

2. Agitur de Propoſitionibus ſingularibus: de cæteris enim nulla difficultas: nam univerſales & particulares in materia neceſſaria veræ ſunt ſi affirment, falſæ ſi negent; in materiâ impoſſibili contra: in materiâ verò contingēti omnes univerſales ſunt falſæ, particulares verò ſæpius veræ.

3. Agitur de Propoſitionibus ſingularibus de futuro: conſentiunt enim omnes, Propoſitiones de præterito aut præſenti eſſe determinatè veras aut falſas, quia objectum præteritum vel præſens, aliter eſſe jam non poteſt. Hinc Philoſophus 6. Ethic. 2. Quod factum eſt infectum eſſe nequit. Et libro de Interpretatione 10. Quidquid eſt, quamdiu eſt, neceſſe eſt eſſe: Quidquid autem non eſt, quamdiu non eſt, neceſſe eſt non eſſe.

4. Agitur de Propoſitionibus de futuro contingenti: quo nomine intelliguntur omnes & ſolæ Propoſitiones quarum objecta à libertate pendent: de veritate enim & falſitate cæterorum, convenit inter Philoſophos.

Ultimò quæritur, utrùm altera ſit determinatè vera vel falſa, ſicut enim hæc disjunctiva, Oculus dexter vel ſiniſter neceſſarius eſt ad videndū, vera eſt, licet neutra pars ſeorſim ſit vera: ita quoq; hæc Propoſitio, Antichriſt9 peccabit, vel non: vera eſt ſecundùm omnes: ſed ambigitur utrùm unum illius membrum ſeorſim ſit jam determinatè verum.

CONCLUSIO.

Singulares Propoſitiones de futuro contingenti ſunt determinatè veræ vel falſæ.

Probatur 1. Propoſitio quæ dicit aliquid futurum, quod eſt determinatè futurum, determinatè vera eſt, contradictoria determinatè falſa? Atqui Propoſitiones ſingulares de futuro contingenti, dicunt futurum quod eſt determinatè futurum, vel contra: Ergo ſunt determinatè veræ vel falſæ. Probatur minor. Quod Deus prævidit, prædixitq; futurum, illud eſt determinatè futurum, vel non futurū: Atqui Deus prævidit omnia, & prædixit multa contingen-

tia esse futura vel non, ut constat ex vaticiniis Prophetarũ, atque etiam ipsius Christi, qui prædixerat proditionem Judæ, & negationem Petri, &c. Ergo contingentia sunt determinatè futura, vel non futura, & proinde Propositiones de futuro contingenti dicunt futurum, quod est determinatè futurum, vel contra.

Confirmatur. Illa propositio quæ dicit aliquid de Petro v. g. futurum crastinâ die, quod Deus ab æterno prævidit futurum, æque vera est ac ipsa prævisio divina, cum idem asserat, quod Deus videt: Atqui prævisio quâ Deus cognoscit aliquid de Petro futurum crastinâ die, vera est: Ergo & propositio quæ idem dicit. Nec dicas Deum cognoscere hanc veritatem, quam nos ignoramus: nam quid inde? veritas propositionis pendet-ne ex cognitione nostrâ? minimè certè, alioqui ea omnia præterita & præsentia vera non essent quæ nescimus, & sic vera non essent quæ nunc Romæ peraguntur, quia ea non novimus.

Probatur 2. Hæc propositio, Petrus scribit, nunc vera est ex hypothesi: Ergo illa, Petrus crastinâ die septimâ Martii anni 1674. scribet manè, erat heri vera: Propositio enim de præsenti est mensura cæterorum: Atqui illa secunda propositio erat de futuro contingenti: Ergo Propositio de futuro contingenti est determinatè vera, contradictoria determinatè falsa.

Confirmatur. Si Paulus heri, deposito apud Adversarios nostros pignore, contendisset cum Jacobo hanc propositionem, Petrus cras scribet, esse veram, nonne jam Adversarii pignus adjudicarent Paulo? At quare? nisi quia ejus propositio de futuro contingenti fuisset vera?

Respondent: Non quia erat vera, sed quia nunc evadit vera.

Sed contra. Nunc est falsissima: nam falsum est jam dicere, Petrus cras scribet: de quâ tamen propositione, contentio erat inter Paulum & Jacobum.

Obiicies 1. Aristotelem lib. de Interpr. cap. 10. negare expresse Propositiones de futuro contingenti esse determinatè veras aut falsas.

Distin-

Diſtinguo. Quoad nos: quia non poſſumus devenire in cognitionem earum, ſicut devenimus in cognitionem aliarum, concedo: quoad ſe, quaſi ipſæ non habeant veritatem nec obiecto ſuo conformes ſint, nego. Nam ipſe Philoſophus cap. 4. docet eam ſolam orationem eſſe propoſitionem, cui verum aut falſum dicere convenit: Ergo putavit veritatem vel falſitatem cuilibet propoſitioni cōpetere. Sic Ariſtotelem multi graviſſimi Authores defendunt.

Obiicies 2. Quæ propoſitiones non habent obiectum determinatum, illæ non ſunt determinatè veræ: Atqui Propoſitiones ſingulares de futuro contingenti, non habēt obiectum determinatum: quia vel haberent obiectum determinatum in ſe ipſo, & hoc non, cum obiectum nondū exiſtat: vel in ſua cauſa, & hoc etiam non, cum cauſa nondum ſit determinata. Ergo propoſitiones ſingulares de futuro contingenti non ſunt determinatè veræ.

Diſtinguo maiorem. Quæ propoſitiones non habent obiectum determinatum, illæ non ſunt determinatè veræ: ſi ſint propoſitiones de præſenti, aut de præterito, concedo: ſi de futuro, nego: Tunc enim ſufficit ut obiectum ſit determinandum ſeu determinatè futurum. Quippe ut ad veritatem propoſitionis de præterito neceſſe non eſt, ut obiectum determinatè exiſtat, ſed ſufficit quod determinatè extiterit: ita ad veritatem propoſitionis de futuro, non requiritur ut obiectum ſit determinatū, ſed ſatis eſt quod ſit determinandum, ſeu determinatè futurum. At obiectū propoſitionis ſingularis de futuro contingenti, futurum eſt determinatè, & aliquando erit determinatum, tum in ſe, quando exiſtet, tum in cauſa, quando ad illud ſe determinaverit.

Obiicies 3. Si propoſitiones de rebus futuris à Deo præviſis eſſent determinatè veræ, earum rerum libertas tolleretur: Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Nego ſequelam maioris. Nam ut doctè ratiocinatur Boetius lib. 2. de Conſol Phyloſ. Proſâ quarta. Sicut ſci-

entia præsentium nihil his quæ fiunt: ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt: necessitatis importat.

Instabis. Vel futura omnia necessaria sunt, vel eorum præscientia certa esse non potest.

Nego cum eodem Authore ibidem: Omne enim (inquit) quod cognoscitur, non secundũ sui vim, sed secundùm cognoscentiũ potius cõprehenditur facultatẽ. Quod Axioma exẽplis illustrat. Et postea Prosâ sexta, sic concludit. Quoniam igitur omne iudicium secundum sui naturam, quæ sibi subiecta sunt, comprehendit: est autem Deo semper æternus, ac præsentarius status: scientia quoque eius, omnem temporis supergressa motionem, in sua manet simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præscientiam pensare velis qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantis rectiùs æstimabis. Unde non Prævidentia, sed Providentia potius dicitur: quòd porrò ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. Quid igitur postulas ut necessaria fiant, quæ divino lumine lustrentur, cum ne homines quidem necessaria faciant esse, quæ videant? Num enim quæ præsentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? Minime. Atqui, si est divini humanique præsentis digna collatio, uti vos vestro hoc tẽporano præsenti quædam videtis, ita ille omnia suo cernit æterno. Quare hæc divina prænotio, naturam rerum proprietatemque non mutat, taliaque apud se præsentia spectat, qualia in tempore olim futura provenient: nec rerũ judicia confundit, unoque suæ mentis intuitu, tam necessariò quam non necessario ventura dignoscit. Sicuti vos, cum pariter ambulare in terra hominẽ conspicitis, & oriri in cœlo solem videtis; quanquam simul utrumque cõspectum, tamen discernitis & hoc voluntarium, illud esse necessarium judicatis. Ita igitur cuncta despiciens divinus intuitus, qualitatem rerũ minime perturbat, apud se quidem

dem præsentium, ad conditionem verò temporis futurarum. Quo fit, ut hæc non sit opinio, sed veritate potius nixa cognitio, cum exiturum quid esse cognoscit, quod idem existendi necessitate carere non nesciat.

Si dicas: quod eventurum Deus videt, id non evenire non posse: quod autem non potest non evenire, id ex necessitate contingere: meque ad hoc nomen Necessitatis adstringas.

Respondeo cum eodem ibidem. Idem futurum, cum ad divinam notionem refertur, necessarium; cum verò in suâ natura perpenditur, liberum prorsus, atque absolutũ videri. Duæ sunt etenim necessitates, simplex una, veluti quod necesse est omnes homines esse mortales: altera cõditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est: quod enim quisque novit, id esse aliter ac notũ est, nequit. Sed hæc conditio minimè secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntariè gradientem, quamvis eum tamen cum graditur, incedere necessariũ sit. Eodem igitur modo, si quid providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam habeam naturæ necessitatem.

Sed si in meâ, inquies, potestate situm est mutare propositum, evacuabo Providentiam, quodque illa prænoscit forte, mutavero.

Respondeo cum eodem: Propositum te quidem tuum posse deflectere, sed quoniam & id te posse, & an facias quove convertas, præsens providentiæ veritas intuetur, divinam te præscientiam non posse vitare, sicuti præsentis oculi effugere non possis intuitum, quamvis te in varias actiones liberâ volunrate converteris. Quia, ut canit ipse Boetius libro citato Metro 2.

Magni conditor orbis,
Uno mentis cernit in ictu.
Quæ sint, quæ fuerint, veniantque:

Quem quia respicit omnia solus,
Verum possit dicere solem.

Instabis. Si præscientia divina ita esset infallibilis, esset causa futurorum, & proinde esset causa nostrorũ peccatorum: Absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Nego sequelam. Non enim ideo à priori res est futura, quia eam Deus prævidit: sed potius ideo Deus eam prævidit, quia est futura: sicut non ideo tu hîc es, quia te hîc video sed ideo te video hîc: quia tu hîc es. Præclare S. Justinus Martyr: Præscientia non est causa futuri, sed futurum causa præscientiæ: non ideo peccaturi sumus, quia Deus prævidet, sed ideo prævidet, nos peccaturos, quia peccaturi sumus.

Obijcies ultimò. Si omnes propositiones de futuro cõtingenti essent determinatè veræ, vel falsæ, nullâ opus foret consultatione aut cautione: iniquæ forent leges supplicia aut præmia decernentes: frustra speraremus Deũ precibus movere: quandoquidem jam omnia ita essent vera & determinata, ut nunquam esset immutanda. Consequens stolidum est & impium: Ergo & antecedens.

Distinguo majorem. Si essent determinatè veræ independenter à quocunque nostro consensu, concedo: si dependenter à nobis, nego: Sic futurum est ut ille auditor evadat Philosophus: quia futurum est ut assiduã Philosophiæ navet operam: qui si secùs fecisset, ignorans remansisset. Unde nostra Libertas semper manet incolumis.

Quæ cum ita sint (ut hanc quæstionem concludam iisdem verbis, quibus Boetius suam Consolationem philosophicam concludit.) Manet intemerata mortalibus arbitrij libertas: nec iniquæ leges solutis omni necessitate voluntatibus præmia pœnasque proponunt. Manet etiam spectator desuper cunctorum præscius Deus, visionisque ejus præsens semper æternitas, cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in Deo positæ spes precesque, quæ

cum

cum rectæ ſint, inefficaces eſſe non poſſunt. Averſamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas ſpes animum ſublevate, humiles preces in excelſa porrigite. Magna vobis eſt, ſi diſſimulare non vultis, neceſſitas indicta probitatis, cum ante oculos agatis Judicis cuncta cernentis.

PARAGRAPHUS SECUNDUS,

Utrùm Propoſitiones promiſſoriæ & practicæ ſint veræ.

PRopoſitiònes promiſſoriæ ſunt eæ quibus tantum promittimus id quod jam præſens aſſerere videmur, quales ſunt iſtæ: Tibi præbibo, Taceo.

Propoſitiones practicæ ſunt eæ quæ faciunt quod ſignificant, quales ſunt Propoſitiones Sacramentales ritè prolatæ.

I. CONCLUSIO.

PRopoſitiones promiſſoriæ vulgò ſunt veræ.]

Probatur. Illæ propoſitiones, polliceor me tibi præbiturum: promitto me deinceps taciturum, vulgò ſunt veræ: Atqui hæ propoſitiones promiſſoriæ, Tibi præbibo, Taceo, ſecundùm communem uſum loquendi idem ſignificant: Ergo vulgò ſunt veræ.

Objicies. Qui has propoſitiones profert, neque bibit, neque tacet: Ergo non dicit verum.

Nego conſequentiam: Quia ſecundum communem loquendi & intelligendi modum, non dicit ſe actu bibere, nec tacere, ſed ſtatim bibiturum, & deinceps taciturum.

II. CONCLUSIO.

PRopoſitiones practicæ ſunt veræ. Probatur 1. De fide eſt propoſitiones Sacramentales ritè prolatas eſſe veras: Atqui eiuſmodi propoſitiones ſunt practicæ: Ergo, &c.

Probatur 2. Illæ propoſitiones ſunt veræ, quæ ſunt cõformes obiecto: Atqui propoſitiones practicæ ſunt conformes obiecto, cum per eas obiectum fiat, quomodo aſſerunt: Ergo ſunt veræ.

Obiicies. Ut propositio sit vera, debet supponere obiectum: Atqui propositio practica non supponit obiectũ: Ergo non est vera.

Distinguo maiorem. Ut propositio sit vera, debet supponere obiectum, nisi ponat, concedo: si ponat, nego. Ad veritatem ergo propositionis sufficit, si propositio supponat vel ponat obiectum: speculatiua illud supponit: practica verò ponit.

Instabis. Propositio practica, cum sit causa obiecti est eo prior: Ergo in illo priori non est vera.

Distinguo consequens. Non est vera speculativè, concedo: practicè & moraliter, nego: ut dixi de propositionibus promissoriis: dum enim sacerdos in consecratione v. g. profert hæc verba: Hoc est corpus meum: non intendit dicere id quod tenet esse corpus Christi antecedenter ad verba, sed practicè per verba: & proinde verum dicit.

Hinc colligas verba sacramentalia non causare suos effectus per suam veritatem, cum eorum veritas à veritate obiecti dependeat, sed per suam significationem: quia vi suæ significationis eos producunt; unde propositio practica ratione significationis prior est effectu, ratione autem veritatis posterior: nihil autem repugnat idem esse prius & posterius eodem, ratione diversorum.

PARAGRAPHUS TERTIUS,

Utrùm Propositiones falsificantes sint veræ vel falsæ.

PRopositiones falsificantes eæ sunt, ex quarum veritate videtur sequi earundem falsitas, & è contra: Unde etiam hanc ob rem dicuntur insolubiles, quarum hæc sunt vulgata exempla.

1. Supposito quod nihil adhuc dixerim, & proferam hanc propositionem, mentior: si hæc propositio vera sit, falsa est: quia si vera sit, non mentior; contra, si falsa sit, vera est, quia fateor me mentiri.

2. Sup-

2. Supposito quod aliquis juravit se permansurum jejunum, donec aliquem audierit falsum dicentem, & veniat amicus qui cum sic alloquatur: Amice, satis jejunasti: si hæc propositio vera sit, falsa est, quia nondum ille satis jejunavit, cum nullus hactenus falsum dixerit: contra verò si falsa sit, vera est, quia in tali hypothesi satis ille jejunavit.

3. Supposito quod aliquis à Deo præpositus sit ponti custodiendo, eo mandato, ut quemvis è prætereuntibus falsum dicentem in fluvium projiciat, accedat aliquis qui sic custodem alloquatur: Tu me projicies in fluvium: si illa propositio vera sit, falsa est, quia custos non debebit illum projicere: si verò falsa sit, vera est, quia custos tenebitur illum projicere.

Istiusmodi Propositiones vocantur Crocodilites: quia fingunt Crocodilum eiusmodi olim argumento usum esse, alloquentem mulierem cuius filium rapuerat: nam cum dixisset mulieri, si verum dixeris reddam tibi filium, & mulier respondisset, non reddes, respondit Crocodilus, si tua propositio esset vera, esset falsa, nam redderem tibi filium propter pactum: si verò esset falsa, esset vera, quia propter idem pactum non redderem tibi filium.

CONCLUSIO.

Illæ propositiones sunt speculativè falsæ, practicè veræ.

Probatur prima pars. Illa propositio est speculativè falsa, quæ non supponit obiectum ante se, atqui propositiones falsificantes non supponunt obiectum ante se, ut patet in superioribus exemplis: Ergo sunt speculativè falsæ.

Probatur secunda pars. Illa propositio vera est practicè, quæ facit quod dicit: Atqui Propositiones falsificãtes faciunt quod dicunt, ut patet in iisdem exemplis: Ergo sunt veræ practicè.

ARTICULUS POSTERIOR,

An Propositio de vera possit fieri falsa, vel contra.

Certùm est propositiones in materiâ necessariâ & impossi-

possibili de veris non posse fieri falsas, vel contra: quia versatur in materiâ immutabili.

Sed lis est de propositionibus in materiâ contingenti.

CONCLUSIO.

PRopositio contingens de verâ potest fieri falsa, & contra.

Probatur 1. authoritate Philosophi, qui lib. Categ. cap. de subst. dicit orationem de verâ posse fieri falsam, sicut & opinionem: Nam si quis, (inquit) dicat aut censeat aliquem sedere, qui sedeat; & ille postea surrexerit, oratio de vera fiet falsa, sicut & opinio.

Confirmatur ratio Philosophi exemplo. Fieri potest ut aliquis parens ab horâ octavâ ad undecimam dicat & censeat suum filium esse in classe, qui tamen piger egressus sit horâ decimâ: Propositio & iudicium parentis ab horâ octavâ ad decimam erunt vera, à decimâ verò ad undecimam, falsa: Ergo propositio de verâ potest fieri falsa.

Probatur 2. ratione. Differunt propositones in materiâ contingenti à propositionibus in materiâ necessaria & impossibili: Atqui totum discrimen est quod illæ modò possint esse veræ, modò falsæ, non hæ: Ergo propositiones de veris possunt fieri falsæ in materia contingenti.

Obiicies 1. Hæc propositio prolata à Christo, ter me negabis, est in materia contingenti, neç tamen potest unquam esse falsa, cum sit de fide: Ergo propositio in materiâ contingenti de verâ non potest fieri falsa.

Nego antecedens. Imo illa propositio ut iacet, iam falsa est: neque enim S. Petrus in posterum negaturus est Christum. Probationem distinguo. Est de fide quod Christus illam propositionem protulerit, quodque tunc esset vera, concedo: quod nunc ut iacet sit vera, nego.

Obiicies 2. Mutato obiecto mutatur actio: Ergo variato obiecto, non est amplius eadem propositio.

Distinguo antecedens. Mutato obiecto mutatur actio, si actio pendeat ab influxu physico obiecti, concedo: si

non

non pendeat, nego: sic visio mutatur obiecto mutato, quia obiectum physicè influit in visionem: At propositio non pendet à physico influxu obiecti, cum fieri possit de obiectis non existentibus, proindeque eadem remanere potest variato quamtumvis obiecto.

Ex quibus patet veritatem & falsitatem non esse de essentiâ Propositionis, quandoquidem possunt adesse & abesse à propositione sine illius interitu, imò & sine eius mutatione, ut ait Philosophus loco citato: unde vulgò à Dialecticis vocantur, qualitates accidentales Propositionis.

SECTIO SECUNDA,

De Certitudine.

QUæcunque ad Certitudinem spectant, tribus capitibus expendemus: quorum 1. agemus de Certitudine secũdum se: 2 quærem9 an Certitudo sit de essentiâ scientiæ: 3. denique examinabimus nunquid certitudo obstet, quominus scientia simul stare possit in eodem intellectu cum opinione.

CAPVT PRIMVM.

De Certitudine secundum se.

CErtitudo & Incertitudo opponuntur: Unde cum oppositorum opposita sit ratio, ex definitione & divisione Certitudinis satis intelligitur quid & quotuplex sit incertitudo.

Certitudo definitur, Firmitas & constantia alicuius rei.

Triplex est: scilicet Certitudo obiecti seu obiectiva, subiecti seu subiectiva, & actus seu formalis.

Certitudo obiectiva est necessitas & immobilitas rei in se, quæ

Duplex est, scilicet Certitudo seu necessitas existentiæ & entitatis, & Certitudo seu necessitas propositionis.

Certi-

Certitudo seu necessitas existentiæ est ea à quâ res habet ut non possit non existere, & hæc competit soli Deo.

Certitudo seu necessitas propositionis, est necessaria connexio prædicati cum subjecto: quæ triplex est, scilicet metaphysica, physica & moralis.

Propositio tunc est certa metaphysicè, quando nequidem divinitùs potest aliter esse, qualis est hæc: homo est animal.

Tunc est certa physicè, quando potest divinitùs esse falsa, non tamen naturaliter, qualis est hæc, à privatione ad habitum non datur regressus.

Tunc est certa tantùm moraliter, quando, (etsi forsan sine miraculo possit esse falsa) secundum consuetum naturæ ordinem vera est, qualis est hæc, Aliquis morietur hoc anno, quæ certitudo cum non tollat contingentiam rei, non sufficit ad scientiam rei.

Certitudo subjectiva, est determinatio intellectûs ad judicium aliquod sine ullâ formidine, quæ oritur vel ex experientiâ, qualem habemus circa calorem ignis: vel ex evidentiâ luminis naturalis, qualis est circa prima principia: vel ex pio quodam affectu, qualis est in nobis circa mysteria Fidei: vel ex scientiâ, qualis est circa conclusiones demonstrativas: vel denique ex pertinaciâ, qualis est in Hæreticis circa suos errores.

Certitudo formalis, est necessaria determinatio cognitionis ad veritatem: qualis est in scientiâ & fide divinâ, quæ ambæ ita sunt determinatæ ad veritatem, ut illis sub esse non possit ulla falsitas: & hæc Certitudo cognitionis potest considerari dupliciter (inquit S. Thomas 2. 2. qu. 4. art. 8.) Uno modo ex causa certitudinis, & sic dicitur esse certius illud quod habet certiorem causam. Alio modo potest considerari Certitudo ex parte subjecti, & sic dicitur esse certius, quod plenius consequitur intellectus hominis. Primo modo actus Fidei certior est actu sciẽtiæ: quia actus Fidei innititur veritati divinæ, actus autem scientiæ

entiæ humanæ rationi, quæ longè imbecillior est: secundo autem modo actus scientiæ certior actu fidei, quia obiecta scientiæ, utpote nobis proportionata, facilius percipimus.

CAPVT SECVNDVM

Utrùm Certitudo sit de essentiâ scientiæ.

CErtum est 1. Certitudinem convenire orationi logicæ, quia oratio logica convincere non posset Intellectum, nisi certa foret.

Certum est 2. scientiam esse certam, sed Quæritur utrùm certitudo sit de essentiâ scientiæ, nec-ne?

CONCLUSIO.

CErtitudo est de essentia scientiæ. Probatur. Scientia differt essentialiter ab opinione: Atqui per aliud non differt, quam per certitudinem scientis: Ergo certitudo illa est ei essentialis. Probatur minor. Si scientia differret per aliud ab opinione, quam per certitudinem sciẽtis, maximè per ordinem ad obiectum & motivum certum: Atqui non differt per hoc ab opinione: nam fieri potest ut aliquis opinativè tantùm versetur circa obiectum certum per motivum certum de quo scilicet certus non sit: Ergo scientia non differt per aliud ab opinione quam per certitudinem obiecti. Unde

Colliges scientiam triplicem exigere certitudinem, scilicet subiectivam, formalem & obiectivam: quia ut aliquis sciat, debet esse certus (en certitudo subiectiva) per actum certum (en certitudo formalis) de re certâ (en certitudo obiectiva.)

CAPVT TERTIVM,

An Scientia & Opinio simul stare possint?

DE habitibus scientiæ & opinionis non instituitur quæstio,

frigida dicitur, non quod causet frigus, sed quia non arcet, quod non impedit quominus stare possit cum calore: Ita à pari opinio dicitur incerta, non quod det dubitandi locum, sed quod non tollat, ideoque stare potest cum certitudine.

Urgebis. Non magis intellectus circa idem objectum potest esse simul certus & incertus, quàm sciens & errans: posterius fieri non potest: Ergo nec prius.

Distinguo minorem. Intellectus non potest esse simul sciens & errans circa idem objectum per idem medium, concedo: per diversa media, nego: Nam quis potest simul assentiri his duabus conclusionibus: Anima rationalis est spiritalis: Ergo est immortalis. Anima rationalis est cognoscitiva: Ergo est immortalis: in quá hypothesi haberet simul scientiam & errorem circa immortalitatem animæ rationalis per diversa media.

SECTIO TERTIA,

De evidentiâ.

TRia hic quærenda sunt. 1. Quid & quotuplex Evidentia. 2. an Evidentia sit de essentiâ scientiæ. 3. nunquid Evidentia scientiæ obstet quominus ejus actus simul stare possit in eodem intellectu cum actu fidei circa idem objectum.

CAPVT PRIMVM,

Quid & quotuplex Evidentia.

EVidentia est perspicuitas cognitionis omnem formidinem removens.

Duplex est, scilicet scientifica & experimentalis.

Evidentia scientifica, est ea quâ intellectus clarè aliquod objectum cognoscit, eo quod necessariò sequitur ex præmissis: & ea vel est consequentis, dū conclusio sequitur ex principijs lumine naturali notis, qualis est in conclusio-

Distinguo. Per idem medium, concedo: per diversa media, negari posset absolutè: diversitas enim impedit oppositionem: Attamen subdist. Opinio strictè sumpta hoc est, incerta ex parte obiecti non potest esse simul cum scientiâ, concedo: opinio in iustâ significatione sumpta, & incerta tantùm ex parte motivi, nego. Ratio disparitatis est, quod objectum incertum sit tantùm opinabile: at objectum certum, sit & scibile & opinabile.

Obijcies 2. Impossibile est ut intellectus simul dubitet & non dubitet.

Distinguo. De eodem per idem medium, concedo: per diversa media, nego: Id habet satis expresse ipse Philosophus 2. Prior. 21. Et ratio est quia in posteriori hypothesi dubitaret tantùm de connexione alterius medij cum conclusione, non autem de ipsâ conclusione, quia mediũ scientificum sua certitudine omnem dubitationis umbram amovisset.

Instabis. Repugnat intellectum simul esse certum & incertum de eodem objecto: Atqui simul esset certus & incertus de eodem objecto, si circa idem objectum simul haberet actum scientiæ & opinionis: Ergo non potest, &c.

Distinguo majorem. Eodem modo per idem medium, concedo: per diversa media, nego: Tunc enim, ut jam dixi, intellectus non esset incertus de conclusione, sed de connexione novi medij cum conclusione: sic ex hypothesi quod certus sim de existentiâ Dei per demonstrationem philosophicam, non possum esse incertus de existentiâ Dei, sed dubitare posũ, utrùm ex eo quod gentes omnes aliquod numen venerentur, certò sequatur dari Deum.

Potest etiam negari major. Neque enim existimandum est quod sicut actus scientiæ certum reddit intellectum, ita actus opinionis hoc ipso quod ex parte medij incertus sit, reddat intellectum actu incertum & dubitantem: nã, ut aît Philosophus, quidam in suâ opinione sunt certiores, quam alij in suâ scientiâ. Itaque opinio dicitur incerta eo modo, quo nuditas dicitur frigida; sicut ergo nuditas

frigida

ftio, fed de actibus: fi enim actus poffint effe fimul, multò magis habitus.

Opinio, eft actus intellectus qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius. Ex S. Thoma 1. part. qu. 79. art. 9. ad 4.

Formido feu incertitudo duplex eft, una actualis, cum aliquis actu dubitat: altera radicalis, cum aliquis licet actu non dubitet, occafionem tamen habet dubitandi, propter incertitudinem obiecti vel motivi, qualis reperitur in pertinacibus.

Conftat 1. fcientiam & opinionem fimul effe poffe in eodem intellectu circa diverfa obiecta, quia poffumus habere fcientiam de corruptibilitate mixti, & opinionem de caufa æftus maris,

Conftat 2. fcientiam & opinionem non poffe fimul effe in eodem intellectu circa idem objectum per idem motivum: quia (ut inquit Philofophus 1. Poft. 22.) perfpicuum eft fieri non poffe, ut eandem rem fimul opinetur aliquis & fciat; alioquin exiftimaret eandem rem aliter effe poffe & non poffe, quod fieri nequit.

Quæritur utrum actus fcientiæ & opinionis poffint effe fimul in eodem intellectu circa idem obiectum per diverfa media.

CONCLUSIO.

POffunt effe fimul. Probatur 1. Quia eandem conclufionem fimul cognofcere poffumus per medium neceffarium & per medium probabile.

Probatur 2. à pari Tam poteft intellectus idem obiectum fimul per diverfa media fcire & opinari, quam voluntas poteft idem obiectum per diverfa media fimul amare & odiffe: Atqui pofterius fieri poteft, poffumus enim eundem hominem amare, quia confanguineus eft, & odiffe quia fceleratus: Ergo fieri poteft & prius.

Probatur 3. ex eo quod non repugnet, ut patebit ex obiectionum folutione.

Obiicies 1. ex Philofopho 1. Poft. penultimò, Opinio & fcientia non poffunt effe fimul. Diftin-

clusionibus Philosophicis; vel tantùm consequentiæ, quãdo conclusio clarè sequitur ex principijs certis, sed obscuris, qualis est in conclusionibus theologicis.

Evidentia experimentalis, est ea, quâ intellectus aliquod objectum clarè percipit propter sensuum testimonium: Et hæc à Dæmonibus eludi potest, cum superior possit ad summum à solo Deo impediri, si nimirum fundetur in solâ necessitate physica; si enim fundetur in metaphysicâ, nequidem divinitûs falsa esse potest.

CAPVT SECVNDVM,

An Evidentia sit de essentiâ scientiæ.

COnstat primo Evidentiam convenire omni orationi logicæ, ut pote quæ definitur, Oratio veri manifestativa: Non posset autẽ verum manifestare, nisi ipsa esset manifesta.

Constat secundo, scientiam naturalem esse evidentem, ut patet ex ejus definitione. Sed Dubitatur, utrùm evidentia sit de essentia scientiæ.

CONCLUSIO.

EVidentia non est de essentiâ scientiæ. Probatur contra plerosque. Quod ad aliquid non propter se, sed propter aliud requiritur, non est de ejus essentiâ: v. g. quia temperamentum requiritur ad animal non propter se, sed propter unionem animæ cum corpore, temperamentum non est de essentiâ animalis: atqui Evidentia non requiritur propter se ad scientiam, sed propter Certitudinem, in quantum non possemus esse certi de conclusionibus naturalibus, nisi essemus certi de earum principiis, de quibus certi esse non possumus, nisi ipsa evidenter per intelligentiam cognoscamus: Unde quia per fidem divinam certi sumus sine evidentia de principijs theologicis, Theologia est scientia, licet non sit evidens: ex multis Theologis post S. Thomam qu. 1. summætheologicæ art. 2. Ergo Evidentia non est de essentiâ scientiæ. Obij-

Obiicies 1. Scientia subalternata in eo qui non habet subalternantem, v. g. Medicina in homine non physico, non est scientia: Atqui illius rei ratio afferri non potest, nisi quia in eo non habet evidentiam, ex eo quod non cognoscantur evidenter principia: Ergo Evidentia est de essentiâ scientiæ.

Nego minorem. Sed ideo Medicus, qui non est physicus, non est sciens, quia non potest esse certus de principiis suis, cum ea credat propter authoritatem humanam, quæ errori obnoxia est, & proinde dat aliquod dubitandi fundamentum: Unde si quis ea principia crederet; quia sibi forent divinitùs revelata, illius Medicina esset vera scientia: sicut Theologia est vera scientia, in mente sancti Thomæ, ut diximus: quia eius principia credimus, propter authoritatem divinam quæ certior est omni lumine naturali.

Obiicies 2. Evidentia æque ingreditur definitionem scientiæ, ac Veritas & Certitudo: cum scientia definiatur. Cognitio Vera, Certa, & Evidens: Ergo Evidentia æque est de essentiâ scientiæ ac Veritas & Certitudo.

Distinguo. Evidentia consequentiæ, concedo: consequentis, nego.

CAPUT ULTIMUM,

Utrùm simul stare possint Fides & Scientia.

Ratio dubitandi est quod actus scientiæ sit clarus, actus verò fidei obscurus, cum sit assensus alicui propositioni propter authoritatem revelantis, quæ authoritas, cum sit planè extrinseca, ei claritatem largiri non potest.

CONCLUSIO.

Illi actus possunt esse simul per diversa media.

Probatur 1. Si actus fidei stare non posset cum actu scientiæ, qui de obiectis à Deo revelatis haberet scientiam naturalem & evidentem, vix unquam posset circa ea actû fidei

fidei exercere: Falſum conſequens. Alioqui ſcientia noceret merito, & proinde deterior eſſet conditio doctorum quam ruſticorum in materiâ ſalutis: Ergo & antecedēs. Maior patet. Qui enim ſemel ſcientificè novit aliquid, vix de eo cogitare poteſt, quin circa illud eliciat actum clarum propter ſympathiam ſpecierum, de quâ egimus Tractatu ultimo primæ partis diſputatione priori cap. 2. art. 3. Ergo ſi fides ſtare non poſſet cum obiecto clarè viſo, vix unquam ille qui haberet ſcientiam naturalē de obiectis à Deo revelatis, poſſet circa ea actum fidei exercere.

Probatur 2. Non magis pugnant actus ſcientiæ & fidei, quàm ſcientiæ & opinionis: Ergo cum ſtatuerimus ſuperiori ſectione, actum ſcientiæ & opinionis ſimul ſtare poſſe in eodem intellectu circa idem obiectum per diverſa media, idem dicendum de actu ſcientiæ & fidei.

Confirmatur. Actus ſcientiæ & fidei nullo modo ſunt oppoſiti: idem dic de actu ſcientiæ & opinionis, neque in eſſentiâ propoſitionis, cum ambo poſſint eſſe affirmātes vel negantes: neque in proprietatibus propoſitionis, cum poſſint habere eandem quantitatem & qualitatem: neque in evidentiâ & inevidentiâ: nam non eſt credendum fidem reddere intellectum obſcurum poſitivè: ſed dicitur inevidens negativè, quia non reddit intellectum evidentē eo modo, quo ſuperiori ſectione diximus opinionem eſſe incertam: Ergo illi actus poſſunt eſſe ſimul.

Obiicies 1. illud vulgatum ex S. Greg. hom. 26. in Evangelia: Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimētum: Ergo actus ſcientiæ non poteſt ſtare cum actu fidei.

Diſtinguo effatum. Fides non habet meritum, &c. hoc eſt, quando credit tantùm quia ratio naturalis id probat, concedo: id eſt, quando quis ſciens aliquid lumine naturali, adhuc credit in motivo fidei, ita affectus, ut & ſi illud capere non poſſet, adhuc tamen crederet, nego. Effatum ergo eſt tantum contra eos qui nolunt credere, quod ratio humana non poteſt inveſtigare.

Obii-

Obiicies 2. Non magis scientia & fides possunt esse simul, quàm lux & tenebræ: Atqui lux & tenebræ non possunt esse simul: Ergo nec scientia & fides.

Nego paritatem: Ratio disparitatis est, quod lux & tenebræ, se habeant ut forma & privatio, & proinde simul stare non possunt: At scientia & fides sunt actiones duæ positivæ, nullo modo oppositæ.

PARS VLTIMA LOGICÆ.

De speciebus Orationis Logicæ,

HAnc partem distribuemus in duos Tractatus, in quorum priore agemus de facilioribus speciebus Orationis logicæ: In posteriore verò agemus de difficiliore, scilicet de Argumentatione.

TRACTATVS PRIMVS,

De facilioribus speciebus Orationis Logicæ.

ANtequam ad singulas species orationis logicæ descendamus, quædam dicenda sunt ipsâ in communi. Itaque huius Tractatus quatuor erunt Sectiones: quarum Prima erit de Oratione logicâ in genere: Secunda de Definitione: Tertia de Divisione: Ultima de Methodo.

SECTIO PRIMA,

De Oratione Logicâ in Genere.

ORatio logica simplici nomine caret: Periphrasticè vocatur Oratio logica, Modus differendi: & instrumentum sciendi.

Instrumentum sciendi sumitur tribus modis. 1. latè pro eo omni quod confert ad scientiam, quomodo sensus, libri

& præceptores sunt instrumenta sciendi. 2. propriè pro eâ oratione logica quæ vim habet manifestandi veritatem. 3. strictè pro eâ oratione quæ parit scientiam discursivâ, vocaturque Demonstratio. Primus significatus latior est quàm par sit: Tertius angustior: Secundus proprius, & hujus loci.

Logicam subministrare debere instrumenta sciendi patet: quia omnis disciplina practica organica debet procurare instrumenta per se sufficientia ad illius disciplinæ finem extrinsecum consequendum, ut patet in fabrefactoriâ: Atqui Logica est disciplina organica, cujus finis extrinsecus, est acquisitio scientiæ ut diximus in Prologomenis: Ergo Logica suppeditare debet instrumenta acquirendæ scientiæ, seu instrumenta sciendi.

Instrumenta sciendi, seu Oratio Logica definitur, Oratio quæ vi sua veritatem reddit clariorem, nosque in eâ assequendâ certiores: vel Oratio quæ vim habet ex se manifestandi veritatem & convincendi Intellectum: vel, Oratio in qua ignotum aut minus notum per per notius innotescit.

CONCLUSIO.

QUatuor sunt instrumenta sciendi. Probatur 1. Tot sunt instrumenta sciendi quod orationes quæ vim habent ex se manifestandi veritatem: Atqui quatuor sunt ejusmodi, scilicet, Definitio, Divisio, Argumentatio, & Methodus, quæ vim habent manifestandi veritatem. Definitio enim manifestat essentiam objecti: Dvisio partes objecti palam facit: Argumentatio probat proprietates: Methodus autem integram scientiam in ordinem rectum digerendo, veritati non parum luminis affert: Ergo sunt quatuor instrumenta sciendi.

Probatur 2. Tot sunt instrumenta sciendi quot sunt cognitiones necessariæ, ut aliquis habeat perfectam scientiã: Atqui quatuor sunt ejusmodi cognitiones: scilicet Cognitio essentiæ objecti scibilis: Cognitio pârtium ejus: Cognitio ejus proprietatum: & Cognitio totius ordinis in

illâ scientiâ servandi. His enim cognitis perfectè possidetur scientia: si autem aliqua ex illis cognitionibus desit, scientia est imperfecta: Ergo quatuor sunt instrumenta sciendi, scilicet Definitio, Divisio, Argumentatio, & Methodus.

Objicies 1. Sola Demonstratio est instrumentum: Ergo non sunt quatuor instrumenta sciendi.

Distinguo antecedens. Sola Demonstratio est instrumentum sciendi, strictè, hoc est certò & evidenter cognoscendi res necessarias per causas, concedo: sola Demonstratio est instrumentum sciendi propriè, hoc est cognoscẽdi certò & evidenter aliquam veritatem, nego. Hinc Philosophus Poster. 12. docet definitionem esse quandam demonstrationem essentiæ: & cap. 3. docet aliquem scire posse per solam definitionem.

Instabis Oratio logica debet minus notum per notius manifestare: Atqui sola Demonstratio potest minus notũ per notius manifstare: Ergo sola dedemonstratio est oratio logica.

Distinguo minorem. Sola demonstratio potest minus notum per notius manifestare, discursivè, concedo: apprehensivè aut judicativè, nego. Nam definitio hominis v. g. hominem minus notum reddit notiorem apprehensivè per genus & differentiam: Divisio totum minus notum reddit notius apprehensivè per partes: Methodus omnes veritates alicujus scientiæ minus notas reddit notiores judicativè per ordinem.

Objicies 2 Logica docendo modum definiendi, dividendi, & argumentandi, dat regulas methodi: Ergo methodus non est quarta oratio logica.

Distinguo antecedens. Logica docendo modum definiendi, dividendi, & argumentandi dat regulas methodi particularis, scilicet, definitionis, divisionis, & argumentationis, concedo: methodi generalis, hoc est alicujus scientiæ integræ digerendæ, nego: Sicut enim in Architecturâ, ita in scientiâ, aliud est singulas elaborare partes aliud

aliud easdē in unū integrū corpus dirigere. Quamvis ergo Logica agendo de definitione, divisione, & argumentatione det methodum particularem definiendi, dividendi, & argumentādi, debet adhuc alio in loco tradere plura præcepta, plures definitiones, divisiones & argumentationes disponendi: quæ præcepta nisi serventur, sermo qui de re quapiam instituetur, non erit scientia, sed chaos indigestaque moles.

Objicies 3. Methodus non est quarta mentis operatio: Ergo nec quarta oratio logica.

Nego paritatem: Quia Methodus non est quartꝰ modus intelligendi: At est quartus manifestandi veritatem.

Quæres 1. ad quas mentis operationes reducendæ sint singulæ orationes logicæ.

Certum est Argumentationem pertinere ad tertiam mentis operationem.

Diximus etiam primâ parte Tract. 3. disp. superiori cap. 1. Methodum commodè revocari ad secundam mentis operationem.

Itaque tantum est difficultas de definitione & divisione, utrùm pertineant ad primam vel ad secundam mentis operationem.

Respondeo definitionem & divisionem pertinere ad pimam mentis operationem: definitio enim est ipsa res definita, sed pluribus & clarioribus expressa verbis: divisio verò est distincta apprehensio partium sine nexu conceptarum: unde hæc oratio: Animal est homo vel brutum, non est divisio, sed propositio in quâ divisio prædicatur de diviso: sicut ista, homo est animal rationale, non est definitio: sed propositio in qua definitio prædicatur de definito. Hinc Philosophus lib de Interpr. cap. 3. docet hominis definitionem non esse enuntiationem nisi adhibeatur verbum substantivum. Similia habet 1. Post. 8. Nam (inquit 2. Post. 3.) in definitione nihil prædicatur de altero.

Quæres 2. Quænam sit nobilissima omnium orationū logicarum?

Respondeo esse definitionem : tum quia certior est, nec alterius certitudini innititur : imò illi innituntur potissimæ demonstrationes, ut dicemus infra : tum Quia sola habet quod explicat naturam seu essentiam rei, quæ est objectum omnium nobilissimum : tum quia magis accedit ad cognitionem perfectissimam, scilicet ad cognitionẽ intuitivam, divinam & Angelicam.

Dices. Pars est ignobilior toto : Atqui definitio est pars demonstrationis : Ergo est eâ ignobilior.

Distinguo minorem. Definitio est pars demonstrationis adæquatè sumptæ pro eo omni quod in demonstratione includitur, concedo. Definitio est pars demonstrationis formaliter sumpta pro sola conclusione ut sic, nego. Distinguo consequens. Ergo definitio est ignobilior demonstratione adæquate sumpta, concedo. Ergo definitio est ignobilior demonstratione formaliter sumpta, nego. Si hæc solutio minus placeat ;

Distinguo majorem. Pars est ignobilior toto, quoad entitatem, quia minus habet entitatis, concedo : quoad ordinem, nego : sic quoad ordinem anima rationalis est nobilior homine, quia est spiritualis, licet minus habeat entitatis : unde etiam modus operandi animæ rationalis ut sic nobilior est modo operandi hominis. Ita à pari fateor definitionem minus habere entitatis, quàm habeat demonstratio : at contendo eam propiùs accedere ad cognitionem divinam & angelicam, quàm accedat demonstratio, & proinde superioris esse ordinis, cum demõstratio sit tantùm operatio hominis ut sic.

SECTIO SECUNDA,
De Definitione.

QUid & quotuplex sit definitio, diximus in Compendio, ubi etiam tradidimus præcepta ejus generalia, scilicet

1. Definitio debet esse clarior definito : quia definitio debet explicare naturam rei : quod præstare non posset,

nisi

nisi esset clarior re ipsâ, nam obscura obscuris efferre, est in tenebras extinctam lucem inferre, inquit S. Augustin9 principiorum Dialecticæ cap. 8.

2. Definitio debet reciprocari cum definito: Natura enim cujuscũque rei, nec latiùs nec strictiùs patet illa re.

3 Definitio debet esse brevis: attamen ne brevitas obscuritatem pariat, Definitio pluribus terminis constare debet quàm definitum, quia constare debet genere & differentia.

4 Nihil debet deesse aut redũdare in definitione. Quod Præceptum est omnium observatu difficillimum, quia vix ac ne vix quidem possumus uniuscujusque rei differentias invenire.

Illud deficit in definitione, sine quo natura adæquatè non concipitur: hinc manca est hæc definitio, Grammatica est disciplina scribendi: Addi enim debet, & legendi: ex 6. Top. 3.

Illud est redundans in definitione, quo sublato, id quod restat, adhuc bene naturam rei explicat: ex 6, Top. 2. Sic si quis definiat refrigerationem, Privationem caloris naturaliter debiti, redundabunt ultimæ particulæ, ex Aristotele ibidem: quia illis sublatis satis intelligetur essentia refrigerationis, cum omnis privatio propriè dicta sit formæ naturaliter debitæ.

Optimæ omnium definitiones sunt, quæ constant genere proximo, & differentiâ propriâ.

De genere in definitione ponendo non magna est difficultas: unde de illo duæ tantùm traduntur regulæ.

Prior: Genus debet expresse poni in definitione. Hinc vitiosæ sunt illæ definitiones in quibus pro genere ponitur, est id quod: v. g. Solidum est illud quod habet tres dimensiones. Homo est illud quod novit numerare: Sed dicendum est: Solidum est magnitudo tres habens dimensiones: homo est animal numerativũ. Ex 6. Top. 3.

Posterior: Genus uniuscujusque rei detegitur ex divisione ejus Categoriæ, in qua res illa ponitur, dividendo il-

lud genus categoricum, usque dum ad rem definiendam factus fuerit descensus. Sed operosissimum est uniuscujusque rei differentiam assignare: tum quia sæpe difficile est accidentalia discernere ab essentialibus: tum quia multa sunt communia quæ propia existimantur, eo quod ignorentur aliæ res quibus competant: tum denique quia plerumque latent differentiæ rerum, eo quod omnia ferè sensibus natura subduxerit.

Attamen ad differentias reperiendas multum conducũt sequentes regulæ.

Prima: Differentia substãtiæ sumitur à radice proprietatis aut operationis reciprocæ (si quæ sit:) ut cum homo definitur animal rationale: vel à radicibus plurium proprietatum aut operationum, quæ simul sumptæ reciprocentur, si nulla seorsim sit reciproca, ut cum ignis definitur, Elementum calidum siccum.

Secunda: Differentiæ omnium formarum peti possunt ab effectibus formalibus, quos illæ formæ tribuunt suis subjectis: sic quantitas definitur, Accidens extensivum substãtiæ materialis: Albedo, calor disgregativus visûs: Viror, color recreativus visûs.

Tertia: Differentia accidentis affectantis aliquod speciale subjectum, desumitur ab ordine ad illud objectum: Sic simitas dicitur, curvitas nasi: tempus, duratio motûs. Omnia abstracta accidentalia eodẽ modo definiri possunt, ex S. Thoma.

Quarta: Differentia concreti accidentalis sumitur à formâ, sicut genus à subjecto, ut diximus explicando definitionem Universalis: sic simum dicitur, nasus curvus: & omne concretum resolvitur per ly habens, vel terminans. Per habens, si innuat denominationem intrinsecam: per terminans verò si innuat extrinsecam. v. g. videns, habens visionem: visum terminans visionem.

Quinta: Differentiæ potentiarum, habituum & actuũ desumuntur à relatione transcendentali ad objecta. Hinc vulgata illa effata: Potentiæ specificantur ab objectis:

Habitus

Habitus specificantur ab objectis: Actus specificantur ab objectis.

Sexta: Differentiæ mutationum & motuum sumuntur à duobus terminis, scilicet à termino à quo, & à termino ad quem. Hinc creatio definitur, Productio entis ex nihilo: generatio physica, Productio totius ex materiâ: eductio, productio formæ ex subjecto: ascensus, motus localis ab inferiori loco ad superiorem.

Septima: Differentiæ relativorum petuntur à connotatione terminorum. Nam ex 6. Top. 3. Relativorum relativæ sunt differentiæ: v. g. materia definitur, subjectum formarum; forma substantialis, actus primarius materiæ.

Octava: Differentiæ instrumentorum desumuntur ab operationibus quibus inserviunt. v. g. terebrum bene definitur, Instrumentum perforandi circulariter: oculus organum videndi, ala organum volandi: radius textorius, Instrumentum fila disterminandi: nomen, instrumentum docendi, & cujuscunque rei naturam distinguendi: Ex Platone in Cratilo.

Ultima: Differentiæ privationum desumuntur à formis oppositis & subjectis. Ex 6. Top. 5. sic mors definitur, privatio vitæ in corpore prius animato: silentium, privatio soni in aere: cæcitas; privatio visûs in oculis: ignorantia, privatio scientiæ in ratione, &c.

Facillima methodus definiendi docetur ab Aristotele 2. Post. 14. hoc modo.

Res definienda, comparanda est cum illis naturis quæ ad eam propiùs accedunt, & videndum est quid illi sit cum ejusmodi rebus commune, quid ab illis speciale: Primum, erit Genus: Secundum, Differentia. V. g. si mihi definiendus est equus, comparo equum cum asino, camelo, &c. & video equum id habere cum illis, quod sit bellua: id verò habere speciale & distinctivum ab illis, quod hinniat: Unde dicam, Equus est bellua hinnitiva.

SECTIO TERTIA.

De Divisione.

QUid & quotuplex sit Divisio repetendum est ex Compendio.

Quatuor sunt Divisionis regulæ.

Prima : Divisio commensurari debet diviso : hoc est, membra divisionis collectivè sumpta, æquè pateant ac totum divisum : distributivè sumpta, minus pateant : quia totum majus quidem est suâ parte, non tamen suis omnibus partibus simul sumptis.

Secunda : Membra dividentia debent esse opposita : id est, unum non debet includi in alio : cujus conditionis defectu, vitiosa foret divisio animalis in hominem, brutum & piscem : quia piscis includitur in bruto.

Tertia : Membra dividentia debent esse immediata : id est, Divisio absolvi debet duobus membris, quantùm cōmodè fieri potest : commodè, inquam : quia in practicis nihil est immutandum.

Quarta : Membra dividentia positivè exprimi debent quantùm fieri potest.

Duæ priores regulæ ad quamlibet divisionem requirūtur : posteriores verò tantùm ad accuratam : quia dantur multæ divisiones mediatæ satis commodæ : ut divisio entis categorici in decem Categorias : divisio Universalis in quinque universalia : divisio oppositorum in quatuor mēbra &c. Dantur quoque divisiones, quarum alterutrum membrum brevitatis ergò, negativè exprimitur, ut cum ens dividitur in dependens & independens, substantia in materialem & inmaterialem.

SECTIO ULTIMA,

De Methodo,

MEthodus, est oratio logica dirigens sciētiam justæ magnitudinis in debitum ordinem.

Duplex est, scilicet inventiva & dispositiva.

Metho-

Methodus inventiva eſt ea quæ inſervit ad ſcientias marte proprio acquirendas, in quo quinque maximè vijs utimur.

1. Similitudine & analogiâ: ſimilium enim ſimilis eſt ratio: & ſi ſimilitudinē & analogiam à ſcientijs ſuſtuleris, actum eſt de ipſis. Analogia tamen ſuadet potius quam perſuadeat: quia (ut ajunt) omnis comparatio claudicat, hoc eſt, in qualibet paritate occurrit quædam diſparitas, alioquin non eſſet paritas, ſed identitas.

2. Diſſimilitudine: argumentamur enim interdum à diſſimili & contrario: Hinc illa effata: Diſſimilium diſſimilis eſt ratio: Contrariorum contraria eſt ratio.

3. Analyſi, ſeu reſolutione: quia totum in partes diſſolvitur. Tam enim exiguus eſt ingenij noſtri captus, ut totum perfectè concipere non poſſumus, niſi ſingulas partes ſeorſim conſideremus.

4. Syntheſi, ſeu compoſitione, quâ partes revocantur ad totum, ut earum reciproca munia cognoſcantur.

5. Denique, Teſtimonio: quia ad veritatis indaginem, nos non mediocriter impellit illuſtrium virorum authoritas.

Methodus diſpoſitiva eſt ea quâ partes alicujus diſciplinæ jam inventæ rectè ordinantur.

Duplex eſt, ſcilicet, Methodus prudentiæ, & Methodus artis.

Methodus prudentiæ eſt ea qua quis ex propriâ ingenij acie utitur ad propoſitum finem conſequendum, & illa varia eſt apud varios homines, ſicut diverſus ſtylus & diverſa ſcriptura.

Methodus artis eſt ea quæ eſt ſecundùm regulas communes.

Omnis Methodus artis à generalioribus ad ſpecialiora progredi debet; quia hic ordo eſt intelligentiæ & memoriæ accommodatior: Intelligentiæ quidem, quia univerſalia per naturam nobis notiora ſunt ſingularibus: Memoriæ verò, quia brevior eſt: nam ſi quis à ſpecialioribus

procederet ad generaliora, in perpetuam incideret tautologiam: opus enim foret ut generaliora nondum explicata sæpius repeteret, ut innuit Philosophus 1. de partibus anim. 1.

Methodus artis duplex est, scilicet syntetica seu compositionis, & analytica seu resolutionis.

Methodus syntetica est ea quæ à principiis, partibus, & simplicioribus procedit ad principiatum, totum & compositum, qualem observavit Philosophus in Physicis.

Methodus analytica est ea, quæ à principiato, toto & magis composito, procedit ad simpliciora, ut observavit Philosophus in Ethicis ad Nicomachum.

Methodus syntetica servari solet in disciplinis speculativis: Analytica verò in practicis. Ratio est, quia cum disciplinæ speculativæ sint tantùm discursivæ, non autem operativæ, à notioribus & prioribus procedere debent ad minus nota, & proinde à principijs ad principiatum: cum verò disciplinæ practicæ, præsertim si non sint demonstrativæ, propter solum opus expetantur, operæ pretium est, ut à notitiâ operis in illis ducatur initium, aliàs tota tractatio vana esset, & incertum foret quâ de re ageretur. Sic in arte ædificandi, 1. de fine ejus seu de æde cogitandum est: deinde à fine ad principia, scilicet ad fundamentum, parietes & tecta transeundum est: ab ijs tandem ad lapides, cæmenta, ligna & lateres progrediendum est, quæ sunt prima & remotissima illius artis elementa, in quibus ars docens desinit, & utens incipit.

TRACTATVS POSTREMVS,

De Argumentatione.

ARgumentatio sic dicitur, quia in ea reperitur argumentum, hoc est medium arguens mentem, eique ostendens prædicatum conclusionis inesse, vel non inesse subjecto.

Argu-

Argumentatio oritur ex imbecillitate intellectûs humani, qui cum multas veritate simplici intuitu penetrare nequeat, ab una ad aliam veluti discurrendo se promovet, unde etiam vulgò dicitur Discursus.

De genere Argumẽtationis, omnibusq; ejus speciebus diximus in Compendio: hîc tantùm agendum est de præcipuâ Argumentationis specie, puta de Syllogismo: quia revera nulla vera est inferendi vis, nisi in Syllogismo, cæteræ enim argumentationes eatenus tantum concludunt, quatenus ad syllogismum reduci possunt.

De Entymemate satis manifestum est. quia omne Entymema syllogismus est in mente. Neque enim dari potest simplex Entymema mentale, quia intellectus non potest assentiri conclusioni, quin viderit connexionem medij cum extremis, quod fieri non potest sine syllogismo. Hinc Philosophus 1. Rhetoric. 2. Entymema vocat syllogismum rhetoricum, unde etiam sic dicitur, quia alterutra ejus præmissa in animo retinetur.

Dilemma nihil aliud est, quàm disjunctiva complexio duorum Entymematum, quod proinde non concludit, nisi ad duos syllogismos revocetur, ut patet in hoc Dilemmate.

Iratus vel est placabilis vel implacabilis:
Si placabilis, ostendit inconstantiam:
Si implacabilis, ostendit crudelitatem.
Ergo nullus debet irasci.

Hujus dilemmatis vis non patet; nisi sic reducatur.

Si quis posset justè irasci, vel irâ placabili, vel implacabili
Neutrum dici potest.

Non primum, quia,

Nullus debet ostendere inconstantiam:
Atqui qui irasci irâ placabili, ostendit inconstantiam:
Ergo nullus irasci debet irâ placabili.

Non ſecundum, quia,

Qui iraſcitur irâ implacabili oſtendit crudelitatem:

Atqui nemo debet oſtendere crudelitatem:

Ergo nemo debet iraſci irâ implacabili.

Gradatio ſeu Sorites eſt complexio multorum entymematum, proindeque revocatur ad multos ſyllogiſmos.

Exemplum non probat etiam niſi reducatur ad ſyllogiſmum: unde hoc exemplum

Deus pepercit Davidi pœnitenti.

Ergo & tibi pœnitenti parcet

Non probat niſi ſic intelligatur,

Eodem modo judicandum eſt de omnibus verè pœnitentibus ac de Davide:

Atqui Deus pepercit Davidi verè pœnitenti:

Ergo omnibus verè pœnitentibus parcet & proinde tibi.

Inductio etiam non probat niſi revocetur ad ſyllogiſmum, ut patet in hâc inductione.

Ignis Gallicus eſt calidus:

Ignis Italus eſt calidus:

Ignis Angelus eſt calidus, &c.

Ergo omnis ignis eſt calidus

Quæ nullam habet vim niſi ſic intelligatur.

Qualia ſunt omnia inferiora, tale eſt ſuperius:

Atqui omnia inferiora ignis ſunt calida:

Ergo omnis ignis eſt calidus.

Unde etiam Philoſophus ſequentibus libris egit tantùm ex profeſſo de Syllogiſmo, ut patebit ſequenti præfatione.

Optimè tamen monet 2. Prior. 23. propoſitiones obſcuras probandas eſſe Syllogiſmo, claras verò Introductione.

IN CÆTEROS LIBROS ORGANI ARISTOTELIS.

PRÆFATIO.

ARistoteles quæ pertinent ad Syllogiſmum quadruplici genere librorum complexus eſt: nimirum explicuit Syllogiſmũ in communi in duobus prioribus Analyticis: Syllogiſmum demonſtrativum in duobus poſterioribus Analyticis: probabilem in octo Topicis: ſophiſticum in duobus Elenchis. Quos libros nullus dubitat eſſe Philoſophi.

Priores quatuor libros vocat Analyticos, id eſt, Reſolutorios: quia ſyllogiſmum reducunt ad principia ex quibus coaleſcit.

Duplex porro conſiderari poteſt reſolutio ſyllogiſmi, una materiæ, altera formæ.

Reſolutio materiæ eſt ea quâ ſyllogiſmus reducitur ad axiomata & principia ex quibus neceſſariò ſequitur concluſio neceſſitate materiæ.

Reſolutio formæ eſt ea quâ ſyllogiſmus reducitur ad principia artificioſa, ex quibus neceſſariò ſequitur concluſio neceſſitate formæ ſeu conſequentiæ, v. g. ad figuras & modos.

Unde libri Analytici debent agere de illâ duplici reſolutione. Priores agunt de reſolutione ex parte formæ; poſteriores verò ex parte materiæ.

Iſti libri tam agunt de Geneſi, Syntheſi, & conſtructione ſyllogiſmi, quàm de ejus analyſi & reſolutione: nomen tamen à reſolutione mutuati ſunt, quia quivis homo componere poteſt ſyllogiſmũ: ſolus Logicus poteſt eum in ſua principia reducere propter difficultatem artis.

Duo priores Analytici agunt de ſyllogiſmo in genere: Unde etiam à Philoſopho 1. Poſt. 3. de Syllogiſmo nuncupantur: brevitatis tamen causâ vulgò vocantur Priores.

Duo

Duo postremi. qui absolutè vocantur Posteriores agunt de syllogismo demonstrativo, unde à quibusdam, etiam Aristotelis interpretibus, vocantur de Demonstratione.

Octo libri Topicorum agunt de syllogismo topico seu probabili. Ita inscribuntur, quia continent locos è quibus erui possunt argumenta probabilia.

Duo libri Elenchorum seu reprehensionum tractant de syllogismo sophistico Sic vocantur, quia potius agunt de syllogismo captioso reprehendendo, quàm de eo componendo.

Nos verò, quia de syllogismo sophistico in Compendio satis diximus, ideo hunc tractatum in tres tantùm Disputationes partiemur: in quarum Primâ agemus de Syllogismo in genere in duos priores Analyticos: in Secundâ de Syllogismo demonstrativo in duos posteriores Analyticos: in Tertiâ denique de Syllogismo topico in octo libros Topicorum.

DISPVTATIO PRIMA, DE SYLLOGISMO IN GENERE.

In duos priores Analyticos.

HUjus Disputationis tria tantùm erunt capita, quia satis egimus in Compēdio de Syllogismi affectionibus, quæ nihil aliud sunt quàm veritates, seu, ut loquuntur, potestates syllogysmorum, de quibus satis diximus ibidem.

CAPVT PRIMVM, De nomine, notione, existentiá & definitione Syllogismi.

SYllogismus sic dicitur, quia est veluti mentalis consermocinatio: derivatur enim à propositione græcâ, quæ significat cum, & à nomine quod significat sermonem seu sermocinationem.

Syllo-

Syllogismus concipitur ratio rationali seu humano modo colloquendi.

Dari Syllogismum, patet ex quotidianis disputationibus.

CAPVT SECVNDVM,

De principijs Syllogismi.

OMittimus causas externas Syllogismi, scilicet efficientem quæ est ratio humana, & finalem quæ est notitia veritatis.

Agimus tantùm de ejus definitione & de illius principijs artificialibus.

ARTICULUS PRIOR,

De definitione Syllogismi.

SYllogismus definitur à Philosopho 7. cap. priorum Topicorum & Elench. Oratio in qua quibusdam positis, necesse est aliquid sequi ex eo quod hæc sint: id est, Oratio logica in quâ concessis præmissis, necesse est sequi conclusionem, ex eo quod præmissæ sint concessæ. Necesse, inquam, necessitate consequentiæ petitâ à formâ syllogisticâ propter connexionem conclusionis cum præmissis: non autem necessitate consequentis petitâ à materiâ: Ratione cujus definitionis, quatuor quæruntur.

1. Quæritur utrùm concessis præmissis & positâ bonâ formâ syllogisticâ intellectus necessitetur ad assentiendũ conclusioni. Cui quæstioni ut fiat satis.

Distingue diligenter duplicem necessitatem, scilicet specificationis & exercitij.

Necessitas specificationis est ea quâ facultas necessitatur ad certam speciem actûs ex hypothesi quod agat. Sic voluntas nostra necessitatur ad beatitudinem in communi, quia posito quod circa beatitudinem in communi agat, non potest quin illam amet.

Necessi-

Necessitas exercitij est ea quâ facultas necessitatur ad agendum hic & nunc, ita ut non possit abstinere ab actu. Hoc modo necessitari beatos ad amandum Deum, docebimus in Ethicis. His positis, ad propositam quæstionem.

Respondeo affirmativè: quia potentia non libera positis omnibus ad agendum prærequisitis necessitatur ad actum tum necessitate specificationis, tum necessitate exercitij: Atqui Intellectus est potentia non libera, ut probabimus in Moralibus, & concessis præmissis, positâque bonâ formâ syllogisticâ, posita sunt omnia prærequisita ad concludendum: Ergo in tali hypothesi Intellectus necessitatur ad concludendum tum necessitate exercitij, tum necessitate specificationis.

2. Quæritur utrùm præmissæ sint causæ conclusionis?

Respondeo affirmativè: Quia quod determinat Intellectum ad concludendum, est causa conclusionis: Atqui præmissæ determinant Intellectum ad concludendum, ut patet ex superiori responsione: Ergo præmissæ sunt causæ conclusionis.

3. Quæritur an præmissæ sint causæ morales vel physicæ conclusionis?

Respondeo Præmissas esse tantùm causas morales conclusionis, quia quod simul cum agente physico concurrit tantùm veluti applicativè, causa est duntaxat moralis effectus ab illo agente producti: Atqui præmissæ cum intellectu concurrunt tantùm veluti applicativè ad assensum conclusionis veritatem conclusionis, intellectui sistentes præsentem: Ergo præmissæ sunt tantùm causæ morales conclusionis. Adde quod (& id diligenter nota) una actio nunquam sit causa physica alterius, sed moralis tantùm, ut patet inductione.

Ultimo quæritur, utrùm conclusio sit aliud à syllogismo, vel sit pars ejus. Ut respondeas,

Nota syllogismum sumi posse tribus modis. 1. integraliter, pro eo omni, quod in syllogismo continetur. 2. formaliter, pro tertiâ mentis operatione præcisè ut est discursus.

sus. 3. causaliter, prout est instrumentum sciendi deducens nos in cognitionem alterius, puta conclusionis. His positis.

Respondeo 1. Conclusionem esse partem syllogismi integraliter sumpti.

Probatur facilè. Syllogismus integraliter sumptus includit conclusionem & præmissas: Ergo conclusio est pars syllogismi integraliter sumpti.

Respondeo 2. Conclusionem non esse partem syllogismi formaliter sumpti, sed ejus essentiam: Essentia enim tertiæ mentis operationis consistit in conclusione, hoc est in judicio consequentis, ut consequens est, ut diximus titulo ultimo primæ partis.

Respondeo 3 Conclusionem non esse partem syllogismi causaliter sumpti: quia syllogismus est causa conclusionis, ut pote cum syllogismus est causa conclusionis, ut pote cum syllogismus ut instrumentum sciendi, nos deducit in notitiam conclusionis.

ARTICULUS POSTERIOR,

De Principiis artificialibus Syllogismi.

PRincipia artificialia syllogismi duplicis sunt generis, interna scilicet, & externa, ideoque de illis duobus paragraphis dicendum.

PARAGRAPHUS PRIOR,

De Principiis internis syllogismi.

PRincipia interna syllogismi, sicut cujuslibet alterius artefacti, duo sunt, scilicet materia & forma.

PUNCTUM PRIUS,

De Materia Syllogistica.

MAteria syllogismi duplex est, scilicet remota, puta termini, & proxima, puta propositiones.

De propositionibus satis diximus in Compendio: quædam dicenda supersunt de terminis. Repe-

Repete ex Compendio in quovis syllogismo tres reperiri terminos scilicet, Majorem, Minorem & Medium: Ex 1. Prior. cap. 24.

Majoris & Minoris termini nulla est inventio, eò quod in quæstione probandà vel impugnandâ contineantur.

Sed maxima est difficultas in inveniendo Medio: unde magna opus est ingenij acie, ut media facile inveniantur ad quamlibet quæstionem probandam idonea. Cum tamē Logicæ sit dirigere intellectum ad constructionem syllogismorum: quoddam artificium excogitatum est à Dialecticis inveniendi Medium, certè intricatissimum, ut patet ex ipsâ inscriptione, quæ est, De inventione Medij, seu de ponte Asinorum.

Modus inveniendi Medij vulgò pons asinorum vocatur: non quod asini per eum transeant, sed quod ab eo ita deterreantur, ut nequidem velint ingredi: Transeamus nos.

Invenire Medium, est reperire teminum, qui cum duobus extremis dispositus in figurâ & modo, sillogismum efficiat & propositam quæstionem probet: quod ut fiat,

Notandum 1. quæstionem probandam esse quadruplicem, scilicet, A, E, I, O, & medium probans A, probare I: sicut medium probans E, probare O: generalis enim propositio includit particularem: namque

Si omnis homo sit animal; aliquis homo est animal: &c. si nullus homo est avis; aliquis homo non est avis.

Notandum 2. unum terminum in syllogismo respectu alterius esse posse, vel antecedentem, vel consequentem, vel extraneum seu repugnantem.

Terminus antecedens est ille ex quo alius infertur, qualis est homo respectu animalis.

Terminus consequens est ille, qui ex alio rectè infertur, ut animal respectu hominis.

Porro termini reciproci habent ad se invicem mutuam rationem antecedentis & consequentis, quia ex se invicem inferri possunt.

Terminus extraneus seu repugnans, est ille qui univer-

saliter

ſaliter poteſt negari de altero, ut avis reſpectu hominis.

His præmiſſis explicandum eſt artificium logicum inveniendi Medij, quod continetur verſibus ſequentibus.

Fecana cageti dafenes, hebare, gedaco:
Gebali ſtant, ſed non ſtant febas, bedas & becas.

Quos ut intelligas, adverte in illis artificioſis verſibus, duplicis generis litteras eſſe obſervandas, ſcilicet finales vocales vocum triſyllabarum, & alias.

Literæ finales vocales vocum triſſyllabarum quatuor ſunt, a, e, i, o, quæ oſtendunt ad quam quæſtionem ſeu concluſionem probandam inſerviat aliquod vocabulum triſyllabum, ſcilicet, quod fecana inſerviat ad probandum A: dafenes & hebare ad probandum E: Cageti & Gebali ad probandum I. Gedaco ad probandum O.

Litteræ non finales obſervandæ octo tantum ſunt: A, B, C, D, E, F, G, H, duæ ſcilicet vocales & ſex conſonantes. Duæ vocales A, & E, in primâ aut ſecundâ ſyllabâ oſtendunt duo extrema quæſtionis probandæ: Sex conſonantes, quarum duæ ſunt in ſingulis vocabulis, oſtendunt quale valeat aut non valeat Medium: ita ut tres priores conſonantes pertineant ad A, ſeu prædicatum: tres poſteriores ad E, ſeu ad ſubjectum quæſtionis, adeo ut B, denotet terminum conſequentem reſpectu prædicati, C, antecedentem, D, extraneum; F, terminum conſequentē reſpectu ſubjecti, G, antecedentem, H, extraneus, juxta hos verſus,

Prædicat A, B ſequitur, C præit, D manet extra:
E ſubit F ſequitur, G præit H manet extra.

Senſus ergo priorum verſuum reducitur ad ſex regulas inveniendi medij prioribus vocabulis expreſſas.

Prima regula, Fecana, id eſt ut probatur A, ſumatur Medium conſequens Subjecti & antecedens prædicati, ut patet in hoc ſyllogiſmo in

Bar

Bar Omne animal est vivens:
ba Omnis homo est animal:
ra Ergo omnis homo est vivens

Secunda, Cageti: id est ut probetur I in tertiâ figurâ (nam ut probetur in Darij, utendum est eodem artificio, ac supra in barbara) sumatur Medium antecedens respectu prædicati & subjecti, ut patet in

Da Omnis Temperantia est laudanda:
rap Omnis temperantia est virtus:
ti Ergo quædam virtus est laudanda.

Tertia, Dasenes: id est, ut probetur E in Celarent & Cesare, sumatur Medium repugnans prædicato, & consequens subjecti, ut patet in sequentibus.

Ce Nullus piscis est avis:
la Omnis sulmo est piscis:
rent Ergo nullus sulmo est avis.
Ce Nullus piscis est avis:
sa Omnis perdix est avis:
re Ergo nulla perdix est piscis.

Quarta, hebare, id est ut E in Celantes & Camestres, sumatur Medium repugnans subjecto & consequens prædicati, ut patet in sequentibus syllogismis.

Ce Nulla avis est sulmo:
lan Omnis perdix est avis:
tes Ergo nullus sulmo est perdix.
Ca Omnis perdix est avis:
mes Nullus sulmo est avis:
tres Ergo nullus sulmo est perdix.

Quinta, Gedaco: id est ut probetur O in tertiâ figura & in Fapesmo (nam in Ferio, Frisesom, & Festino observatur idem artificium ac in Dasenes, in Baraco idem ac in Hebare) sumatur Medium antecedens subjecti & repugnans prædicato, ut patet in his syllogismis. Fe

Fe *Nullus salmo est perdix;*
lap *Omnis salmo est animal;*
ton *Ergo quoddam animal non est perdix.*
Fa *Omne hinnitivum est quadrupes;*
pes *Nulla avis est hinnitiva:*
mo *Ergo quoddam quadrupes non est avis.*

Ultima, Gebali: id est ut probetur I indirectè, sumatur Medium antecedens subjecti & consequens prædicati, ut patet in

Ba *Omne sensitivum est vivens:*
ra *Omnis homo est sensitivus:*
lip *Ergo aliquod vivens est homo*

Quæ regulæ optimè explicantur ex S. Thoma opusculo 50.

Tria postrema vocabula duabus duntaxat constantia syllabis indicant media ad concludendum inepta: namque.

Febas ostendit Medium consequens respectu utriusque extremi non valere: nam syllogismus inde exurgens necessariò foret secundæ figuræ, cum Medium utpotè consequens respectu utriusque bis prædicaretur affirmativè: At in secundâ figurâ alterutra præmissa debet esse negans ut demonstrabitur infra.

Hedas ostendit Medium repugnans utrique extremo nihil valere: quia utraque præmissa deberet esset negans, & ex puris negativis nihil concluditur ut patebit infra.

Hecas ostendit Medium repugnans subjecto & antecedens prædicatum, nihil valere, (saltem in modis directis) quia in primâ directâ & tertiâ figurâ, minor esset negans contra speciales leges syllogismorum infra demonstrandas: In modis autem indirectis primæ figuræ, Medium prædicatur in minore de attributo, proindeque illud non antecedit sed consequitur: in secundâ verò figurâ major esset particularis eo quod medium antecedens & inferius,

in ea

in eâ prædicaratur de superiori quod est contra primam regulam secundæ figuræ.

Verùm, quia illæ regulæ sunt valdè implicatæ, en facilior ratio investigandi Medium, ex 1. Prior. 28.

Si proponatur conclusio affirmans probanda, quærenda est causa propter quam prædicatum conveniat subjecto: si causa non occurrat, quærendum est aliquod certũ & necessarium signum connexionis prædicati cum subjecto. Si verò probanda sit conclusio negans, quærenda est causa prodter quam prædicatum repugnet subjecto: si causa non suppetat, scrutaberis certum aliquod illius repugnantiæ signum.

Nonnunquam argumentaberis à pari, interdum ex absurdis, quæ ex contrariâ sententiâ sequerentur. Uteris etiam, datâ occasione, argumento ad hominem, hoc est aliquibus principijs aut suppositis, aut cõcessis ab adversarijs, ut eorum opinionem evertas.

Sed his plus valet praxis quàm speculatio.

PUNCTUM POSTERIUS,

De formâ syllogisticâ.

FOrma syllogistica est dispositio materiæ syllogismi.

Unde cum duplex sit materia syllogismi disponenda, scilicet, remotâ seu termini, & proxima seu propositiones, ideo duplex est forma syllogistica duplici illi materiæ disponendæ dicata, scilicet, figura & modus.

De utraque illa forma diximus in Cõpendio: hîc tantùm restat ut earum numerum exactè examinemus.

De Figuris Syllogisticis.

FIgura syllogistica est dispositio terminorum syllogismi.

Triplex est secundum Aristotelem 1. Prior. 22. scilicet.

Prima, in qua medium subjicitur in majori, & prædicatur in minori.

Secunda, in qua medium prædicatur in utraque præmissa.

Tertia,

Tertiâ, in qua medium utrobiq; subijcitur, juxta hunc versiculum.

Sub præ, prima : secunda bis præ : tertia bis sub

Galenus addit quintam figuram, velnti primæ Aristotelicæ oppositam, in qua scilicet medium prædicatur in majori, & subijcitur in minori. Ejusmodi sunt sequentia exempla.

Bar Omnis homo est animal:
ba Omne animal est vivens:
ra Ergo omnis homo est vivens.
Ca Omnis Philosophus est homo:
le Nullus homo est asinus.
rent Ergo nullus Philosophus est asinus.

Non nego syllogismos Galenicos esse bonos, sed

Contendo figuram Galeni non differre à prima Aristotelica.

Probatur 1. Si secunda propositio syllogysmi Galeni ponatur primo loco, erit syllogismus primæ figuræ Aristotelicæ, ut patet attendenti : Ergo syllogismus Galenicus non differt genere à syllogismo primæ figuræ Aristotelis. Et certè sicut hæc propositio, Medicus erat Galenus, non differt ab ista, Galenus erat Medicus, ita syllogismus Galenicus in Calerent. v. g. non differt à syllogismo Peripatetico in Celarent.

Dices. Transpositio extremorum facit ut syllogismus in Celarent, differrat à syllogismo in Celantes : Ergo à pari transpositio præmissarum facere potest ut syllogismus in Calerent differat à syllogismo in Celarent.

Distinguo. Istæ transpositiones faciunt ut syllogismi differant modo, hoc est specie, concedo : ut differant figura, hoc est genere, nego. Esto syllogismi Galenici differant modo à primis Peripateticis, nego differre figura.

Probatur 2. Ille syllogismus est primæ figuræ Aristotelis, ut patet & fatetur ipse Galenus, in quo medium subici-

bijcitur in majori, & prædicatur in minori: Atqui in figura Galenica medium ſubijcitur in majori, & prædicatur in minori: Ergo figura Galenica non differt à prima Peripatetica.

Probatur minor. In ſyllogiſmo Galenico ſecunda propoſitio eſt major, prima minor. Atqui in illo ſyllogiſmo medium ſubijcitur in ſecunda propoſitione, prædicatur in prima. Ergo ſubijcitur in majore, & prædicatur in minore. Probatur major. Propoſitio major eſt ea quæ continet majus extremum & medium: Atqui ſecunda propoſitio ſyllogiſmi Galeni continet majus extremum & mediũ, cum in ea ponatur prædicatum concluſionis directæ, quod eſt majus extremum cum medio: Ergo ſecunda propoſitio ſyllogiſmi Galenici eſt Major. Unde Avicennas Philoſophorum Arabum facilè princeps, qui in ſua Logica contendit interpretari Ariſtotelem, ſemper præmiſit minorem majori, eo conſilio, ni fallor, ut medius terminus in præmiſſis ſit interdum extrema, ſicque mereatur nomen medij. Ex quo patet methodum, quam Galenicam vocant, Galeno longè antiquiorem eſſe.

De Modis ſyllogiſticis.

MOdus ſyllogiſticus eſt recta propoſitionum ſecundum quantitatem & qualitatem in ordine ad bene concludendum diſpoſitio.

Modi ſyllogiſtici novem decim vulgo recenſentur his ingenioſiſſimis verſibus expreſſi.

Barbara, celarent, darij, ferio baralipton,
Celantes, dabitis, fapeſmo, friſeſomorum,
Ceſare, cameſtres, feſtino, baroco, darapti,
Felapton, diſamis, datiſi, bocardo, feriſon.

CONCLUSIO.

PLures ſtatui poſſunt modi, quam novem-decim vulgares.

Probatur 1. Sub omnibus modis in quibus eſt concluſio uni

sio universalis, alij poni possunt in quibus conclusio sit particularis, v.g. sub Barbara, poni possunt Barbari: sub Cesare, Cesaro: Ex 2. Top. 1. si enim aliquod prædicatũ omnibus inest, alicui inest: & si nulli inest, alicui non inest: ex 3. Top. ultimo: Ergo plures statui possunt modi quam novem-decim vulgares.

Probatur 2. Sicut primæ figuræ sunt modi indirecti, ita secundæ & tertiæ esse possunt, quales sunt duo sequẽtes, quorum prior est secundæ figuræ, posterior tertiæ.

Ca *Omne dulce est delectabile:*
mes *Atqui nulla medicina est delectabilis:*
tres *Ergo aliquod dulce non est medicina.*
Da *Omne saccarum est dulce:*
ti *Atqui aliquod saccarum est album:*
si *Ergo aliquid dulce est album.*

Ergo plures statui possunt modi quam novem-decim vulgares.

PARAGRAPHUS POSTERIOR, *De Principijs externis Syllogismi.*

PRincipia externa syllogismi, (ut diximus in Compendio) triplicis sunt generis, scilicet, fundantia, dirigentia & perficientia. De fundantibus & perficientibus, satis dictum est in Compendio: hic dicendum duntaxat de dirigentibus.

Principia directiva syllogismi sunt regulæ observandæ in constructione syllogismi: quæ,

Duplicis sunt generis: Aliæ communes omnibus figuris: Aliæ singulis propriæ.

Regulæ communes.

SEptem sunt regulæ communes omnibus figuris, scilicet duæ pro terminis: duæ pro medio: duæ pro præmissis: una pro conclusione.

Prima habetur 1. Prior. 24. his verbis. Non debent esse in syllogismo plures quam tres termini, neque explicitè

neque implicitè. Primo quia in quæstione agitur de convenientiâ vel repugnantiâ duorum inter se: ad judicium autem ferendum de convenientiâ vel repugnãtiâ duorum, opus est unica mensurâ. Secundo quia, cum syllogismus quæstionem probandam supponat duobus terminis constantem, scilicet majori & minori, vis ejus in eo consistit ut medium ita cum utroque extremo connectatur, ut utriusque connexionem ostendat: id autem præstare non potest nisi sit unicum, unicum enim debet esse vinculum quo duo connectantur, cum unio sit duorum unio.

Secunda: Terminus particulariter sumptus in præmissis non debet sumi universaliter in conclusione alioqui plus concluderetur quam probatum esset.

Tertia: Medium debet saltem distributivè seu universaliter sumi: alioquin essent quatuor termini: Terminus enim bis particulariter sumptus æquivalet duobus, ut patet in his propositionibus. Aliquis homo est Rex: Aliquis homo est bajulus.

Et ratio est quia cum aliquis ex magna multitudine bis aliquid desumit, per accidens, est quod idem sumat: at regulæ syllogismi debent esse constantes.

Quarta: Medium non debet ingredi conclusionem quia medium est mensura qua dijudicatur de convenientiâ aut disconvenientia duorum extremorum: mensura autem debet præcedere non autem ingredi judicium.

Quinta habetur 1. Prior. 24. his verbis. Ex duabus particularibus nihil concluditur: aliàs quatuor essent termini: idem enim terminus bis sumeretur particulariter, terminus autem bis particulariter sumptus, æquivalet duobus ut diximus regulâ tertiâ.

Sexta habetur ultimo cap. 1. Elench hoc sensu: Ex duabus negantibus nihil concluditur: quia ex eo quod duo repugnent eidem tertio, nihil sequitur. Primo non sequitur quod conveniant inter se, nam plura disconvenientia inter se, possunt cum eodem tertio disconvenire, ut patet in Disparatis: secundo non sequitur quod pugnent inter se, quia omnia similia iisdem repugnant.

Ulti-

Ultima: Conclusio sequitur debiliorem partem: & proinde si una præmissa sit universalis, altera particularis, conclusio debet esse particularis, ut in Darij: si una affirmans, altera negans, conclusio debet esse negans, ut in Camestres: si una sit particularis, altera negans, conclusio debet esse particularis negans, ut in Baroco: si una præmissa sit necessaria, altera contingens, conclusio erit tantùm probabilis seu contingens.

Ratio logica hujus regulæ est quia ideo extrema inter se conjunguntur in conclusione, quod ambo in præmissis conjuncta sint cum uno tertio, puta cum Medio: Ergo si sit in una, præmissarum conjunctio alicujus extremi cum medio vel nulla fuerit vel parum firma, nulla quoque erit vel parum firma connexio unius extremi cum alio in conclusione.

Ratio physica est, quia causa aliquid de suâ imperfectione communicat effectui: sic oculus æger debilem elicit visionem, & tibia clauda imperfectam ambulationem: Atqui præmissæ quæ sunt causæ conclusionis, nihil suæ imperfectionis communicarent effectui, nisi conclusio sequeretur debiliorem partem: Ergo conclusio sequitur debiliorem partem.

Adde tamen huic regulæ, nisi aliquod Medium oriri possit ex utraque præmissa: nam sicut ex commixtione equi cum asinâ, oritur effectus veluti medius imperfectior equo, & perfectior asinâ: ita aliquando ex duabus præmissis eruitur conclusio imperfectior una, alterâ perfectior. Sic conclusio ex una præmissa necessariâ & alterâ probabili deducta, certior est quàm si esset ex duabus probabilibus: & conclusio theologica ex una præmissa de fide, & alia præmissa naturali illata, certior est quàm conclusiones Philosophicæ ex duabus præmissis naturalibus, ut communiter docent Theologi prima parte.

Regulæ particulares.

Sex sunt regulæ speciales syllogismorum: duæ scilicet

pro singulis figuris, quarum probationes ut possis intelligere,

Nota 1. Terminum aliquem in syllogismo sumi posse duobus modis, scilicet adæquatè seu universaliter pro omni suo significatu: & inadæquatè seu particulariter pro aliquo tantum significatu.

Nota 2. Terminum omnem in syllogismo vel esse prædicatum vel subjectum, idque vel in propositione affirmante vel negante,

Subjectum propositionis universalis, universale est; particularis, particulare: quia propositio sumit suam quãtitatem à subjecto.

Prædicatum propositionis affirmantis, particulare est, quia, ut diximus priori Disputatione de Universalibus cap. 3. Universale in actuali prædicatione de suis inferioribus, suam amittit universalitatem.

Prædicatum propositionis negantis universale est, quia negatio est malignantis naturæ, & omnia removet à suo subjecto. Sic in hac propositione: Petrus non est lapis: lapis sumitur distributivè, omnesque lapides à Petro removet.

His notatis examinandæ sunt leges singulis figuris propriæ.

Leges primæ Figuræ

Duæ sunt quæ tantùm valent pro modis directis.

Prima: Major debet esse universalis: quia si major esset particularis, medium ut pote subjectum in ea sumeretur particulariter; Atqui in minore ut pote affirmante (propter regulam sequentem,) medium quod est prædicatum sumeretur quoque particulariter, & sic medium bis sumeretur particulariter, quod est contra tertiam regulam generalem. Hæc regula non intelligitur de Frisesom, quia in ejus minore ut pote negante, medium sumitur universaliter.

Secunda: Minor debet esse affirmans: Quia si minor esset

esset negans, major esset affirmans (propter sextam r lam generalem;) & proinde in ea majus extremum ut pote prædicatum affirmantis sumeretur particulariter: Atqui in conclusione ut pote negante in tali hypothesi (propter ultimam regulam generalem) sumeretur universaliter, cum foret prædicatum negantis: unde terminus particulariter sumptus in præmissis, sumeretur universaliter in conclusione, quod est contra secundam regulam generalem. Hæc regula locum non habet in Fapesmo & Frisesom: quia in illis ut pote indirectis particularibus, majus extremum sumitur particulariter in conclusione.

Duæ leges secundæ Figuræ

PRima: Major debet esse universalis: quia si esset particularis, in ea majus extremum, ut potè subjectum, sumeretur particulariter; Atqui in conclusione ut pote negante, propter sequentem regulam, sumeretur universaliter, ut pote cum sit prædicatum negantis, & proinde aliquis terminus particulariter sumptus in præmissis, sumeretur universaliter in conclusione, quod est contra secundam regulam generalem.

Secunda: Alterutra præmissa debet esse negans. Ex 1. Prior. 5. Quia si utraque præmissa affirmaret, medium, quod in secundâ bis prædicatur, bis sumeretur particulariter, contra tertiam regulam generalem.

Ex hac regula sequitur conclusionem secundæ figuræ debere esse negativam propter ultimam regulam generalem.

Duæ Regulæ tertiæ Figuræ.

PRima: Minor debet esse affirmans: quia si esset negans, conclusio quoque esset negans, propter ultimam regulam generalem: & proinde in ea majus extremum, ut pote prædicatum negantis sumeretur universaliter: atque in majore ut pote in tali hypothesi affirmante propter sextam regulam generalem sumeretur particulariter, cum foret prædicatum affirmantis, & proinde aliquis terminus

...cularlariter sumptus in præmissis, sumeretur uni... in conclusione quod est contra secundam regu... am generalem

Secunda : Conclusio debet esse particularis : quia si esset universalis, minus extremum ut pote subjectum in ea sumeretur universaliter : Atqui in minore ut pote affirmante, propter regulam præcedentem, sumeretur particulariter, cum foret prædicatum affirmantis, & proinde aliquis terminus sumeretur universaliter in conclusione, qui non foret universaliter sumptus in præmissis, contra secundam regulam generalem.

Quicũque syllogismi categorici (hoc est de medio communi) peccant contra aliquam ex illis tredecim regulis, vitiosi sunt ratione formæ, licet aliqui interdum concludant ratione materiæ, ut patet in sequenti syllogismo.

Aliquis homo est Orator:
Aliquis homo est Philosophus:
Ergo aliquis Philosophus est Orator.

qui concludit ratione materiæ, licet peccet contra tertiā ac quintam regulam generalem.

CAPVT VLTIMVM,

De Divisione Syllogismi.

DE divisione Syllogismi abundè dictum est in Compendio.

Notanda tantum est hîc divisio in illativum & probativum.

Illativus syllogismus est, qui ab omni materia syllogistica avulsus est, nihilqne habet de syllogismo præter speciem dispositionis terminorum, quales sunt sequentes.

Bar *Omne A est B*
ba *Atqui omne C est A*
ra *Ergo omne C est B*

Ce

Ce Nullum A est B
la Atqui omne C est A
rent Ergo nullum C est B

Quibus syllogismis hîc plerumque utitur Philosophus, ut ostendat sua præcepta esse efficacia per se, non autem ratione specialis materiæ cui applicantur.

Probativus syllogismus est ille qui formam syllogisticã alicui speciali materiæ probandæ applicat. Unde

Triplex est pro triplici materia probanda, scilicet Demõstrativ9, qui versatur circa materiã necessariã: Topic9, qui circa materiam contingentem & probabilem occupatur: & Sophisticus, qui circa materiam captiosam & fallacem versatur: ex Philosopho initio Topic.

De tribus illis speciebus hic à nobis foret agendum nisi in Compendio de syllogismo sophistico satis egissemus.

DISPUTATIO SECUNDA, DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO, *In duos Posteriores Analyticos.*

Quæ hîc de Demonstratione dicendâ sunt, tribus Sectionibus complectemur: in quarum Primâ agemus de ijs quæ Demonstrationem præcedunt, scilicet de præcognitionibus & præcognitis: in Secundâ de Demonstratione: in Tertiâ de effectu Demonstrationis, scilicet de scientiâ.

SECTIO PRIMA, *De Præcognitionibus & Præcognitis.*

Aristoteles Posteriores Analyticos statim orditur ab hoc Axiomate: Omnis doctrina, omnisque disciplina dianoetica ex antecedente fit cognitione. Quod effatum inductione ipse postea probat: Unde hîc solent Logici age-

re de illâ antecedente cognitione seu de præcognitione & præcognitis : Quod ut aliquo ordine præstemus, dicemus 1. de præcognitionibus in communi: 2. de præcognitis in genere : 3. denique de præcognitis in particulari.

ARTICULUS PRIMUS,
De Præcognitionibus in communi.

PRæcognitio secundum vim vocis est cognitio alteri prævia,

Duplex est, scilicet per accidens & per se.

Præcognitio per accidens, ea est quæ nihil confert ad subsequentem cognitionem, qualis est cognitio saxi respectu cognitionis rosæ.

Præcognitio per se ea est quæ confert ad subsequentem.

Triplex est, scilicet præparans, dirigens & influens.

Præcognitio præparans est cognitio sensuum, quæ scilicet necessaria est ad intellectionem secundum illud tritum, Nil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.

Præcognitio dirigens est mentalis apprehensio terminorum conclusionis probandæ.

Præcognitio influens seu efficiens, est assensus qui præbetur præmissis ex quibus eruitur conclusio.

Talis enim est modus noster naturalis intelligendi, discursus supponit, judicium, judicium apprehensionem, apprehensio sensationem internam, sensatio interna externam.

Iterum duplex est Præcognitio hic distinguenda, scilicet quod sit & quid sit : ex Philosopho loco citato.

Præcognitio quod sit, duplex est, scilicet quod res sit existens & quod propositio sit vera.

Præcognitio quid sit, etiam duplex est, scilicet quid nominis seu quid nomen significet : & quid rei seu quænam sit essentia alicujus rei.

ARTICULUS SECUNDUS,
De Præcognitis in genere

PRæcognitum seu potius præcognoscendum illud est quod cognosci debet antequam inferatur conclusio.

Dico cum Aristotele tria esse præcognoscenda antequã inferatur conclusio: scilicet subjectum & prædicatum conclusionis & antecedens illius cõclusionis probativum: quia antequam inferamus aliquam conclusionem, debemus saltem ruditer præcognoscere terminos ex quibus constat, & antecedens per quod probatur.

Dices 1. Medium debet etiam præcognosci: Ergo quatuor sunt præcognoscenda.

Distinguo antecedens. Medium debet præcognosci antequam cognoscantur præmissæ, concedo: hoc est immediatè debet cognosci ante conclusionem, nego. Distinguo consequens. Ergo sunt plura quam tria præcognita, si sermo sit de præcognitis tam mediatis, quam immediatis, concedo: si de solis immediatis, nego. Loquimur autem tantum de præcognitis immediatis, quæ tria sunt duntaxat: nam immediatè antequam eliciatur conclusio, debent cognosci prædicatum & subjectum conclusionis, quia debet concipi quæstio: præmissæ etiam præcognosci debent, quia sunt causæ conclusionis necessariò determinantes intellectum ad ejus assensum, ut probavimus disp. superiori cap. 1.

Dices 2. Debet etiam præcognosci forma syllogistica: Ergo forma syllogistica est etiam præcognitum.

Distinguo. Ex parte formæ syllogisticæ, concedo: ex parte materiæ, nego: At hic tantum est sermo de præcognitis ex parte materiæ.

ARTICULUS ULTIMUS,

De singulis præcognitis.

DIco 1. De nullo præcognito præcognoscendum est id quod de eo probatur, alioqui inutilis esset probatio. Unde dum probatur possibilitas aut existẽtia Philosophiæ: v. g. non supponitur præcognosci quod sit possibilis, aut quod existat Philosophia.

Dico 2. De omnibus præcognitis præcognoscendum est quid nominis, quia conclusioni aliàs notissimæ assen-

tiri non possemus, si nobis ignoto idiomate proponeretur.

Dico 3. cum Aristotele 1. Post. 2. De antecedente seu principio præcognoscendum esse, quod sit: hoc est, quod verum sit: nam esse principij seu axiomatis, est veritas ejus. Ratio est quia assentimur tantum veritati conclusionis propter præcognitam veritatem antecedentis, seu præmissarum.

Dico 4. De subjecto præcognosci debet, quod sit saltē possibile, quia inutile foret quærere proprietates rei impossibilis.

Dico ultimò: De prædicato non est præcognoscendū quod sit, quia idipsum in conclusione probatur: dum enim prædicatum inesse subjecto probatur, satis probatur prædicatum esse, cum inesse non posset, nisi esset.

SECTIO SECUNDA,

De Demonstratione.

PRoprietates Demonstrationis, Veritatem scilicet, Certitudinem & evidentiam explicavimus secundâ parte. Unde tria hîc tantùm supersunt capita.

CAPUT PRIMUM,

De nomine, notione, existentiâ Demonstrationum.

NOn potest dari effectus sine causâ. Cum ergo probaverimus primo tractatu proœmiali dari scientiam & Philosophiam, quæ effectus est Demonstrationis, satis ostendimus dari Demonstrationem.

Demonstratio multaꝗ sortitur nomina: dicitur enim Syllogismus Analyticus seu resolutorius, Epistemonicus, seu scientificus, Judicativus seu apodecticus: sed vulgò Demonstrativus, quia est syllogismus tam certò & evidenter concludens, ut videatur rem veluti digito demonstrare.

CAPVT SECVNDVM,

De principijs Demonstrationis.

NOn hic loquimur de causa efficiente Demonstrationis, quæ est Intellectus humanus & habitus Logicæ, nec de causa finali quæ est scientia, sed tantùm de ejus causa formali & motivâ.

ARTICULUS PRIOR,

De causâ formali Demonstrationis.

CAusa formalis Demonstrationis non alia est ab ejus definitione.

Demonstratio definitur à Philosopho 1. Poster. 2. duobus modis: scilicet per effectum & per causam materialem, seu per præmissas ex quibus constat.

Per effectum definitur, Syllogismus pariens scientiam: ratione cujus definitionis.

Quæritur vulgò in quo genere causæ Demõstratio reddat hominem scientem.

Respondeo Demonstrationem sumptam pro instrumento sciendi, hoc est pro præmissis, reddere hominem scientem in genere causæ efficientis, determinando scilicet intellectum ad assensum scientificum. Si verò agatur de Demonstratione sumptâ formaliter pro tertiâ mentis operatione, eam reddere hominem scientem in genere causæ formalis: quia est ipsa scientia qua informatus intellectus scit formaliter. Hinc Philosophus loco citato sic scribit: Demonstrationem appello syllogismum scientificum, eo quod eo præcise quo ipsum habemus, sciamus.

Definitur per præmissas, Syllogismus constans veris, primis & immediatis, notioribus & prioribus, causisque. Quæ definitio patebit Paragrapho priore Artic. sequentis.

Brevius definitur, Syllogismus constans ex necessarijs.

ARTICULUS POSTERIOR,

De causa motiva Demonstrationis.

CAusa motiva Demonstrationis est ea quæ convincit intellectum, & eum determinat necessariò ad assentiendum conclusioni : quæ

Duplex est, scilicet complexa, puta Præmissæ : & incomplexa puta Medium.

PARAGRAPHUS PRIOR.

De Præmissis Demonstrationis.

EX posteriori definitione philosophi, patet ad Præmissas Demonstrationis quatuor requiri conditiones : scilicet, ut sint veræ, primæ & immediatæ, notiores & priores conclusione, ejusque causæ.

I. CONCLUSIO.

PRæmissæ Demonstrationis debent esse veræ.

Quia conclusio demonstrativa debet esse scientifica, & proinde constantissimæ veritatis, qualis non esset si ejus præmissæ forent falsæ : quippe licet ex præmissis falsis possit sequi vera conclusio, id tamen per accidens est. Unde Philosophus 1. Poster. 2. dicit falsum non esse scibile, negatque hanc propositionem, v. g. Diameter commensurabilis est lateri, esse scibilem.

Duplex porro est veritas propositionis, una probabilis & proinde contingens. Altera immutabilis & proinde necessaria & sempiternæ veritatis, id est connexionis prædicati cum subjecto. Prima propositionis veritas non sufficit ad syllogismum demonstrativum, cum reperiatur etiam in topico. Secunda requiritur ad præmissas demonstrationis ut docet Philosophus primi. Post. quarto describens Demonstrationem, syllogismum constantem ex necessarijs. Et ratio est, quia per illam tantùm syllogismus demonstrativus differt à topico.

Aristoteles 1. Poster. 4. tres affert conditiones, quas

quæ propositiones habent, summè necessariæ dicendæ sunt, scilicet, de omni, per se & quatenus ipsum seu secundum quod ipsum. Quæ conditiones solis propositionibus affirmativis competere possunt.

Quid Propositio de omni?

PRopositio de omni dicitur duobus modis, scilicet prioristicè & posterioristicè.

Tunc propositio est de omni prioristicè, cum illius subjecto præfigitur signum universalitatis, sive interim propositio necessaria sit, sive non: sic hæc propositio, Omnis homo ambulat, est de omni prioristicè.

Tunc propositio est de omni posterioristicè cum prædicatum convenit omni subjecto, sive interim propositioni præfigatur signum universalitatis, sive non: unde hæc propositio, homo est animal, est de omni posterioristicè.

Prior universalitas dicitur prioristica, quia spectat ad syllogismum ratione solius formæ, de quo egit Aristoteles in prioribus Analyticis: Posterior dicitur posterioristica, quia spectat ad syllogismum ratione materiæ necessariæ, de qua egit Philosophus in posterioribus Analyticis.

De omni posterioristicè, definitur ab Aristotele hic, illud quód non est in aliquo quidem, in aliquo verò non, vel aliquando quidem, aliquando verò non: hoc est quod convenit omni & semper, ut homini esse animal.

Præmissæ Demonstrationis debent esse de omni posterioristicè, alioqui non essent necessariæ: utrùm autem sint etiam de omni posterioristicè, nihil refert, quia in materiâ necessariâ propositiones indefinitæ habentur universales, ut docuimus in Compendio.

Quid Propositio per se?

PRopositio per se dicitur quatuor modis, ex Philosopho hic.

1. Quando prædicatum est de essentiâ subjecti, quod fit dum de aliquo subjecto prædicatur definitio, aut pars defini-

definitionis, quales sunt hæ propositiones : homo est animal rationale : homo est animal : homo est rationalis.

2. Cum subjectum est de essentiâ prædicati, quod fit cum divisio prædicatur de genere, quales sunt hæ propositiones : Animal est rationale vel irrationale : linea est recta vel curva : Numerus est par vel impar : aut proprietas de subjecto, ut videre est in sequentibus propositionibus : Homo est risivus : Homo est admirativus.

3. Dum de substantiâ prædicatur existentia per se, ut fit in sequenti propositione : Humanitas Petri per se existit.

4. Quando prædicatur effectus proprius de aliquo, quales sunt hæ propositiones : Medicus curat : Iugulatus interijt.

Præmissæ Demonstrationis debent esse per se primo aut secundo modo, alioqui non essent necessariæ, ut probat Philosophus ipse, cap. citato.

Quid propositio de Prædicato quatenus ipsum vel secundum quod ipsum ?

PRopositio de prædicato quatenus ipsum, vel secundum quod ipsum, est ea cujus prædicatum convenit primario subjecto, & propter ipsum reliquis : uno verbo, quæ constat terminis reciprocis, ut dum definitio prædicatur de definito, vel differentiæ, aut proprietates de subjecto immediato, quales sunt sequentes propositiones : Homo est animal rationale : Homo est rationalis, homo est risivus.

Sed hæc ultima conditio non requiritur ad præmissas cujuscunque Demonstrationis : alioqui paucæ admodum forent Demonstrationes, sed tantùm desideratur ad præmissas Demonstrationis potissimæ.

Notandum ex illis tribus conditionibus, posteriores semper includere priores, non contra. Hinc Aristoteles tertiam conditionem definit his verbis : Universale dico, quod dicitur de omni, & per se, & quatenus ipsum.

II.

II. CONCLUSIO.

PRæmissæ Demonstrationis debent esse primæ & immediatæ.

Propositio dicitur immediata dupliciter : scilicet, vel respectivè ad alteram, quando est causa proxima alterius, qualis est antecedens hujus argumentationis respectu cõclusionis :

Ignis est calidissimus :
Ergo ignis est combustivus :

Vel absolutè in se, quando ita clara est, ut non egeat probatione, qualia sunt axiomata.

Hoc autem fieri potest dupliciter : scilicet vel formaliter, quando propositio per se sine discursu evidenter innotescit : vel virtualiter, quando propositio non est quidem clara ex se, est tamen clara homini proponenti, qui videlicet posset eam resolvere usque ad prima & evidentissima principia, si ei negaretur.

Quando Philosophus requiritur ut præmissæ Demõstrationis sint immediatæ, non requirit ut sint immediatæ respectivè : quia hoc requiritur tantùm in Demonstratione propter quid : nec requirit ut sint immediatæ absolutè formaliter, quia hoc fere in sola Demonstratione potissima reperitur : sed requirit ut sint immediatæ saltem virtualiter, ut patet ex eo quod 1. Top. 1. docet Demonstrationẽ constare ex primis, aut ex ijs quæ à primis suæ cognitionis initium sumpserunt : hoc est ex ijs quæ cognoscuntur per prima principia & per se nota.

Ratio hujus conditionis est, quia Demonstratio, seu scientia naturalis debet esse evidens non esset autem evidens, nisi ejus principia, aut essent evidentia per se, aut saltem resolvi tandem possent in principia per se nota, quæ vocantur propositiones per se notæ.

Aliqua propositio potest esse nota per se tribus modis.

1. Quoad se tantum, quando prædicatum est de essentia subjecti : id tamen non innotescit omnibus, qualis est hæc propositio, Deus est.

2. Quo-

2. Quoad nos tantum, quando ita clarè penetramus propositionem, ut non egeamus ejus probatione, licet probari posset etiam à priori, qualis est hæc propositio, Ignis est calidus.

3. Denique, Quoad se & quoad nos, quando prædicatum est de essentiâ subjecti, & id nobis innotescit ex ipsâ apprehensione terminorum, qualis est hæc propositio, Triangulus habet tres angulos.

III. CONCLUSIO.

PRæmissæ Demonstrationis debent esse priores & notiores conclusione.

Quia (ut inquit Philosophus 1. Post. 2.) præmissæ sunt causæ conclusionis, causa autem prior est effectu.

Dupliciter aliqua sunt priora, & notiora, (inquit ibidem Philosophus) scilicet naturâ & nobis.

Priora & notiora naturâ, seu quoad se, sunt quæ revera aliquo modo præcedunt: sic causa prior est effectu, essentia proprietatibus, substantia accidentibus, & universale prius est singularibus.

Priora & notiora nobis seu quoad nos, ea sunt quæ ad sensum propius accedunt: sic plerumque effectus priores sunt & notiores quoad nos suis causis, & proprietates essentijs, sic accidentia priora sunt substantijs, & singularia universalibus

Præmissæ cujuscunque Demonstrationis debent esse notiores conclusione alterutro modo.

Probatur ab Aristotele 1. Prior. 2. hoc effato: Propter quod unum quodque tale & illud magis: v. g. illud est magis amabile alio, propter quod amamus illud: exempli gratiâ, sanitas magis est amabilis quàm remedia, quia remedia amamus tantùm propter sanitatem: Atqui conclusio nobis nota est propter præmissas: Ergo præmissæ debent esse notiores conclusione.

Ad veritatem superioris effati, tria requiruntur.

1. Ut comparatio fiat inter duo, quæ ambo participēt eam, de quâ agitur, formam.

2. Ut

2. Ut forma illa multiplicetur.

3. Ut illa forma sit capax intensionis.

Defectu primæ conditionis non valet hæc consequentia: Bajulus ebrius est propter vinum: Ergo vinum est magis ebrium quàm bajulus.

Defectu secundæ conditionis non valet ista consequentia: Homo videt propter oculum: Ergo oculus magis videt quàm homo.

Defectu tertiæ conditionis, non valet hæc consequentia: Filius est homo propter patrem: Ergo pater est magis homo quàm filius.

Hoc itaque effatum suam habet vim in præsenti materiâ, quia fit comparatio inter præmissas & conclusionem, quæ habent claritatem eamque multiplicem & capacem intensionis.

Confirmatur. Quod inducit in notitiam alterius, debet esse notius ipso: sic definitio clarior est definito, & luminare lucidius est loco à se illuminato: Atqui præmissæ inducunt nos in notitiam conclusionis, quam scilicet probant: Ergo debent esse notiores.

Præmissæ Demonstrationis à priori sunt notiores conclusione quoad se: Præmissæ verò Demonstrationis à posteriori, quoad nos, ut patet ex ipsis definitionibus.

Dices. Præmissæ Demonstrationis non debent esse veriores conclusione: Ergo neque debent esse notiores.

Nego paritatem: Quia veritas non suscipit magis & minus, claritas autem suscipit.

Ultima Conditio

PRæmissæ Demonstrationis debent esse causæ conclusionis.

Quia (ut ait Philosophus 1. Poster. 2.) tunc scimus quando causam cognoscimus.

Duplex hîc causa distinguenda est: scilicet causa rei, & causa cognitionis.

Causa rei est ea quæ dat esse alicui effectui, estque vel realis vel virtualis.

Causa

Causa realis est ea quæ verè influit esse in aliud, estque quadruplex, scilicet Efficiens, Finalis, Formalis, & Materialis.

Causa virtualis est perfectio ab alio realiter indistincta, quæ ita prior est secundum modum nostrum concipiendi, ut si ab eo distingueretur, illud causaret: sic essentia est causa virtualis suarum proprietatum metaphysicarum.

Causa cognitionis est id omne quod ducit in cognitionem alicujus, etsi sit eo posterius: sic creatura causa est cognitionis respectu Dei, proprietas respectu essentiæ, & effectus reciprocus respectu causæ.

Demonstratio à priori debet esse ex causis rei: ex quibusnam autem, nihil refert. Demonstratio verò à posteriori debet tantùm esse ex causis cognitionis.

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

De Medio Demonstrationis.

MEdium Demonstrationis à priori peti potest ex omnibus causarum generibus: ex 2. Poster. 11. & proinde.

Vel à causâ efficiente, ut patet in hac Demonstratione: Deus & natura nihil faciunt frustra: Atqui Deus & natura fecerunt appetitum naturalem: Ergo appetitus naturalis non est frustra.

Vel â causâ finali, ut in hac demonstratione: Quod inservit ad coquendum, debet esse calidum: Atqui hepar inservit ad coquendum: Ergo hepar debet esse calidum.

Vel à causâ materiali propriâ, ut in hac demonstratione: Quidquid constat ex contrarijs, est corruptibile: Atqui omne mixtum constat ex contrarijs: Ergo omne mixtum corruptibile est.

Vel à causâ materiali impropriâ, seu à genere, ut in hac demonstratione: Omne animal est sensitivum: Atqui omnis homo est animal: Ergo omnis homo est sensitivus.

Vel à materiâ in quâ, ut in hac demonstratione: Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur: Atqui Philosophia recipitur in subjecto spiritali: Ergo Philosophia est spiritalis.

Vel

Vel à materiâ circa quam, ut in hac demonstratione: Scientiæ specificantur ab objectis: Atqui Metaphysica habet objectum nobilissimum: Ergo Metaphysica est nobilissima.

Vel à causâ formali propriâ, ut in hac demonstratione: Quidquid præditum est animâ rationali, est capax scientiæ: Atqui omnis homo est præditus animâ rationali: Ergo omnis homo est capax scientiæ.

Vel à formâ impropiâ seu metaphysicâ, id est à definitione vel differētia, ut: Omne animal rationale est Philosophiæ capax: Atqui omnis homo est animal rationale: Ergo omnis homo est Philosophiæ capax.

Medium demonstrationis à posteriori peti potest.

Vel à proprietate ut in hac demonstratione: Omne Philosophiæ capax est rationale: Atqui omnis homo est Philosophiæ capax: Ergo omnis homo est rationalis.

Vel ab effectu qui non possit in aliam causam refundi, ut in hac demonstratione: Datur mundus: Ergo datur Deus.

Quæres quodnam sit Medium potissimæ demonstrationis?

Respondeo esse definitionem subjecti: quia definitio subjecti causa est saltem virtualis omnium ejus proprietatum: sic per definitionem hominis exactè demonstrari possunt omnes ejus proprietates, scilicet, quod sit admirativus, risivus, scientiæ capax, &c.

CAPUT ULTIMUM.

De Divisione Demonstrationis.

DEmonstratio vel est à posteriori, seu per signum & effectum, qualis est hæc Philosophi 1. Poster. 10. Quod circulariter luminis incrementū suscipit, sphæricū est: Atqui luna luminis incremētū circulariter suscipit à sole: Ergo luna sphærica est. Vel à priori seu per causam, quales multas attulimus articulo superiori seu posteriori à pag. 396. ad pag. 403.

Demon-

Demonstratio à priori vel est per causam proximam, seu propter quid, quales sunt multæ in art. citato allatæ : vel est per causam remotam, id est per causam quæ requiritur quidem ad effectum, quâ tamen positâ nondum ponitur effectus, qualis est hæc Philosophi loco citato: Omne respirans est animal : Atqui nullus murus est animal : Ergo nullus murus est respirans.

Hæc demonstratio cum demonstratione à posteriori vocatur quia, ex 1. Poster. 10.

Demonstratio quia seu propter quid vel est demonstratio potissima quia demonstratur effectus per causam proximam indemonstrabilem à priori ; ut cùm probatur proprietas de subjecto per definitionem, subjecti : vel perfecta tantum qua demonstratur effectus per causam proximam demonstrabilem à priori.

Quæres 1. Utrùm Demonstratio quia sit vera demonstratio.

Resp. affirmativè. 1. Quia ex Aristotele 1. Post. 4. duplex est scientia, scilicet propter quid, & quia : Ergo duplex est Demonstratio, cum scientia per demonstrationem gignatur. 2. quia omnis syllogismus, qui neque est sophisticus, neque merè topicus, est demonstrativus : Atqui Demonstratio, quia, est syllogismus qui neque est sophisticus, neque merè topicus, cum nunquam falsum ei subesse possit : Ergo Demonstratio, quia, est vera Demonstratio.

Unde patet demonstrationes mathematicas, quamvis non sint propter quid, sed quia, ut pote cum de figuris geometricis proprietates probent, non per causas rei, sed per alias figuras, vel per lineas planè extrinsecas, esse nihilominus veras demonstrationes.

Dices. Demonstratio, quia, non est per causas : Ergo non est propria demonstratio.

Distinguo antecedens. Demonstratio, quia, non est per causas, essendi, concedo : per causas cognoscendi, nego : Ad Demonstrationem autem in genere, nihil refert per quas causas.

Quæ-

Quæres. Utrùm Demonstrationes à priori, quibus ex causis naturalibus demonstrantur effectus naturales, sint veræ demonstrationes.

Ratio dubitandi est quia non videntur esse ex necessariis, cum Deus possit impedire connexionem ejusmodi effectuum cum suis causis: v. g. ne ex ortu solis sequatur dies, ex ejus recessu hyems, &c.

Respondeo tamen, eas esse veras demonstrationes, eo sensu quo intelligūtur à Philosophis Dei libertatem agnoscentibus: Quia illi Philosophi propositiones physicas intelligunt in sensu conditionato, ex hypothesi scilicet, quod Deus res physicas naturaliter administret juxta earum exigentiam, & consvetum naturæ ordinem, quo sensu sunt prorsus necessariæ: quamvis si intelligerentur in sensu Aristotelis, qui putabat Deum agere necessariò, forent falsæ, sicque inducerent in errorem ut videre est in sequenti syllogismo. Orto solé necessariò absolutè sequitur dies: Atqui quotidiè necessariò absolutè oritur sol: Ergo quotidie dies est.

Appendix de Regressu.

Ex duabus Demonstrationibus potest fieri regressus, si conclusio unius cum alterutrâ præmissâ sumatur ad probandam alterutram præmissam hoc modo. Omne rationale est capax Philosophiæ: Atqui omnis homo est rationalis: Ergo omnis homo est capax Philosophiæ: Omnis homo est capax Philosophiæ: Atqui omne rationale est homo: Ergo omne rationale est capax Philosophiæ.

Regressus ergo definitur, Conclusio syllogismorum ita dispositorum, ut conclusio primi cum una ejus præmissa simpliciter conversa sumatur ad probandam alteram præmissam.

Regressus duplex est, materialis scilicet & formalis.

Regressus materialis est ille in quo cum una præmissa simpliciter conversa prioris syllogismi, assumitur ejus conclusio aliunde cognita, vel ex majori, penetratione terminorum,

norum, vel ex alijs principijs, ad probandam alteram præmissam.

Regressus formalis, est ille in quo cum una præmissa simpliciter conversâ prioris syllogismi statim assumitur ejus conclusio nòn aliunde cognita ad probandam alteram præmissam, ut in exemplo supra allato.

I. CONCLUSIO.

Regressus materialis licitus est. Probatur 1. ex Aristotele qui dicit 1. Poster. 1. hanc demonstrationem. Stellæ quæ non scintillant, sunt propè nos: Atqui planetæ nō scintillant: Ergo planetæ sunt propè nos: converti posse hoc modo: Stellæ quæ sunt propè nos non scintillant: Atqui planetæ sunt prope nos: Ergo planetæ non scintillant.

Probatur 2. ex eodem, qui 2. Poster. 23. docet ex madefactione terræ, posse demonstrari abundantiam vaporū, ex illâ nubem, ex nube pluviam, ex pluviâ madefactionē terræ. Et 1. Poster. 3. sub finem dicit Demonstrationem circularem fieri aliquando posse in ijs quæ se mutuò consequuntur, v. g. inter causam & effectum reciprocum.

Probatur 3. Quia Philosophi probant in Categorijs dari relationem in creatis, quia dantur in divinis: & Theologi Tractatu de Trin. probant dari Relationes reales in divinis, quia dantur in creatis.

Ratio conclusionis est, quia si contingat conclusionem prioris syllogismi aliunde innotescere, quàm per ejus præmissas, nihil vetat ipsam assumi ad probandas præmissas, æquè bene ac ad quamlibet aliam propositionem.

Quod dixi de regressu Demonstrationum dic de circulo definitionum in absolutis. Nam Philosophus cap. de qualitate, postquam definivit in principio qualitatem per concretum, in medio capitis definit Quale per abstractum.

Dices. Idem non potest esse notius & ignotius altero: Atqui si liceret circulus seu regressus, idem esset notius, & ignotius: Ergo non licet.

Distin-

Diſtinguo minorem. Si liceret circulus idem eſſet notius & ignotius, diverſo ſenſu, concedo: eodem ſenſu, nego: Aliquid autem poteſt eſſe notius ſimpliciter, & ignotius quoad nos, ex Philoſopho 2. Poſter. 3.

II. CONCLUSIO.

Regreſſus formalis eſt vitioſus.

Probatur 1. Eadem propoſitio non poteſt eſſe notior & ignotior alterâ: Atqui in regreſſu formali hoc cõtingeret, nam hæc propoſitio, Rationale eſt capax Philoſophiæ, eſſet notior iſtâ, Omnis homo eſt capax Philoſophiæ: quia in primo ſyllogiſmo initio allato, eam probat: & eſſet ignotior, quia in ſecundo ſyllogiſmo per eandem probaretur: Ergo regreſſus formalis vitioſus eſt. Ita ferè Philoſophus 1. Poſter. 3.

Probatur 2. Quia ſequeretur idem probari per ſeipsũ, quæ eſt manifeſtatiſſima petitio principij: quia ſcilicet probaretur per id, quod probaretur per ipſum: Abſurdum conſequens: Ergo & antecedens.

SECTIO ULTIMA,

De Scientia.

CAPUT PRIMUM,

De Varijs acceptionibus Scientiæ.

Scientia ſumitur ſex modis. 1. Latiſſimè, pro quâlibet cognitione: quo ſenſu opinio eſt ſcientia.

2. Latè, pro quâlibet cognitione evidenti, quo ſenſu experientia ſenſuum dici poteſt ſcientia.

3. Propriè, pro quâlibet cognitione intellectuali certâ & evidenti, abſtrahendo à diſcurſivâ & non diſcurſivâ: quo ſenſu Philoſophus 1. Poſter. 3. dividit ſcientiam in demonſtrativam, quæ eſt ſcientia concluſionum, & indemonſtrabilem, quæ eſt ſcientia principiorum, quæ dicitur intelligentia.

4. Strictè, pro cognitione demonstrativâ abstrahendo à speculativâ & practicâ, quo sensu complectitur omnes virtutes intellectuales præter Intelligentiam.

5. Srictius, pro solâ scientiâ demonstrativâ, eâque speculativâ, quo sensu opponitur, tum intelligentiæ, tum virtutibus intellectualibus practicis.

6. Denique strictissimè, pro cognitione speculativâ rerum Inferiorum per inferiores causas, quæ est scientia specificè, & opponitur etiam sapientiæ, quo sensu eam sumpsit Philosophus 6. Ethic.

Vide quæ diximus in Prolegomenis Logicæ agendo de virtutibus intellectualibus.

Agimus hîc ex professo de Scientiâ in quartâ acceptione, quia agimus de eâ prout est effectus Demonstrationis.

CAPVT SECVNDVM,

De causis Scientiæ.

Diximus de fine scientiæ, agendo de causâ finali Philosophiæ. Diximus etiam de causâ formali seu de definitione sciẽtiæ duobus nostris Tractatibus prooemialibus, articulis quartis duorum capitum Diximus quoque de materiâ in quâ & ex quâ primo Tractatu: unde

Hîc tantum agendum est de causa efficiente & materiali circa quam quæ dicitur objectum.

ARTICULUS PRIOR,

De causâ Efficiente Scientiæ

Scientia, ut in Menone docet Plato, acquiritur per reminiscentiam secundum ejus mentem: Existimabat enim animas omnes ab initio mundi simul esse productas à Deo ante corpora, proindeq; esse opera à Deo particulariter operãte producta, & ideo illas esse productas perfectas & per infusionẽ cognitionibus rerum omniũ naturaliũ instru-

instructas, quarum oblivifcerentur dum ad corpora tanquam ad portatiles quofdam carceres detruderentur, quæ tandem cognitiones membrorum mole obrutas, ftudio & labore hîc revocarentur. Hinc jactabat Socrates artem obftetriciam fe profiteri, quia ficut obftetrix fœtum non producit, fed eum membranis involutum ex utero materno educit: ita fe jam pridem conceptas animis puerorum fcientias exprimere. Hanc fententiam eleganter defcribit Boetius 5. Confol. Phil. Metro 3. his verfibus.

An cum mentem cerneret altam,
Mens humana,
Pariter fummam, & fingula norat?
Nunc membrorum condita nube,
Non in totum eft oblita fui,
Summamque tenet fingula perdens?
Igitur quifquis vera requirit
Neutro eft habitu nam neque novit,
Nec penitus tamen omnia nefcit:
Sed quam retinens meminit fummam,
Confulit, alte vifa retractans,
Ut fervatas queat oblitas
Addere partes

Idem fere fentiebant Pythagorici propter fuam Metempfycofim, contra quos omnes fit

CONCLUSIO.

Scientia non acquiritur per reminifcentiam.

Ita Ariftoteles contra Platonem 1. Pofter. 1.

Probatur 1. Quia oppofita fententia fupponit fundamentum fide damnatum, omnes fcilicet animas ab initio mundi effe productas, cum fide certum fit animas creando infundi, & infundendo creari.

Probatur 2. Si fcientia acquireretur per reminifcentiã, cæcus natus poffet acquirere fcientiam de coloribus: Falfum confequens: Ergo & antecedens.

Probatur 3. Quia qui recordatur rei alicujus non tantum recordatur rei, sed etiam recordatur se aliquando scivisse rem: Atqui quando addiscimus aliquid, non recordamur nos aliquando scivisse quod addiscimus: Ergo discere non est reminisci.

Obijcies. Cum Boetio loco citato.

Cur tanto flagrat amore

Mens humana

Veri tectas reperire notas?

Scit ne quod appetit à natura nosse:

Sed quis nota rescire laborat?

Et si nescit, quid cæca petit?

Quis enim quidquam nesciens optet?

Aut quis valeat nescita sequi?

Quove inveniat? Quisve repertam

Queat ignarus noscere formam?

Respondeo mentem humanam antequam discat esse simul scientem & nescientem: scientem quidem virtute, & nescientem actu, ex 1. Post. 1. & ex ultimo cap. 2. Poster. Nam mens humana eandem proportionem habet ad veritates naturales, quam habet gustus ad sapores: Sicut ergo gustus discernit sapores nunquam prius gustatos, ita mens humana judicat de veritatibus naturalibus nunquam prius cognitis. Ea enim est indoles cujuscunque facultatis naturalis, ut feratur ad objectum suum ubicunque sit.

Obijcies 2. cum Socrate in Menone. Si puer ordinatè interrogaretur de aliquâ figura mathematica, optimè respondebit: Atqui hoc fieri non posset, nisi ejus anima antequam fuisset in corpore res illas cognovisset: Ergo cognovit.

Nego. Ideo enim bene respondebit puer de istis rebus, quia jam hausit rudes aliquas cognitiones per sensus, ex quibus facili discursu potest sensim deduci in rerum abstrusiorum notitiam, si ordinatè interrogaretur: nam interrogare

gare ordinatè, eſt docere, cum methodus ſit inſtrumentū ſciendi ut docuimus.

Obijcies 3. Niſi cognoviſſemus furem qui nobis ſubripuiſſet crumenam, etiamſi per totam æternitatem quæreremus eum & quotidie obvium haberemus, nunquā poſſemus illum dignoſcere: Ergo à pari niſi aliquando cognoviſſemus veritatem, etſi millies nobis occurreret in libris, nunquam poſſemus eam detegere.

Diſtinguo antecedens. Niſi cognoviſſemus furem implicitè, vel explicitè, concedo: implicitè, nego: Sufficit enim ad furem detegendum, ſi habeamus aliquas notitias illius aliquo modo deſcriptivas ex quibus inferre poſſimus illum eſſe noſtrum furem: Ita à pari ad detegendas concluſiones ſciētificas ſatis eſt quod habeamus principia generaliora ex quibus illæ concluſiones colligi poſſint.

Deinde prætermiſſo antecedente, negari poteſt paritas: quia intellectus naturalem habet inclinationem ad veritates naturales & ſcientificas, non autem ad arbitrarias & contingentes, cum appetitus naturalis ſit tantum determinatus ad naturalia & neceſſaria.

ARTICULUS POSTERIOR,

De Objecto Scientiæ.

CErtum eſt entia, realia, univerſalia, neceſſaria & per ſe eſſe objecta ſcientiarum. Sed

Quæritur nunquid oppoſita poſſunt quoque cadere ſub ſcientiam?

Dico 1. de privationibus & negationibus poſſe dari ſcientiam, quia de illis fieri poſſunt ſyllogiſmi demonſtrativi, hoc eſt qui neque ſint ſophiſtici, neque merè topici qualis eſt iſte: Non poſſunt ſimul ſtare habitus & privatio: Atqui mors eſt privatio vitæ: Ergo mors & vita nō poſſunt ſtare ſimul.

Dices. Datur tantum ſcientia de vero: Atqui non ens non eſt verum: Ergo de eo non datur ſcientia.

Diſtinguo majorem. Datur tantum ſcientia de vero, vel

vel veritate entis vel veritate propositionis, concedo: de vero veritate entis, nego. Nam nunc datur scientia de Eclypsi, quæ tamen vera est tantum veritate propositionis: at privationes & negationes veræ sunt veritate propositionis, in quantum de ipsis fieri possunt verissimæ propositiones, quales sunt hæ: Mors est privatio vitæ. Nox est privatio diei. Umbra est privatio radij.

Præterea dici possent privationes & negationes veræ veritate entis negativâ, sicut sunt entia negativa, ut docuimús in posterioribus Prædicamentis.

Dico 2. De entibus rationis fundatis posse dari scientiam, quia de illis possunt fieri demonstrationes, quibus proprietates quædam evincantur, ut de secundis intentionibus logicis, qualis est hæc: Testimonium non debet ingredi conclusionem: Atqui Medium est testimonium: Ergo non debet ingredi conclusionem.

Dixi de entibus rationis fundatis: nam de entibus merè chymericis non potest dari scientia, quia non habent proprietates quæ de ipsis probari possint.

Dico 3 De singulari increato dari scientiam, quia de Deo multa demonstrant Metaphysici.

Dici 4. de singularibus creatis de facto non dari scientiam: quia proprietates quæ de ijs de facto demonstrantur, sunt omnes specificæ vel genericæ, & proinde singularibus per se non competunt.

Dico 5. de singularibus creatis posse dari scientiam si habeant proprietates quasdam individuales à suis differẽtijs numericis fluentes, ut probabile est: quia tales proprietates possent absolutè demonstrari de individuis per differentias numericas.

Dices. Singularia sunt corruptibilia: Ergo de illis non datur scientia.

Distinguo antecedens. Sunt corruptibilia corruptibilitate entitatis, transeat: quædam enim sunt singularia entitativè incorruptibilia, ut patet de Cœlis & Angelis. Sunt corruptibilia corruptibilitate propositionis, nego.

Dico

Dico 6. de contingentibus secundum entitatem posse dari scientiam, alioqui daretur scientia de solo Deo.

Dices. Effatum est, De contingentibus & corruptibilibus non datur scientia

Distinguo. De contingentibus quoad connexionẽ prædicari cum subjecto vel effectus cum causa, seu (ut loquitur Philosophus 1 Post. 25.) de fortuitis non datur scientia, concedo: de contingentibus quoad entitatem, nego. Nam ut fusè probavimus in Prolegomenis Logicæ, ad scientiam non requiritur necessitas existentiæ, sed sufficit necessitas propositionis.

Dico ultimò, de ente per accidens posse dari scientiã, si modo unum sit unitate ordinis: sic Logicus multa demonstrat de syllogismo, & Arithmeticus de numero.

Dixi, si modo illud ens per accidens unum sit unitate ordinis: Nam si sit aggregatum per accidens, qualis est indigestus lapidum cumulus, fateor de illo non dari scientiam, cum nullas sic habeat proprietates demonstrandas.

CAPUT TERTIUM,

De Proprietatibus scientiæ.

CUm de Veritate, Certitudine, & Evidentiâ egerimus secundâ parte, hîc tantùm nobis duæ supersunt scientiæ proprietates explicandæ, scilicet Unitas, & Subordinatio, de quibus sequentibus articulis dicemus.

ARTICULUS PRIOR,

De unitate Scientiæ.

VNitas triplex est ut sæpius diximus, scilicet, numerica, specifica, & generica. Hæc triplex unitas competit quidem unicuique scientiæ intrinsecè: nihilominus à nobis repetitur per ordinem ad aliquid extrinsecum. Quod ut intelligas, vide quæ diximus de specificatione relationis.

Dico 1. Unitatem numericam scientiæ repeti à subjecto: naturaliter enim accidentia multiplicantur numero ad multiplicationem subjectorum.

Dico 2. Unitatem genericam scientiæ repeti ab unitate generica objecti materialis, formalis & motivi: Unde illæ scientiæ genere distinguuntur quæ habent diversa genere objecta materialia, formalia, vel motiva: Hinc scientiæ speculativæ genere differunt à practicis: hinc consideratio practica auri in Chymica genere differt à contemplatione speculativa ejusdem auri in Physica.

Dico 3. Scientias specificari etiam ab objecto materiali, formali & motivo: cum enim scientiæ, sicut & virtutes morales hæc tria essentialiter respiciant, ab illis suam sumunt specificationē, unde in illis diversitas specifica objecti materialis causat diversitatē specificam: sic in Moralibus abstinentia à cibo specie differt ab abstinentia à potu: Idem dicendum de diversitate specificâ objecti formalis. Sic consideratio corporis naturalis ut naturalis, specie differt à consideratione corporis naturalis ut sanabilis. Idem etiam dicendum est de diversitate specifica motivi: assensus enim ex præmissis necessarijs, & assensus ex præmissis probabilibus, genere differunt: assensus verô propter causam, & assensus propter effectum, differunt tantum specie.

Ex quibus patet unde desumenda sit distinctio numerica, specifica & generica scientiarum: idem enim est principium constitutivum & multiplicativum. Ad unitatem tamen genericam vel specificam, requiritur unitas generica vel specifica objecti materialis, formalis & motivi simul: ad distinctionem vero genericam vel speeificam sufficit si sit distinctio alicujus ex tribus illis.

Quærunt hîc Logici quomodo scientia totalis sit una: an unitate simplicitatis & entitatis, an verò unitate ordinis tantùm: Uno verbo utrùm scientia totalis sit una simplex qualitas, unicus habitus, vel multorum habituum cōplexio?

Scientiæ totalis nomine intelligitur ſcientia juſtæ magnitudinis. V. g. una ex quatuor partibus Philoſophiæ, puta Logica, Phyſica, &c.

Scientiæ totali opponitur ſcientia partialis, quæ eſt pars ſcientiæ integræ, v. g. Animaſtica, aut Metheorologica reſpectu Phyſicæ.

CONCLUSIO.

Scientia totalis non eſt ſimplex qualitas.

Probatur 1. Habitus naturales multiplicantur pro multiplicatione difficultatum: Atqui in ſciētiâ totali v g. in Phyſica, multæ ſunt difficultates: qui enim penetrat unam concluſionem phyſicam non continuò penetrat cæteras, ut patet experientiâ: Ergo in ſcientiâ totali multi ſunt habitus.

Probatur 2. Illi habitus diſtinguuntur realiter, qui habent diverſos ſpecie actus non ſubordinatos: Atqui in ſcientia totali diverſi ſunt ſpecie actus non ſubordinati, v. g. in Phyſica cognitio rotunditatis cœli, immortalitatis animæ rationalis, &c.

Probatur 3. Si ſcientia totalis eſſet unicus habitus, qui obliviſceretur unius concluſionis, obliviſceretur totius ſcientiæ. Conſequens eſt contra experientiam: Ergo, &c.

Obijcies 1. Unica potentia verſari poteſt circa objecta ſpecie differentia: Ergo & unicus habitus:

Nego conſequentiam. Potentia enim eſt cauſa univerſalior quàm habitus, ſicut anima eſt cauſa univerſalior quàm potentia: Unde ſicut non valet iſta conſequentia: Unica anima ſufficit ad intelligendum & volendum: Ergo & unica potentia: ita non valet conſequentia adverſariorum. Et certè ſi valeret, ſequeretur quod ſicut eadem potentia, puta intellectus, poteſt ſcire, credere & opinari, ita idem habitus ea omnia præſtare poſſet, quod nunquā conceſſerint adverſarij. Ratio ergo diſparitatis eſt quod habitus ſit acquiſitus per actus, & proinde inclinare tantùm poſſit ad actus ſimiles ijs quibus productus eſt: at potentia non ſit producta per actus, & proinde extendere ſe poſſit ad plures ſpecie actus.

Objicies 2. Licet fides theologica multa habeat objecta, unica tamen est qualitas: Ergo & scientia totalis.

Nego paritatem. 1. enim afferri potest superior disparitas, quod scilicet scientia producta sit per actus, non autem fides theologica ut pote infusa. 2. afferri potest alia disparitas, quod scilicet unicum sufficiat motivum ad assentiendum omnibus articuli fidei, puta Dei authoritas per Ecclesiam revelantis. At unicum motivum non sufficit ad omnes conclusiones alicujus scientiæ totalis: neque enim idem medium inservire potest ad demonstrandam rotunditatem cæli, & immortalitatem animæ rationalis.

Objicies ultimò. Scientia totalis habet unicum objectum, puta Logica orationem logicam: Ergo scientia totalis est simplex qualitas.

Distinguo antecedens. Scientia totalis habet unicum objectum, unitate genericâ aut ordinis, concedo: unitate entitatis, aut simplicitatis, nego. Unde etiam fateor scientiam totalem unam esse unitate generica & ordinis: nego verò eam unam esse unitate entitatis & simplicitatis.

ARTICULUS POSTERIOR,

De subalternatione Scientiarum.

Subalternatio scientiarum est dependentia unius sciētiæ ab aliâ scientiâ. Depēdens dicitur subalternata, ea verò à quâ alia pendet, subalternans.

Duplex est subalternatio: scilicet extrinseca seu impropria, & intrinseca seu propria,

Subalternatio extrinseca est ea quâ disciplina una refertur ad aliam, vel tanquam ad finem externum, (ita ut ab eâ objectū & principia non desumat: sic ex 1. cap. Ethic. frænefactoria subordinatur equestri, equestris militari, militaris politicæ: sic Logica cæteris scientijs subordinatur:) Vel per accidens quomodò Medicina subordinatur Geometriæ, nam quod vulnera rotunda difficiliùs curentur, est Medici nosse, Geometræ verò probare, ex 1. Poster. 1.

Subal-

Subalternatio intrinseca est ea qua una scientia pendet ab alterâ ratione objecti & principiorum.

Tres ad eam requiruntur conditiones.

Prima, Ut objectum subalternatæ sit objectum subalternantis, sed contractum ad specialem materiam, ex quâ contractione oriantur quædam novæ proprietates demonstrabiles à subalternatâ. Defectu cujus conditionis è duabus scientijs diversa planè objecta habentibus neutra proprie subalternatur alteri, ut patet in Ethica & Mathematica.

Secunda, Ut objectum subalternatæ contrahat objectũ subalternantis per differentiam accidentalem, defectu cujus conditionis Animastica non subalternatur propriè Physicæ, quia contrahit corpus naturale per differentiam essentialem, puta per animatum: Unde est in Physicâ tanquam præcipua ejus pars, non autem sub Physicâ tanquã scientia ei subalternata.

Tertia conditio, Ut scientia subalternata mutuetur sua principia à subalternante: ita ut conclusiones subalternantis sint principia subalternatæ. Defectu cujus conditionis falsum est omnes scientias propriè subalternari Metaphysicæ, quia Metaphysica non probat directè & per media intrinseca principia aliarum scientiarum, sed indirectè tantum, & per reductionem ad impossibile. Falsum est etiã cæteras scientias subalternari propriè Logicæ, quia licet ejus regulis utantur propter formam, habent tamen propria principia ex quibus concludunt, quæ non sunt conclusiones Logicæ.

Has omnes conditiones habet Medicina respectu Physicæ. Nam 1. à Physica suum sumit objectum, puta corpus naturale. 2. illi objecto addit differentiam accidentalem: considerat enim corpus naturale ut sanabile. 3. sumit sua principia à Physicâ, ita ut conclusiones physicæ sint principia Medicinæ. Hinc illud vulgatum: Ibi incipit Medicus, ubi desinit Physicus, ut insinuat Philosophus cap. de sensu & sensibili. Idem dic de Musicâ respectu Arithmeticæ, &

cæ, & de Optica respectu Geometriæ ex 1. Poster. 1.

Ex iis patet divisionem scientiæ in subalternantem & subalternatam, non esse adæquatam: quia sunt quædam scientiæ, quæ nec subalternantes sunt, nec subalternatæ, qualis est Metaphysica, sed bona esset divisio scientiæ in subalternam, & non subalternam.

Quæres, utrùm scientia subalternata, in eo qui non habet subalternantem, sit vera scientia, v. g. utrùm Medicina in homine non Physico sit vera scientia?

Respondeo negativè. Quia opus est ut præmissæ demonstrationis, & proinde scientiæ, sint per se notæ saltem virtualiter, ut docuimus superiori sectione cap. 2. Atqui in illo qui non habet scientiam subalternantem, præmissæ seu principia scientiæ subalternatæ, non sunt per se nota, nequidem virtualiter: quandoquidem ille non potest ea resolvere usque ad prima principia: Ergo scientia subalternata in eo non est vera scientia.

Dices. Ex S. Thoma qu. 1. Summæ Theologicæ, Theologia subalternatur scientiæ beatorum, & tamen est scientia in viatoribus: Ergo scientia subalternata est vera scientia in eo qui non habet subalternantem.

Distinguo consequ. Scientia subalternata est vera scientia in eo qui non habet subalternantem, si ille aliunde possit esse certus de principijs subalternæ, concedo: secùs, nego. Disparitas ergo est quod Theologi per fidem divinam certissimi sint de suis principijs: At vero in scientijs naturalibus subalternatis, homines subalternantibus destituti, non possunt esse ita certi de suis principijs, cum ea tantum credant per fidem humanam quæ fallax est.

CAPVT ULTIMVM,

De Divisione Scientiæ

PIcus Comes Mirandulanus contendit unicam esse scientiam, quæ de ente agat, & omnibus speciebus ejus.

Contra

Contra eum acriter insurgunt Peripatetici multi, statuentes vel tres scientias, Physicam scilicet, Mathematicam & Metaphysicam: vel quinque, his tribus addentes Logicam, & Ethicam.

Verum hæc lis in nostrâ sententiâ quæ statuit scientiam totalem esse complexionem multorum habituum realiter distinctorum, nullam patitur difficultatem: Nam & potuit Mirandulanus omnium scientiarum naturalium unicā facere complexionem, eamque Philosophiam vocare: Et potuerunt Peripatetici multas ejusmodi complexiones instituere, dividendo Philosophiam in suas partes, ut fieri solet, scilicet in Logicam, Ethicam, Physicam, Mathesim, & Metaphysicam.

Vulgo hæc peripatetica Philosophiæ divisio hîc examinatur. utrùm scilicet sit exacta, nec-ne? Et certè qui propugnant scientiam totalem esse simplicem qualitatem, in ea tuenda valde laborant. Namque peterem ab ipsis, unde peteretur illa quinti partita scientiæ divisio, an ab objectis? an à principijs: an à varia abstractione à materia?

Non ab objectis sanè: Nam vel peteretur ab unitate generica objecti, vel ab unitate specifica. Neutrum dici potest, cum sint multa objecta & specie & genere diversa, vel in unâ Physicâ: Imò cum omnes scientiæ, (ut optimè dicit Mirandulanus Tractatu de ente) habeant idem objectum genere, puta ens:

Non etiam ab unitate principiorum: quia principia alicujus scientiæ petuntur ex natura objecti. Si ergo in unica scientia totali multa sint objecta specie & genere diversa, diversa quoque erunt genere & specie principia.

Non denique à variâ abstractione à materia: nam in Metaphysica duplex est abstractio à materia: Una secundùm rationem tantùm, in ente, substantiâ, & accidente: Altera secundum rem in Deo & Angelis. In Geometria verò & Arithmetica, quæ sunt duæ scientiæ totales contentæ sub Mathematica tanquam species sub genere, eadem est abstractio à materia, puta à materia singulari

 & sen-

& sensibili : At apud nos in ea divisione nihil est negotij : de ea enim eodem modo philosophamur, ac philosophati sumus de divisione Universalis in quinque membra. Itaque.

Dicimus 1. illam divisionem esse adæquatam : quia nulla est scientia naturalis, quæ ad aliquam ex illis non possit revocari.

Dicimus 2. illam divisionem non esse immediatam : quia scientia naturalis potest dividi immediatius in speculativam & practicam.

Dicemus 3. eam divisionem non esse ultimam, quia illæ scientiæ possunt subdividi : nam Metaphysica potest subdividi in generalem & particularem, sicut Physica & Ethica : Mathematica potest subdividi in Geometricam & Arithmeticam : Logica in definitivam, divisivam, ordinativam & syllogisticam.

Ex quibus patet potuisse Philosophos varias ad libitum scientias constituere secundum immediatiores aut mediatiores divisiones. Quia tamen hæc divisio solemnis est, eam retineamus, cujus explicationẽ repete ex cap. 4. Prolegom. Philos.

Posset etiam scientia dividi eodem planè modo, ac Demonstratio, utpote cujus sit effectus.

DISPUTATIO ULTIMA,

DE SYLLOGISMO TOPICO.

In octo Libros Topicorum.

SYllogismus Topicus seu probabilis tentativus & dialecticus definitur initio Topicorum : Syllogismus constãs probabilibus

Definiri potest per effectum : Syllogismus pariens opinionem. De eo quædam diximus in Compendio quæ hîc non repetemus : dicemus tamen de propositionibus, problematibus & Thesibus dialecticis : Deinde de Locis dialecticis.

CAPUT PRIMUM.

De Propositionibus Problematibus & Thesibus.

APud Dialecticos hîc Propositiones, Problemata & Theses, quæstiones quædam sunt.

Quæstio est id cujus cognitio expetitur, & quadruplex est ex Philosopho initio 2. Poster. scilicet, An res sit, Quid sit, An propositio sit vera, & cur sit vera?

Propositio dialectica 1. Top. 8. definitur Quæstio probabilis vel omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, & his vel omnibus, vel plerisque, vel spectatissimis à communi sensu non abhorrens, v. g. utrùm exponenda sit vita pro amicis.

Problema hic, est quæstio in utramque contradictionis partem proposita valde controversa: describitur 1. Top. 9. quæstio conferens vel ad electionem & fugam, vel ad veritatem & cognitionem de qua homines parum inter se conveniunt, quales sunt hæ quæstiones: utrùm voluptas sit bona nec-ne? utrum mundus sit ab æterno nec-ne? & quia ejusmodi disjunctivæ interrogationes in omni materiâ Philosophica fieri possunt: ideo alia sunt problemata dialectica, alia moralia, alia naturalia.

Hinc tot sunt problemata, quot sunt propositiones, quia omnis propositio in problema converti potest, v. g. hæc propositio non ne animal est genus hominis: potest converti in problema hoc modo, Utrum animal sit genus hominis nec-ne?

Thesis definitur, sententia alicujus celebris viri, communibus opinionibus repugnans, ratione fundata: ex Philosopho ibidem, ut, quod continuum sit divisibile in infinitum, unde omnis thesis est problema, quia de illâ non conveniunt omnes: at omne problema non est thesis, quia sunt quædam problemata de quibus in neutrã partẽ inclinamus, inquit Philosophus, ut utrum stellarum numerus sit par vel impar.

Itaque

Itaque Theses, problemata & propositiones dialecticæ sunt quædam quæstiones, non tamen propterea sunt semper legitima dubitationum argumenta : nam qui dubitaret utrùm Deus esset colendus, vel parentes amandi, supplicio dignus esset : qui verò dubitaret utrùm nix esset alba, sensu careret, ut inquit Philosophus ibidem. Tunc itaque sunt legitima dubitationum argumenta quando sunt quædam de illis dubia ; de quibus Philosophi possunt probabiliter saltem pronuntiare.

Prædicatum dialecticum est attributum propositionis dialecticæ, quod quadruplex est, scilicet definitio, genus, proprium, & accidens : quia quod prædicatur de alio vel prædicatur essentialiter vel accidentaliter : si essentialiter vel reciprocè, & est definitio, vel non reciprocè, & est genus : item si prædicetur accidentaliter vel reciprocè, & est proprium : vel non reciprocè, & est accidens ex 1. Top. 7

CAPUT POSTREMUM,

De Locis Dialecticis.

LOci Dialectici sic dicuntur, vel à locis seu sedibus in quibus res collocantur quia sunt sedes argumentorum probabilium : quia in locis Dialecticis tanquam in insidiis quibusdam argumenta delitescunt.

Locus (ut diximus in Compendio) duplex est, scilicet Maxima, hoc est effatum quoddam, & differentia Maximæ, quæ sola propriè locus est. Nam ut optimè docet agricola primi de inventione capite sexto, locus communis est veluti nota & signum, quo Orator de habendo argumentorum delectu monetur : unde in eodem loco communi, seu in eadem differentia Maximæ, multa sunt argumenta. Maximæ multæ.

De locis sic sumptis eleganter, ut solet, scribit Cicero in Topicis fere initio, his verbis. Ut igitur earum rerum quæ absconditæ sunt demonstrato & notato loco facilis

inven-

inventio est, sic cum pervestigare aliquod argumentum volumus, locos nosse debemus: sic enim appellatæ sunt ab Aristotele hæ quasi sedes è quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire locum, esse argumenti sedem: argumentum autem, esse rationem quæ rei dubiæ faciat fidem. Sed ex ijs locis in quibus argumenta inclusa sunt, alij in eo ipso, de quo agitur, hærent: alij assumuntur extrinsecùs: hoc est, alij sunt insiti, alij assumpti, ut explicuimus in Compendio. Hic tantum agimus de insitis, quia soli egent arte.

Plures sunt loci insiti apud Ciceronem, quàm apud Aristotelem: non sibi tamen adversantur illi authores. Nam Cicero Trebatio Aristotelis Topica explicaturum se pollicetur statim initio: verùm uterque numerum locorum ex eodem capite non desumpsit: Nam Cicero numerum locorum desumpsit ex motivis seu medijs & rationibus, quibus uti possimus ad probandum: Aristoteles verò ex quæstionum probandarum prædicatis. Hinc Cicero loco citato sexdecim affert locos insitos: scilicet à definitione, ab enumeratione partium, à notatione nominis, seu etymologiâ, à conjugatis, à genere, à formâ seu specie, à similitudine, à differentiâ seu dissimilitudine, à contrarijs, ab adjunctis seu circumstantijs, ab antecedentibus, à consequetibus, à repugnantibus, à causis, ab effectibus, à comparatione majorum, minorum & parium: quia totidem sunt sedes ex quibus possunt desumi argumenta seu media ad probandum, de quibus fusè agunt Rhetores Tractatu de Inventione.

Aristoteles verò 1. Topic. 3. quatuor tantum affert locos, scilicet locum definitionis, generis, proprij & accidentis: quia hæc tantùm quatuor esse possunt prædicata propositionum topicarum, ut patet ex superiori cap. aut si quæ sint alia, ad ea revocantur: Unde sicut Citharœdi (inquit optimè Crassotius hic) seligunt quasdam cantilenas ad quas omnia sua præcepta revocant, ita Aristoteles selegit quatuor celeberrimos terminos, quatuor celeberrimas

rimas quæstiones, ut ad eas revocaret universam locorũ doctrinam.

Nos utrumque authorem sequemur: quatuor enim articulos instituemus, ad quatuor Aristotelis problemata probanda, in uno autem quoque articulo afferemus breviter præcipuas Maximas locorum Tullianorum, qui ad illud problema propius accedunt: quamvis enim omnes ferè Ciceronis loci singulis Aristotelis problematibus suadendis possint inservire; quidam tamen loci Tulliani majorem habent cum uno Aristotelico problemate, quam cum alio, affinitatem.

ARTICULUS PRIMUS,

De locis ad confirmandum problema Definitionis.

AD hoc problema revocabimus locos Ciceronis à Definitione, ab Etymologia, à specie, à causis, & ab effectis: quia Definitio explicat speciem aliquãdo per Etymologiam, aliquando per causas & effectus.

Maximæ Definitionis.

PRima: Quod convenit definitioni, convenit & definito: sic quod convenit animali rationali, convenit & homini.

Secunda: Quod non convenit definitioni, non convenit definito: sic quod non convenit animali rationali, non convenit homini.

Tertia: Cui convenit definitio, convenit & definitum: sic cui convenit animal rationale, convenit homo.

Quarta: Cui non convenit definitio, non convenit definitum: sic cui non convenit animal rationale, non convenit homo.

Quinta: Si definitio conveniat definitioni, definitum conveniet definito. Sic quia vivens sensitivum convenit animali rationali, animal convenit homini.

Sexta: Si Definitio non convenit definitioni; nec definitum conveniet definito; sic quia vivens sensitivum non conve-

convenit elemento calido ſicco, ideo animal non convenit igni.

Maximæ Etymologiæ

PRima: Cui competit res, competere debet Etymologia rei: ſic cui competit eſſe conſulem, conſulere reip. debet.

Secunda: Cui competit Etymologia, competere poteſt nomen: v. g. ſi quis conſulat reip. meretur nomen Conſulis.

Maximæ Speciei.

PRima: Quod competit ſpeciei, competit generi ſaltem particulariter: v. g. bene ſequitur: Homo eſt rationalis: Ergo aliquod animal eſt rationale.

Secunda: Quod convenit ſpeciei, non propterea convenit univerſaliter generi: v. g. non bene ſequitur, Omnis homo eſt rationalis: Ergo omne animal eſt rationale.

Tertia: Quod negatur de aliquâ ſpecie, negari poteſt particulariter de genere: v. g. bene ſequitur. Homo nō eſt hinnitivus: Ergo aliquod animal non eſt hinnitivum.

Quarta: Quod negatur de ſpecie, non propterea negatur univerſaliter de genere, v. g. non ſequitur, Nullus homo eſt hinnitivus: Ergo nullum animal eſt hinnitivum.

Quinta: Quod convenit omnibus ſpeciebus, convenit & generi: v. g. bene ſequitur: Homo eſt ſenſitivus: brutum eſt ſenſitivum: Ergo animal eſt ſenſitivum.

Sexta: Quod nulli ſpeciei convenit, non convenit generi: hinc bene ſequitur: Homo non eſt immortalis: brutum non eſt immortale: Ergo animal non eſt immortale.

Septima: Quæcunque repugnant generi, repugnant ſpeciei, ſed non contra, ex 2 Topic. 2. v. g. Quæcunque repugnant animali, repugnant & homini, ſed quæ repugnant homini, non propterea repugnant animali, v. g. eſſe irrationale, hinnitivum, rugitivum, &c.

Octava:

Octava: De quo non prædicatur genus, nulla prædicatur ſpecies, ex 4. Topic. 2. ſic quod non eſt animal, nec eſt homo nec brutum.

Nona: Si genus opponitur generi, ſpecies opponitur ſpeciei, ex Philoſopho ibidem, v. g. quia virtus opponitur vitio, juſtitia opponitur quoque vitio.

Decima: Si genus ſuſcipiat magis & minus, ſuſcipiet & ſpecies, ex 4. Top. 4.

Maxima Cauſarum

PRima: Poſita cauſa (ſupple formaliter) in eſſe cauſæ ponitur effectus, ſic orto ſole dies eſt.

Secunda: Sublata cauſa, tollitur effectus, ſic occidente ſole, perit dies.

Tertia: Si negatio ſit cauſa negationis, affirmatio eſt cauſa affirmationis, v. g. ſi Aſymetria calidi & frigidi ſit cauſa non valendi, eorum ſymetria eſt cauſa valendi: ex 1. Poſter. 13.

Mamima Effectuum

PRima: Ex effectu dependente in conſervari, à ſua cauſa colligitur cauſa, ſic ex die colligitur ortus ſolis ſic ex eo quod ſint creaturæ, bene ſequitur Deum eſſe ſeu exiſtere.

Secunda: Sublato effectu, tollitur cauſa neceſſaria, (ſi nempe cauſa neceſſaria habeat cum effectu connexionem) hinc bene ſequitur: Non eſt dies apud nos: Ergo ſol non eſt ſupra noſtrum horizontem.

Tertia: Effectus bonus eſt, qui eſt à cauſâ bonâ (ut ſic) maluſque à malâ, ſic ab oculo bono, bona elicitur viſio, à malo mala.

ARTICULUS SECUNDUS,

De Locis ad probandum problema Generis.

AD hoc problema revocabimus Ciceronis locos à Genere & ab enumeratione partium: (quia genus eſt totũ potentiale habens ſub ſe ſpecies tanquam partes ſubjectivas)

vas)

vas) ab antecedentibus & consequentibus: quia genus aliquo sensu consequens est respectu suarum specierum.

Maximæ Generis.

PRima: Cui convenit genus, convenit aliqua species: sic quod est animal, est homo, vel brutum: nam impossibile est genus esse, quod nullius sit speciei, ex 4. Top. 1.

Secunda: Cui non convenit genus, nulla convenit species: sic quod non est animal, nec homo est, nec brutum.

Tertia: In quo est species, in eo est genus: Ex 2. Top. 2. Sic in quo est homo vel brutum, in eo est animal.

Quarta: Quæcunque convenire possunt speciei, possunt & generi, sed non contra: Ex Philosopho ibidem. Sic quæcunque convenire possunt homini, convenire possunt animali: sed quæcunque convenire possunt animali, competere non possunt homini, v. g. esse irrationale, hinnitivum, rugitivum, &c.

Quinta: Illud genus est nobilius altero, sub quo continetur aliqua species nobilior omnibus speciebus alterius: sic animal nobilius est plantâ. Hinc illud S. Dyonisij: Infimum supremi, nobilius est supremo infimi.

Maximæ Enumerationis Partium.

PRima: Posito toto essentiali: ponuntur omnes partes essentiales, alioqui partes essent essentiales, & non essent: sic posito homine, ponuntur partes essentiales hominis, puta animalitas & rationalitas, corpus & anima rationalis.

Secunda: Sublatâ unâ parte essentiali, tollitur totum: sic sublatâ animâ rationali, tollitur homo, & sublatâ parte definitionis, tollitur tota definitio? Ex 6. Top. ultimo.

Tertia: Positis omnibus partibus & unione, ponitur totum.

Quarta: Sublato toto, partes vel tolluntur vel dissolvuntur.

Quinta: Posito toto integrali & potentiali, non necessariò ponuntur omnes ejus partes, sic posito homine, nõ necessa-

necessario ponitur auricula; posito animali, nõ necessario ponitur equus.

Sexta: Sublatâ unâ parte integrali vel subjectivâ non ideo tollitur totum: sic sublatâ auriculâ, non tollitur homo; sublato equo non tollitur animal.

Septima: Pars non prædicatur de toto.

Maxima Antecedentium & Consequentium.

Consequens duplex est, unum necessariæ suppositionis, quod esse non potest sine aliquo præsupposito, ut domus respectu fundamenti: alterum necessariæ consecutionis, quod ex alio rectè infertur, ut animal respectu hominis.

Maximæ antecedentium & consequentium primi generis hæ sunt.

Prima: Posito antecedente non necessariò ponitur cõsequens, sic posito fundamento non necessariò ponitur domus.

Secunda: Sublato antecedente necessariò tollitur consequens, sic eruto fundamento, ruit domus.

Tertia: Posito consequente, ponitur antecedens, sic positâ domo ponitur fundamentum, ex 2. Poster. 2.

Quarta: Sublato consequente, non necessariò tollitur antecedens, sic ruente domo non necessariò ruit fundamentum.

Maximæ antecedentium & consequentium posterioris generis hæ sunt.

Prima: Posito antecedente, ponitur consequens, sic posito homine ponitur animal.

Secunda: Sublato antecedente, non tollitur consequẽs, sic sublato homine, non tollitur animal.

Tertia: Posito consequente, non necessariò sequitur antecedens, sic posito animali, non necessariò ponitur homo.

Quarto: sublato consequente, necessariò tollitur antecedens, sic sublato animali, tollitur homo, ex 2. Top. 2.

ARTI-

ARTICULUS TERTIUS,

De Locis ad probandum problema Proprij.

AD hoc problema revocabimus Locos Ciceronis à conjugatis, quia habent respectu sui invicem rationem quarundam proprietatum: & ab adjunctis, quia circumstantiæ sunt etiam instar quarundam proprietatum cum re moraliter connexarum.

Maxima Proprij

PRima: Proprium convenit omni, soli & semper.

Secunda: Licet Proprium insit necessariò, non tamē inest essentialiter.

Maxima Conjugatorum

PRima: Quod convenit uni Conjugatorum suo modo, convenit & alteri, v. g. bene sequitur: Justitia est virtus: Ergo Justus est virtute præditus: Ergo Justus virtuosè agit.

Secunda: Cum de aliquo unum conjugatorum affirmatur, de eo affirmantur & cætera: v. g. bene sequitur: Aristoteles erat doctus: Ergo Aristoteles erat doctrinâ præditus: Ergo Aristoteles doctè scribebat.

Tertia: Cum de aliquo unum conjugatorum negatur de eo, negâtur & cætera, v. g. bene sequitur: Aristoteles non erat Christianus: Ergo Aristoteles non colebat Christum: Ergo Aristoteles non vivebat christianè.

Quarta: Si conjugatum unum dicitur de aliquo subjecto, conjugatum prædicati dicitur de conjugato subjecti: v. g. si albedo est color, album est coloratum.

Quinta: Si unum conjugatum alicui repugnat, conjugatum prædicati repugnat conjugato subjecti: v. g. Si Justitia non sit vitium, Justus non est vitiosus.

Maxima Circumstantiarum

QUales sunt circumstantiæ, talem verisimile est rem esse: v. g. bene sequitur: Aristoteles diu & diligenter studuit sub doctissimis Philosophis: Ergo probabile est eū fuisse bonum Philosophum.

Porro

Porro circumstantiæ, quæ à Rhetoribus Adjuncta nuncupantur, triplicis sunt generis, scilicet Antecedentes, nativitas, educatio, consuetudo, apparatus, &c. Concomitantes, ut locus, tempus, occasio; socii, &c. & Consequentes; ut laus, infamia, partæ divitiæ, &c.

ARTICULUS ULTIMUS,

De Locis ad probandum problema Accidentis.

AD hoc problema revocabimus cæteros Ciceronis locos utpote repetitos à rebus planè accidentalibus.

Maximæ Accidentis

PRima: Quod accidit generi, non necessariò accidit speciei, sic accidit animali esse nigrum, nec tamen accidit Cygno.

Secunda: Quod accidit speciei, accidit & generi: sic quia accidit homini esse Philosophum, accidit & animali.

Maximæ Similium

SImilia & Paria differunt, ex 5 Top. ultimo, quod similitudo sit in aliquâ metaphoricâ proportione: paritas verò in aliquo, quod utrique verè & propriè inest.

Prima: Quod valet in uno simili, valet in cæteris: ex 2. Top ultimo & 3. 4. v. g. Gubernator navis tenetur impedire periculum eluctabile: Ergo a pari & gubernator reipubl.

Secunda: Quod non valet in uno simili, non valet in cæteris, ex Philosopho ibidem: ut patet in hoc exemplo. Gubernator non tenetur impedire periculum ineluctabile: Ergo a pari nec Gubernator reipublicæ.

Tertia: Parium par est ratio: sic quæ pœna justa est adversus patricidam, est quoque adversus matricidam.

Maximæ Dissimilium

PRima: Dissimilia dissimilibus conveniunt.

Secunda: Disparium dispar est ratio: sic quæ pœna justa foret adversus patricidam, justa non esset adversus furem.

Maxima Oppositorum.

PRima: Opposita ita pugnant inter se, ut simili modo pugnare non possint cum alio diversæ naturæ.

Secunda. Oppositorum oppositæ sunt consequentiæ: e.g. bene sequitur: Virtus est amanda: Ergo vitium est fugiendum.

Tertia: Opposita simul esse non possunt.

Maximæ autem singulorum Oppositorum in specie, satis patent ex Postprædicamentis.

Maxima Repugnantium.

REpugnantia seu Disparata, ita inter se pugnant, ut simili modo pugnent cum alio diversæ naturæ.

Maxima Comparatorum

A Comparatione Majorum hæc est Maxima. Si quid verisimile non sit verum, multo minùs quod est minùs verisimile: ex 2. Top. 3.

A comparatione Minorum hæc est Maxima: Si quid minus verisimile sit verum, à fortiori id quod est verisimilius, ex 2. Top. ultimo.

A comparatione denique parium hæc est Maxima: Si aliqua propositio vera est aut falsa, ea quæ illi similis est, vera est quoque aut falsa: hinc quoque sequitur: Virtus intellectûs inclinat intellectum ad suum actum perfectum: Ergo a pari virtus voluntatis illam inclinat ad actionem suam perfectam.

Et hæc sunt quæ pertinent ad universam Logicam, Organum & regulam veritatis, quæ omnia ipsi primæ Veritati tota mente consecramus, ad quam deinceps tanquam ad ultimum nostrum finem in Ethicâ collineabimus.

FINIS LOGICÆ.